




PHILOSOPHIA
SACRA
1626
R. FLUDD
















ROBERTI FLVDD

alias

DE FLVCTIBVS

Philosophia sacra & vere Christiana


Seu

METEOROLOGIA COSMICA.

Francofurti prostat in Officina Bryana.

MDCXXVI.








WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AER
ARCA DEI THESAVRARIA

SEV

PERSPICVVM SANITATIS ET MORBORVM SPECVLVM:

IN QVO

PROFVNDA METEOROR VM VTRIVSQVE MVNDI TAM SALVBRIVM QVAM INSALVBRIVM MYsteria (non vano & mendaci Philoſophorum Ethnicorum teſtimonio ſtipata, ſed certiſſimo Veritatis ſigillo confirmata) proſpiciuntur.

CVIVS ETIAM IN FINE EXPERIMENTI CVIVSDAM ADMIRATIONE DIGNI, ET VVLGARI INTELLECTVI MInimè difficilis (incertas & fallaces Peripateticorum opiniones redarguentis atque refellentis, vtpote veram et Meororum tàm lucidorum quàm tenebroſorum rationem digito quaſi inſcientibus demonſtrantis) tàm praxis quàm ſpeculatio explicatur

AVTHORE

ROBERTO FLVDD, ALIAS DE FLVCTIBVS, ARMIGERO ET IN Med. Doct. Oxon.



Matthæus Merian Basilien: fecit.

Quem genus & virtus ornant, quem prisca parentum
Gloria, cui patriam terra Britanna dedit:
Cui sedet incoctum generoso pectus honesto,
Candor & integritas ambitione carens
Omnia cui Natura parens secreta reclusit
Quidquid & harmonici cosmus vterque tenet
Pæoniæ ROBERTVS *hic est* DE FLVCTIBVS *artis*
Fama, Machaonii signifer ille Chori.
Vidimus ingenii vires mentisque recessus
Ista viri faciem picta tabella refert.
Oceani Venerem perhibent è fluctibus ortam
Hic Venus & grauitas mixta decore nitent.

Honori Virtutique eius P.

I. Ludouicus, Gotofridus. A.

REVE-



REVERENDO PATRI AC DOMINO,

Dn. IOHANNI,

LINCOLNIENSI PRÆSVLI DIGNISSIMO, MAGNI SIGILLI ANGLIÆ CVSTODI VIGILANTISSIMO, ET REGIÆ MAiestati à Sanctioribus Consiliis;

CONSILIARIO PRVDENTISSIMO.



NEc eminentis honoris vestri dignitas magniue aut loci aut officii nitoris titulus, vtpote quæ momentanea sunt, ac Principis placito durare assolent; nec vestra erga pauperes iustitiam exorantes pietas atque humanitas, nec inexpectatum illud in te de rebus publicis politiæ munus (loci ac dignitatis huiusce viro inprimis, tanquã certissimum regni columen atque sustentaculum, conueniens & consentaneum) nec denique diuina illa Iustitiæ virtus, quæ apud te in æquilibrio habetur, trutinisque iustis cuilibet iuxta suum ius (iniuria in exilium relegata) liberaliter dispensatur, & mensura recta distribuitur, nullum (inquam) horum munerum tibi diuinitus concessorum (Pater Reuerendissime, Præses in sublimioribus negotiis versatissime) est dedicationis istius meæ occasio, quippe quæ præcellenti cuilibet cancellario, magni sigilli custodi, & præsidi pio, ex officio in conspectu Reipublicæ (licet non semper hoc accidat) adesse debent: Sed duæ inprimis cordi & Naturæ vestræ adhuc propinquiores me vrgent virtutes, suadentque, vt opera hæc mea & lucubrationes hasce mihi charissimas multoque labore partas dominationi ac dignitati vestræ ante omnes dedicare, atq; in eam libenter lubenter conferre iam insistam: Quarum quidem ordine prior est alma tua in scientiarum incremento & exaltatione charitas, voluntariusq; & minime coactus erga studiosos amor, quem acuta calami veritatis alis innitentis argutia, tanquam gestus & actus tuos fœlices, æternæ posteritatis memoriæ recondendo, nunquam satis describere aut explicare possumus; atque hunc tuum erga omnes literatos Zelum gemini eius partus, binos iam


olim characteres, natura & conditione ab inuicem minime diuersos, in lucem edentes celebrauerunt; vtpote quorum alter præclaram & famigerabilem illam Cantabrigiæ Academiam, studii atq; scientiæ organis reddidit ditiorē, ædificio magnifico ornatiorem, doctrinę cupidis gratiorem faciliorem que: magnificum insuper illud librorum electorum sacrarium, largum structuræ opus, ad Bibliothecæ vsum destinatum, donum omnibus literatis gratum, nemini quærenti vtilitatem amplam non proficuū, & lac quasi dulce ex Mineruæ vberibus sitienti abundanter non effundēs, liberaliterq; impluens: Alter autem charitatis tuæ impręgnatæ partus siue character, est egregia illa Bibliotheca, in Cœnobio apud Londinenses ob monumēta & sepulchra Regum celeberrimo, Vvestmonasterium dicto, haud paruo dignitatis vestrę sumptu erecta, atque omni cultu necessario, & pręcipue raris & melioris æstimationis libris munita exornataq;, quæ tā propter structuræ atq; dispositionis decus, quam librorum in ea contentorum excellentiam, per vniuersam fere Britanniam decantata atq; ebuccinata, inclyti sui fundatoris ac patroni laudes æternis famæ monumentis indies magis magisq; depingere atq; insculpere solet: ita vt honorē & dignitatem vestram non sibi solum, sed & aliis natam, naturali etiam animi inclinatione ad benefaciendum procliuem atq; addictā esse, suaui ac voluntaria hac tua bonitate sat liquido declaretur: Ordo denique posterior, ratioq; mihi propinquior, mediante qua hac meorum operum dedicatione nomen tuum & honorem celebrare, me cautus induxit respectus, maturaq; solicitauit consideratio, est arcta illa spirituum nostrorum vicinitas, firmusque in cōsanguinitate nexus, virtute cuius corpora alias disiuncta, firmissimis nihilominus vinculis, & magnetico quodā quasi naturæ glutine simul coniunguntur, adligantur, atque vniuntur. Quæ ergo Dominationi & Dignitati vestræ syncero corde menteque grata sunt oblata, tu (Pater Reuerende, Præses loco & officio tanto dignissime,) ex parte tua, serena fronte vultuque placido accipere digneris, meq;, Dominationi tuę omni tam diligentiæ quam obsequii munere deditissimum, fauore & beneuolentia prosequaris obtestor, dum ego ex mea, vt diu fæliciterq; viuas, fausto in vita tua ac propitio dirigaris numine, ac tandem in officio sanctæ bonitatis erga omnes in perpetuum maneas, Deum Opt. Max. humiliter & ex animi mei meditullio precor.

Amplitudinis & Reuerendæ
vestræ Dignitatis

Obseruantiss.

Rob. Fludd. Prosapiæ suæ origine
Cambro-Britannus.

Portio



- Portio hæc in partes tres diuiditur, quarum meteororum more haud vulgari causas tractat
  - Prior materiales
    - Simplices, de quibus lib. 1.
    - Mixtas & de his lib. 2.
  - Secunda seu Media
    - Formales, quas liber 3. in membra varia dissectus amplectitur.
    - Efficientes, atque de hisce lib. 4. cum suis particulis seu membris.
  - Tertia & vltima finales vtriusque naturæ videlicet
    - Salubres de quibus lib. 5. cum suis membris.
    - Morbosos & de istiusmodi agunt lib. 6. & 7. cum suis membris.


TRACTA-

TRACTATVS SECVNDI,

SECTIONIS I. PORTIONIS IV. PARTIS I.

LIBER PRIMVS.

De primariis rerum meteorologicarum principiis.



PROOE-



PROOEMIVM: IN QVO DECLARATVR QVOD PHILOSOPHORVM ETHNICORVM PRINCIPES MORE surreptitio Philosophiæ suæ bases, ab Antistite Moyse sibi falso arrogauerint, & male Philosophiæ suæ ædificium in eas struxerint, atque in hoc etiam crassus & palpabilis Philosophorum Christianorum error digito quasi indicatur, qui, neglecto Biblio sacro, & occultæ Theosophiæ Doctoribus repudiatis; ad vanam Ethnicorum doctrinam confugiunt.



VAM variæ & inter se discrepantes sint Philosophorum tam veterum quam recentium, de meteororum essentia, ortu & effectibus sententiæ; quam instabiles eorum assertiones, ipsos latere non potest, qui in libris & voluminibus Philosophiæ legendis operam paulo accuratius dederunt: Cujus equidem rei ratio in promptu hominibus, ingenij acumine præditis, adesse solet; nam vbi fundamenta palatij Philosophiæ fabulosa reperiuntur, ibi structura debilis, vmbræ Chimereæ haud dissimilis, & per consequens, dubiis, probabilitatis alis statuminatis, referta turgensque est expectanda. Quid veritatis indubitatæ in philosophia spuria, ab ineptis Ethnicorum laboribus edita, est depromendum? vtpote quibus, Philosophiæ Christianæ fontem aut sacrarum literarum scaturiginem reuera penetrare, à centrali naturæ lumine, hoc est, naturæ & naturalium creatore minime concessum est? Quid Aristotelis, quid Platonis, quid Pythagoræ: quid denique Græcorum, Hippocratis & Galeni, quidque Auicennæ & cæterorum Arabum doctrina, tam Philosophica quam medica, si Bibliorum sacrosanctorum medullam recte & more mystico aut oculis Lynceis inspiciamus? Certe vapor mere præstigiosus fumusue euanescens, & inane plane figmentum. Vnde fit, vt D. Paulus nos à vana Philosophia distrahere summopere conatus sit, vtpote, in qua nihil nisi nugæ & vix probabilia, aut res vlla prout reuera est, sit elicienda; Nonne ex egregio Prophetæ documento colligimus quam sit impium & profanum, relicta veritatis via, Ethnicorum doctrinam imitari? vtpote quo docemur, minime deserendum esse totius sapientiæ fontem, & in regionibus extraneis quærere artem, scientiam, & intellectum, vt faciebant Agareni & qui erant in Theman, (Baruch.3.) quippe qui veram sapientiam nunquam agnouerunt. Et quamuis philosophorum Ethnicorum nonnullis lumen naturæ & philosophorum arcanum quodammodo reuelatum, scriptorum fide dignorum testimonio, confirmatum habeamus: tamen, quoniam diuinum illius luminis centrum, verum Christum, DEI verbum, spiritusque sancti originem ignorauerunt, ideo lumen illud diuinum præ oculis habentes, sed veram eiusdem rationem nescientes, errauerunt, atque ita euanuerunt in

imaginationibus suis. Vnde factum est, vt non Deo, soli creatori, tanti miraculi efficaciam effectusque gloriam, sed Naturæ creatæ atque elementis; ab eiusdem vtero partis atque productis attribuerunt. Hinc Idololatriæ origo, solis nempe & Lunæ veneratio, Osiridis & Isidis cultus, Saturni, Iouis, Martis, Veneris & Mercurij adoratio, Cœlo, Cereri, Vestæ, Proserpinæ, Vulcano, Plutoni & Neptuno immolationes, & infiniti alij errores, quibus homines inscientes à veri DEI IEHOVÆ contemplatione aberrare potius atque discedere persuadentur, quam vt ad perfectam creatoris sui cognitionem accedant. Hujus autem erroris causa erat diuini verbi, spiritusq; sancti operationis & proprietatis ignoratio, sacrorum Bibliorum omnis scientiæ atque sapientiæ fontis & originis; neglectus: At sacræ literæ arcana Philosophiæ sacrosanctæ, nobis Christianis reuelata habent, quibus miracula verbi; mediante Natura mundana; nobis manifestantur: Vtpote in quibus explicatum est, *Hoc verbum fuisse in principio* (*Ioan.*1.) *cum Deo, & in Deo & ipsum Deum, & quod fuerit mundi lux, in quo erat vita, & quod ab hoc verbo omnia sint facta, & sine eo nihil.* Verbi ergo cognitione vera, loquutoris naturam intelligimus, quoniam filius habet relationem ad patrem: His ergo duobus cognitis succedet protinus spiritus disciplinæ sanctæ vtpote ab vtroque procedentis reuelatio. Qui igitur nescit verbum DEI nescit omnia, *quoniam verbo Deus fecit omnia*: *Sap.*9.1. & qui illud non intelligit, veritatem intelligere non potest; quia Christus est sola veritas, verus DEVS, & vita æterna, vel, vt Apostolus vult, 1. *Corinth.*1. *DEI virtus & sapientia.* Vnde fit, vt qui ipsum non cognoscunt, res ab ipso creatas, & essentias, centraliter etiam non cognoscere possint. *Ex eo, in eo, & per eum sunt res omnes* (inquit Apostolus) *cui sit laus & honor.*

Quanta igitur est in nobis Christianis dementia, Ethnicos illos philosophiæ & Medicinæ authores instar numinum venerari, tanta sedulitate & confidentia eorum scripta legere, in tam immensa æstimatione eorum inuentiones & artes habere, tanta obstinacia eorum opiniones in Scholis publicis defendere? imo vero & ipsorũ authoritates tam stabiliter & firmiter in scriptis & disputationibus suis allegare, ac si diuinitus à cœlis & immediate ab ipso DEO in terras effusæ atque destillatæ essent? cum testentur sacra scripta, quod Christus sit sola veritas & omnis rerum veritas ab ipso, DEI virtus atque sapientia omnia docens; Quis igitur omnium Philosophorum naturam aut rem naturalem rationibus à priori demonstrare potest, qui causam rerum veram & primariam ignorat? Nonne etiam docemur, nullam esse scientiæ veritatem extra verum spiritus sancti donum, vtpote qui est solus doctrinæ & scientiæ veræ Doctor, quemadmodum è multis sacrarum literarum locis colligere fas est (Exod.28.3. Exod.31.a.2.& 35. a.30.) Hinc inquit Psalmista ille Regius *Psal.*119.99. exultando: *Omnibus Doctoribus meis intelligentior sum factus, quoniam testimonia DEI mea meditatio sunt.* Quid igitur Natura illa Aristotelica? certe aut vana aut ignotum per ignotius, cum ipse ignorabat Cupidinem, qui est verus & fulgidus totius sapientiæ spiritus, mundi lux, sapientum verorum decus, creaturarum vita, animarum mens, & rationis princeps, in rerum naturalium meditullio gubernans. Aristoteles, Plato, Pythagoras & Hippocrates magnum procul dubio in natura lumen à longe perceperunt, vtpote ab Æthiopibus, Ægyptiis, Hebræis, & quibusdam Armeniæ & Arabum, post diuturnas & longas peregrinationes, instructi, atque ita mutatis trium Moysis principiorũ nominibus, ea falso sibi attribuerunt: Quod enim Moyses tenebras seu principium potentiale fecit, Aristoteles materiam primam, Plato hylen deformem, seu speciem inuisibilem & informem, Pythagoras vnitatem, & Hippocrates Chaos deformatum, seu massam vniuersalem conturbatam vocauerunt. Quod Moyses aquas dictitauit, Aristoteles materiam secundam, Plato spiritum, & Pythagoras Diadem: Hippocrates cum Anaximene vastum & vniuersalem mundi aerem dixerunt. Sic etiam Lucem, tertium Moysis principium,

pium, Aristoteles Formam suam, Plato mundi Animam, Pythagoras Triadem, & Hippocrates illud immortale quod Calidum vocauit; quæ cum omnia essent conturbata, ad supremam illam regionem recessit, quam veteres Æthera dixere. Nonne est hic immane inter Ethnicos Doctores latrocinium, quo Antistitis Diuini principia eiusque doctrinam sibi falso & viis subtilibus arrogare non erubescunt? Et tamen nos Christiani, qui Moysis doctrinæ, imo vero & omnium aliorum prophetarum ac scriptorum sumus possessores, & quasi sacrosancto digito veraciter in iis instructi, nescio qua dementia nihilominus perciti, fontem diuinum deserentes, & veritatis speculum, tanquam lethali poculo inebriati inspicere negligentes, in præstigiosum Ethnicorum cœnum immergi haud desistimus, in Philosophiam (inquam) satis firmis fundamentis erectam, sed male dispositam quatenus variis inuentorum imaginationibus fabricatam, & concatenatam: imo vero conspurcatam & contaminatam: Quid enim præstat structuræ bases stabiles & firmas inuenire, vbi domus membra ex arundinibus seu paleis omni vento obnoxiis sunt compacta? Sectæ ergo Ethnicorum Philosophorum doctiores, tenebrosis mentis suæ oculis lucem formalem è longe perceperunt, ad profundum vero totius sapientiæ fontem, à quo effluebat illa forma, penetrare minime potuerunt: Quare pro extrema in nobis Christianis dementia est habendum, in tenebris potius versari, & ex sterquilinio & sordibus Ethnicorum, Philosophiam elicere spuriam, quam vt Philosophiæ sacræ, nudæ, veræ & lympidæ subjectum ex lucida vitæ scaturigine è sacris Bibliis exurgente hauriamus. Respuamus ergo profanos illos Ethnicorum libros & ad sacras confugiamus Patriarcharũ, Prophetarum, Apostolorũ, Philosophorum verorum atque Theosophorum mysticorum luces & reliquias, in quibus virtutes spiritus disciplinæ sanctæ (cujus est solius omnia docere) veritatem scientiarum omnium inuenienius. Meum autem erit, (Deo auspicante) in hoc meo volumine, verba de meteororum essentiis, vtpote quæ sunt rerum omnium compositarum matres; facere, Vbi etiam tam veterum Philosophorum quam recentium ipsorum discipulorum positiones & axiomata de huiusmodi imperfecte mixtis cum Bibliorum sacrorum testimonio comparare nitar, vt quid sit inter ipsas & literas sanctas differentiæ inde liquido sentiatis, & per consequens, an Biblia potius sacrosancta, seu vana philosophorum Ethnicorum, & Christianæ ipsorum sectæ scripta incerta, & dicta à veritate aberrantia sint amplectenda, eliciatis velim.

Totius vero istius nostri voluminis scopus est indicare, quod meteora à Deo in mundum more mystico indies producta sint, causæ immediatæ tum sanitatis atque restaurationis & conseruationis cum morborum & interitus tam in Macro: quam Microcosmo, quod quidem testimoniis ex sacro sancto fonte deriuatis comprobare, atque humeris Atlanticis sustinere aggrediar. Hinc igitur meteororum tam bonorum quam malorum principia, differentias, causas, & prognostica simul atque effectuum pessimorum curationes, à profunda Bibliorum atque theosophorum seu Doctorum Hebræorum & Ægyptiorum scatebra elicere atque expiscari, & pro ingenii mei tenuitate reuelare mundoque publicare, lumbis veritatis cingulo accinctis, fausto & propitio numine fauente, conabor.

SECTIONIS PRIMÆ PORTIONIS QVARTÆ, PARTIS PRIMÆ DE PRIMARIIS METEORORVM PRINCIPIIS LIBRI PRIMI CAPVT PRIMVM.

In quo variæ philoſophorum tam veterum quam recentiorum opiniones de Meteori nomine eſſentiaq; pertractantur.



QVamuis per integrum tractatus noſtri phyſici librum ſeptimum de variis meteororum naturis tam phyſicis quam metaphyſicis, atque etiam per totum partis tertiæ ſectionis primæ portionis ſecundæ, De præternaturali vtriusque mundi hiſtoria filum, verba ſatis copioſa fecerimus, hoc nihilominus in loco inquiſitione paulo accuratiori ad eorum centra penetrare me cogit profunda ſubjecti huius præ manibus verſantis ſpeculatio atque inſtituti noſtri neceſſitas. Nam quicunque ad meteororum meditullia penetrare cupit, & non tale tandem negotium ad exitum felicem perducere tentat, ille quidem non ad minimum DEI & naturæ arcanum ſe pertigiſſe fatebitur. In primis igitur, priusquam in profundum tantæ difficultatis opus deſcendam, quid Philoſophi tam Veteres quam recentiores de generali meteori appellatione, eſſentia, & origine excogitauerint, verbo quidem & luculenter expediam.

Græci nomen meteori à ſublimitate poſitionis eiusdem in regione aeris impoſuerunt: At à noſtratibus impreſſiones ideo nuncupantur meteora, quoniam vt plurimum illa in ſublimi, hoc eſt, in altis aeris regionibus imprimi atque formari videntur, At vero hujusmodi eorum appellatio iis non ab eſſentia ſeu conſtitutione, ſed ab eorum ſitu potius attribuitur: reſpectu vero ipſorum conſiſtentiæ à philoſophis corpora dicuntur imperfecte compoſita & imperfecte miſta, vel (vt nonnulli volunt) propter ſubitaneam ipſorum generationem, vtpote quæ in inſtante quaſi ſeu temporis momento formari obſeruantur. Alii volunt, quod corpora imperfecte compoſita ideo dicantur, quoniam eorum compoſitio non videtur fieri ſecundum ſubſtantiæ mutationem, & juxta qualitatum alterationem. Quidam ea imperfecte miſta dicunt, quatenus corporibus animatis & perfecte mixtis comparantur: Denique ſunt & alii, qui aſſeueranter dicunt, impreſſiones has ideo mixta imperfecta dictitari, quoniam in iis forma perfecta non acquiritur, nec magna partium alteratio in huiuſmodi compoſitione inuenitur, ſed quia partes leuiter alteratorum inter ſe confunduntur: Atque hæc eſt ratio cur huiusmodi imperfecte miſti partes tam facile diſſipentur ab inuicem & in ſua elementa primaria diſſoluantur, ex quibus antea nulla perfecta miſtione vel transmutatione facta, fuerunt coagulata.

Quod autem ad harum impreſſionum exiſtentiam attinet, omnes duo ad eam requiri conſentiunt; Vnum videlicet in quo fiunt, & eſt aer quaſi medium ſeu ſpiritus mundi infimus, qui eſt meteororum omnium matrix; aliud ex quo, & concludunt illud eſſe vaporem ſeu vt alii volunt, fumum, vel à terra vel ab aqua fundamentaliter exurgentem, in quo motu ſurſum verſus, calorem cæleſtem, magis principalem & primario agentem & illum aerium ſecundario fecerunt: deinde materiam iſtam ita ſurſum eleuatam per naturam coaguli partim cæleſtis partimque elementaris coadunari & informari ſentiunt.

In cauſa tamen materiali nonnulli diſcrepare videntur, cum vnus vaporem tantum eligit pro vniuerſali meteororum materia, alii vero vaporem & exhalationem ſubiecta eorum materialia eſſe aſſerunt, dicentes, vaporem eſſe calidum & humidum: Vnde meteora aquea ab eius ſubſtantia procedere credunt, at vero impreſſiones ignitas ab exhalatione ideo prouenire volunt vtpote quæ juxta ignis naturam eſt calida & ſicca, atque hinc loco vaporis fumum fecerunt communem meteororum materiam, quippe qui cum de cuiuslibet elementi natura participet, eſt nonnunquam calidus & ſiccus, & quandoque calidus & humidus, vnde materia eius eſt tam apta ad impreſſionum aquaticarum, quam ignitarum procreationem: At vero Robertus Lincolnienſis, authoritate Ariſtotelis ſtipatus, exhalationem ſub vaporis dimenſione concludere videtur, vtpote quem iuxta dicti Ariſtotelis ſententiam tripartitam eſſe ſtatuit, videlicet, calidum & ſiccum, calidum & humidum, atque frigidum & humidum: quorum priorem à terra vel terreo, poſtremum ab aqua vel aqueo, atque medium ab vtroque ſed aqueo dominante materialiter extrahi aſſeuerauit; Hinc ergo erat, quod vaporem definiuerit ſubſtantiam ſubtilem ab vno aliquo vel duobus elementis inferiori-

fetioribus deriuatam siue exhalatam, ab actione cælesti subtiliatam, & ad aliquod trium aeris interstitiorum sublimatam. Qui vero fumum generalem posuerunt huiusmodi impressionum materiam, eum ex aqua vel terra orientem fecerunt, atque ob hanc causam fumum duplicem finxerunt, Vaporem scilicet & Exhalationem: quorum illum fumum calidum & humidum, aquaticum, non inflammabilem, ex terra & aqua ortum dixerunt: hunc fumum calidum & siccum, terrestrem, inflammabilem, & à terra euocatum. Causas igitur materiales remotas terram dixerunt & aquam, vaporem vero & exhalationem propinquas.

At vero vt ad philosophorum de causis meteororum efficientibus sententias perueniamus, inueniemus etiam inter eas discrepantiam haud exiguam: cum eorum nonnulli efficientes impressionum causas calorem & frigus esse sint opinati; atque huiusmodi calorem effecerint duplicem, loci videlicet & solis, atque iterum solis calorem euocantem distinxerint in illum, qui euocat & eleuat fumos de terra vel aqua extractos; vel adurentem, qui adurit fumos, secundum directionem vel indirectionem radiorum solarium eleuatos. Etiam frigus duplicis conditionis effinxerunt, videlicet loci & externum: atque iterum externum fecerunt constringens & prohibens: constringens dicunt illi poros terræ, & superficiem, quæ constringit, ne radij solares è longo accedentes possint fumos extrahere, atque hanc asserunt esse rationem, cur pauca sint meteora ignita hyemali tempore; at vero aquaticorum (qualia sunt pluuiæ & niues) plura & copiosiora. Alii nullam de frigore mentionem facientes, cœlum, lumen solis, & stellarum reliquarum & præcipue occultas planetarum influentias meteororum causas efficientes posuerunt, hocque secundum varios ipsorum situs, habitudines, & coniunctiones, impressiones diuersas, atque differentes more occulto proferentes. Quidam abditam aeris caliditatem cum illa cælesti coadiutorem ad huiusmodi mista imperfecta producenda supposuerunt, atque ita varii varias meteororum causas effectrices secundum ipsorum phantasias differentes produxerunt, quorum omnium sententias suo loco ad examen Lydium seu igneam probationem, diuino numine assistente, proferemus.

Causam impressionum harum formalem, mediante qua aliæ atque aliæ figuris diuersis ornantur, pro diuersitate loci, motus materiæ atque caloris efficientis variam agnouerunt.

In ipsorum etiam de finali meteororum causa sententiis admodum sunt anxii & incerti in Philosophia naturali versati. Tamen eorum omnes ab euentu & experientia docti, duplicem agnoscunt meteororum in natura effectum, videlicet bonum & salutarem, & malum atque insalubrem. Nam obseruatione didicerunt, finalem horum effectum ad animantium Plantarum atque aliorum corporum salutem vniuersalem, ac etiam cuiuslibet particularis commoditatem tendere, & se expertos esse fatentur, vnumquodque eorum suam virtutem manifestam & occultam habere, vt pluuiarum officium terram irrigare atque pinguefacere, Cometarum corruptos atque venenosos aeris fumos absumere &c. Quod etiam pessimos & lugubres nonnunquam sortiantur effectus, nos docent non modo Astrologorum peritiores, sed & in philosophiæ vulgaris cæno immersi: vtpote quos praxis quotidiana instruxit, quam graues inundationes à pluuiis immoderatis sint productæ, quantumque terrorem belli, famis atque pestis portendat Cometa, quod etiam de cæteris meteoris tam aquosis quam ignitis, secundum suæ molis & qualitatis dispositionem, diiudicandum erit. Imo vero, teste Ptolemæo, meteora obscuriores habent significationes, cum ad mundi inferioris & creaturarum eiusdē beneficium tum maleficium, quam ipsæ stellæ, quas nihilominus ab hominibus prudentia præditis aliquo modo sobrie animaduerti & iudicari posse fatetur.


Huiusmodi ergo sunt Philosophorum, tam antiquiorum quam recentiorum, de generali Meteororum Esse & existentia opiniones, quas quidem si cum sacræ paginæ sensu diligenti obseruatione comparauerimus, clare percipiemus, seu in publicum facillime producetur, an aliqua sit inter ipsam & illas relatio necne? nam quicquid à fonte totius veritatis dissonare videtur, falsum est atq; præstigiosum.

Cap. II.

De Naturæ principiis in genere, secundum institutum nostrum.

Rerum naturalium principia in genera duo sunt diuisa, in simplicia nempe & mixta, iterumque simplicia in substantialia atque accidentalia partimur. Ea vero substantialia appellamus, quæ per se subsistunt, accidentalia vero qualitates dicimus, quarum essentia est, substantiæ alicui inesse. Quæ autem substantialia sunt, ea vel facimus absolute simplicia, vel comparate simplicia, hoc est, quæ immediate à simplicibus oriuntur; substantialia autē absolute simplicia immediate in creationis initio à potētia diuina effluxerunt, vt lux & aquæ è tenebris. At vero simplicia à simplicibus orta dicuntur elementa quæ notione magis generali ad simplicium imitationē tria tantummodo statuimus: videlicet ignem à luce, sphæram humiditatis ab aqua, atque terram à tenebris. Simplicia au-

tem accidentalia illas appellamus qualitates actiuas, quę tanquã effectus ab oppositis oppositorum principiorum simpliciũ actionibus deriuantur, suntq; numero duæ, Caliditas nempe, à lucis motu scaturiente, & Frigiditas à tenebrosa voragine caloris, insultus repellendi gratia, emissa: Simplicia autem accidentia, de simplicibus ab horum simplicium actionibus oppositis propagata, humiditatem nuncupamus atque siccitatem. Ex his igitur principiis tam materialibus quam formalibus, mediantibus illis accidentalibus quæ ab iis emerserunt, more physico creatus est mundus, atque firma eorum permanentia, sine alteratione euidenti, vsque ad vltimum donec pereat in eodem statu permanebit. At vero in Microcosmo cum cæteris mistis perfecte res aliter longe se habere dignoscitur, hocque respectu principiorum suorum imperfecte mistorum, quæ propinquiora sunt ipsorum initia: vtpote quibus datum est assiduis mutationibus alterari, quatenus in perpetuo sunt, vel ad generationem vel ad corruptionem motu, quemadmodum infra suo loco clarius demonstratum est. Principia ergo mixta sunt vel primaria, videlicet quæ à substantialibus naturæ principiis secundi ordinis ab elementis nempe immediate & proxime abstrahuntur, & huiusmodi duo à Philosophis esse recensentur, Vapor scilicet & Exhalatio; vel secundaria, hoc est à primariis immediate profluentia, cuiusmodi sunt Meteora seu imperfecte mista, ex quibus corpora composita immediate producuntur, & mediantibus quibus in primaria iterum elementa sua dissolutione resultant: Hæc autem principia methodi succinctioris causa hunc in modum contraximus.



De his autem omnibus fusius (Deo volente) idq; separatim agemus, vt via planiori ad effectus Macro & Microcosmi cum salubres & naturales, tum insalubres & præternaturales perueniamus.

Cap. III.

De absolute simplicibus rerum naturalium substantiis seu Meteororum tam Macro quam Microcosmicorum principiis primariis.

QVoniam alibi abunde de principiis Mosaicis (quæ nos in Philosophia nostra vti etiam Philosophos omnes reuera Christianos decet sequimur) videlicet vti per totum librum primum

physicæ

physicæ nostræ Macrocosmi historiæ, & tum postea lib. 9. tract. 1. Capite 9. de Naturali Microcosmi historia. Ac denique capitibus primo & quinto libri primi sectionis primæ, portionis primæ partis secundæ, De cabalistico & physiologico vtriusque mundi discursu, vbi agitur de primariis Naturæ elementis, atque etiam partis 3. Sect. 1. Portionis 2. Capite 1. eiusdem discursus, vbi tertiana Macro & Microcosmi principia discutiuntur luculenter explicatum est, mihi quidem hoc in loco propositum est, ea ipsa leuiter hocque memoriæ recentioris & methodi certioris gratia remetiri & recitare. Dicimus ergo secundum Antistitis Moysis doctrinam tria esse principia rerum omnium & consequenter meteororum primaria, videlicet Tenebras Lucem & Spiritum intermedium de vtroque participantem; nam eius pars sublunaris terræ & tenebris magis familiaris est, vnde fit, vt assiduis alterationibus sit obnoxia, Pars vero eius empyrea & supercælestis maius cum fonte lucido consortium vtpote quæ erat lucis primo die creatæ receptaculum, & super quam spiritus DEI mouisse fertur, habere animaduertitur: media denique eius portio de vtroque extremo æqualiter participat: atque ob hanc causam, sphera æqualitatis, quæ est orbis solaris, vel potius via, per quam Sol quotidie transit, in eiusdem meditullio delineari à Platonicis haud inconsulte traditur. Vnde æther dicitur. Hunc spiritum mundanum Moyses aquas nuncupauit, subiectum quarum est materia secunda à visceribus tenebrarum deformium (quæ sunt prima seu potentialis ipsius materia) exurgens. Huius partus procurator seu obstetrix benefica erat virtus illa ignea, quæ emanabat à spiritu domini, quæ erat amor ille igneus, mediante quo, materia potentialis & in deformibus chaos seu hylæ visceribus delitescens in actum aquarum reducta est. Est ergo Aqua tenebrarum DEI latentis filia, Lux vero virtutis seu splendoris diuini hoc est DEI patentis soboles: obstetrix vtriusque est Verbum seu Spiritus diuinus. Hinc dixit sapiens, *Mundum ex informi vel* (vt Hieronymus habet) *inuisa materia creasse DEVM, Sap.* 11. 18. & D. Petrus dicit, *quod cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam, consistens DEI verbo, 2. Pet.* 3. 5. Vnde liquet; quod prima mundi materia esset materia informis, quæ à Moyse *tenebræ* seu *tenebrosa abyssus*, vocata est, & secunda eius materia erat aqua, ex qua tum postea cœlum & terra erant facta, & horum omnium miraculorum effector seu operator erat Verbum cum Spiritu Domini Psal. 33. 6. Atque hinc est quod Psalmista regius sic canit: *Verbo Domini firmati sunt cœli, & Spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* Hic igitur à sacris literis habemus confirmatum principium potentiale seu priuatiuum, videlicet tenebras seu materiam deformem & inuisam: quare dictum est, quod terra esset inanis: habemus & principium positiuum, videlicet Lucem seu effectum virtutis diuinæ, cuius præsentia materia inuisa, deformis & potentialis, visibilis & actiua est facta; habemus denique, vtriusque subiectum seu obiectum intermedium videlicet aquam, ex qua cœli & terra sunt fabricata, mediante forma.

Hinc est quod naturales Philosophi describenres entium latitudinem, faciunt in eius cacumine actum purum absque materia, in imo materiam sine forma, tenebras nempe, intermedia omnia admixta demonstrantur ex forma & materia: Videlicet aqua admixta luce viuificante, quam ob causam & nos Pyramidum nostrorum formalium & materialium originem concepimus. Ex his ergo liquet, quod terra nihil aliud sit, quam aqua spissa & fæx quasi spiritus, post eius à deformi chaos extractionem remanens, aer vero vniuersalis aqua tenuis & subtilis, seu inuisibilis spiritus a chaos extractus, intermedia denique aquæ substantia de vtroque extremo participans est aqua visibilis, marina, fontana, fluuiatilis, quæ in eo, quod spissior est & tardior, in suo motu & ponderosior quam aer, apparet habere cum terra commercium; at vero, quatenus limpida est, & mobilis, & non ita ponderosa quam terra, eatenus de aeris natura gustare, & à terræ legibus distare videtur: Cum igitur D. Petrus dixerit *cœlum & terram de aqua & per aquam verbo DEI constitisse*, per cœlum aerem vniuersalem intelligebat, cuius basis est aqua visibilis, perque terram omnia tenebrosa & opaca & densa innuere videtur, sed horum principiorum ordinem optime denotant quoq; illa Geometriæ corpora regularia. Vbi Cubus definitur extremum esse & amplissimum corpus, quia primogenitum, & rationem habens totius.

Hoc ergo corpus à Philosophis occultioribus pro chaos seu hyla, seu materia opaca tenebrosa & deformi habetur, ex cuius gremio seu vtero tam lux quam aqua sunt egressa, formale scilicet & materiale rerum omnium principium. Hoc est PAN, seu vniuersalis natura ex deformi chaos partu Virgineo producta. Cumque dixere Philosophi Tetrahedrum esse primum genitum ex cubo, intellexerunt ignem seu formam lucidam primariam ex tenebris immensis fuisse egressam, quasi ex corpore maximo & opacissimo, nam tunc immediate lux formalis in natura humida apparebat, tunc inquam spiritus domini ferebatur super aquas, igneum illis vigorem impertiens, cui successit primi creationis diei complementum: atque ita iuxta illud sapientis, *Creata erat sapientia ante omnia, Eccles.* 1. hoc est lux diuina prius ante vllam creaturam emicuit è tenebris, quod etiam & rex Salomon confirmare videtur in his verbis. *Sapientiam possidebat Iehoua principio viæ suæ, ante opera sua, ante vllum tempus: ante principium terræ; cum nullæ essent abyssi edita eram* (inquit Sapientia,) *cum nulli essent fontes, cum fortificaret DEVS superiores nubes, cum aptaret cœlos ibi eram, cum statueret ambitum in superfi-*

ſuperficie abyſſi, quando firmabat cœlos deſuper, &c. Prou. 8.22. atque ita DEVS latens factus eſt DEVS patens, cuius ſplendoris diuini effectus in humida, ſeu aquea natura erat lux creata: habemus ergo ex hoc partu Tetrahedron ſeu ignem primum Cubi ſeu patris ſui tenebroſi genitum. Deinde ex Viſceribus Tetrahedri ſeu illuminato ſpiritu, Dodecahedron extrahitur: nam creato ſpiritu lucido primo die ex eiuſdem vtero ſeu matrice Cœlum ſeu Expanſum creatum fuit ſecundo creationis die, vt teſtatur Moyſes, atque hoc Dodecahedron ex ſuperficiebus peritagoneis eſt formatum, atq; ob hanc rationem (vti puto) cœlum dicitur quinta eſſentia, inde arguendo elementum quintum à quatuor illis ſublunaribus diſtinctum. Opus autem tertii diei eſt congregatio aquarum ſpiſſarum ſeu ſenſibilium in locum ſibi à Deo deſtinatum, quarum ſymbolum eſt Icoſaedron, è cuius ventre aer ſtatim euolauit, cuius ſymbolum eſt octohedron, nam aqua fuit aer ſubtiliatione. Reſiduum autem Cubi obſcuri in terram reſidebat, atque ita illud terræ fertilis nomen jam obtinebat, quæ antea à Moyſe terra eſt dicta inanis. Ad imaginem ergo horum trium principiorum, videlicet, tenebrarum, aquarum, & lucis, in tria diuiſus eſt elementa integer mundi ſpiritus, natura & diſpoſitione ab inuicem differentia; videlicet in Terram; in Sphæram humiditatis, & in Ignem, quemadmodum in libro ſecundo Hiſtoriæ noſtræ Macrocoſmicæ ſatis ſuperque explicatum eſt.

Ex his igitur quæ in hoc loco explicata ſunt, tanta facta eſt inter Philoſophorum veterum principes de rerum naturalium principiis diſcrepantia, quorum nihilominus opiniones non multum ab inuicem differre videntur. Si rem paulo accuratius conſiderauerimus: Nam Thales Mileſius Aquam rerum omnium principium poſuit, Anaximenes dixit aerem infinitum eſſe exiſtentiæ rerum cauſam, vnde & Anaximander aerem fecit DEVM. At Zoroaſter omnia ab igne ſeu luce facta eſſe autumauit, Et Pythagorici ignem vnicum per totum eſſe dixerunt.

Ac certe vt dictum eſt, ſi rem bene conſiderauerimus hos non multum à via erraſſe inueniemus: Nam ignis primum è tenebris egrediens inuiſas ſubito ſuo ſplendore reuelauit aquas, quarum Vaſtum ſubtile eſt aereus ſpiritus, vnde tam Thales quam Anaximines in vnum quodammodo conuenire videntur. At vero hi ambo non niſi principium materiale ſeu paſſiuum explicauerunt: Sed Zoroaſter ignem cæteris præferens, ipſum principium primarium haud immerito dictitauit, vtpote quod præcedebat materiam humidam, non aliter quam actio paſſionem, aut actus rem in actum producendam: Et tamen ipſe quodammodo errauit, quoniam principium actiuum eſſe non poteſt, niſi quatenus relationem haber ad principium paſſiuum.

Vnde dixit D. Petrus *cœlum & terra facta ſunt de aqua & per aquam mediante verbo*, hoc eſt agente, ſeu actu primo. Hinc ergo ſermone maturiori locutus eſt Diogenes de rerum principiis, dicens; aerem diuinæ rationis compotem, eſſe rerum principium: hoc eſt, aerem ſeu naturam humidam creatam, & lu em diuinam: ac ſi cum Moyſe voluiſſet dicere, ſpiritus domini vectus ſuper aquas cum aquis fuit rerum creatarum principium. Et Zeno Stoicus hiſce in opinione ſua cautior, ſententiam ſuam de principio firmiorem facere tentans, dicit, Ignis ſubſtantiam per aerem in aquam conuerſam eſſe rerum omnium principium. Ac Empedocles more groſſiori progrediendo, quatuor elementa pro rerum omnium principiis ſtatuit. Horum denique omnium error erat in ſuo de principiis iudicio immanis, quod diuinam potentiam ſeu verbum ſacroſanctum horum omnium initium antiquius eſſe non animaduerterunt: Quod quidem ſi meditatione maturiori intellexiſſent, dicerent cum Zoroaſtro rationibus à priori inſtructis, lucem diuinam fuiſſe Monadem ſeu rerum omnium authorem primarium, quippe quæ eſt actus & formarum fons & origo, cuius reuelatione numerus Dias eſt productus, videlicet cum Monade lucida Monas tenebroſa quæ erat aqua.

Cap. IV.

De ſimplicibus meteororum principiis accidentalibus, hoc eſt, de binarum qualitatum naturæ actiuarum ortu, & quomodo binæ qualitates paſſiuæ (quas ideo ſimplices de ſimplicibus vocamus) ab iiſdem deriuentur.

DE qualitatibus iſtiusmodi & de ratione originis earum cap. 7. l. 1. de Phyſica noſtra macrocoſmi hiſtoria verba fecimus ſatis ampla: Hic tamen & pauca de ipſis dicere operæ pretium fore exiſtimamus: Vtpote quarum effectibus progreſſio tam in elementorum incraſſatione, quam ſubtiliatione facta eſt à principiis prædictis, ad principiata, tam imperfecte quam perfecte miſta, homogenea congregantur, digeruntur, maturantur, fixantur, atq; ad perfectionis metam perducuntur, atq; etiam heterogenia inciduntur, diſgregantur, diſſipantur, atq; pelluntur & reuerberantur, quod quidem officium complet caliditas, quatenus à ſpiritu omnium nobiliſſimo & ſubtiliſſimo imme-

immediate deriuatur. Tam heterogenea quam homogenea etiam à frigore congregantur, restringuntur, condensantur, resque eiusdem naturæ agglutinatione obscuræ & tenebrosæ secundum magis & minus redduntur, quemadmodum loco superius citato luculenter & copiose explicatur; Dicimus igitur, quod cum duæ recenseantur tam à sacris scripturis quam à Philosophorum doctrina qualitates agentes, totidemque patientes ab agentium actionibus intermediis prouenientes, nostrum erit scire, quod vt calor sit immediata lucis creatæ soboles, & nihil aliud quam ipsius motus lucis seu aeris lucidi seu ignei effectus, sic etiam viceuersa frigus esse immediatam tenebrarum propaginem, quæ excitatur, & de potentia in actionem inuoluntariam quasi & coactam reducitur virtute calidi à fonte lucido scaturientis: ita vt frigidi vita seu actus sit in caliditatis actu, eiusque actio est quasi aduentitia, & non naturalis, quippe quæ creatione hoc est resistendo fieri atque procreari solet, nam vt propria tenebrarum vita est quies, quemadmodum in natura tenebrosæ terræ videre liceat, sic etiam frigoris naturæ, vtpote ex tenebrarum ventre exsilientis, est quiescere & minime moueri, nisi caliditatis insultibus resistendi causa vrgeatur. Atque hinc factum est, quod vt empyræa mundi & ignea elementorum sphæra est calidissima, ita etiam horum, centrum quatenus tenebrosa terræ sedes & à circumferentia remotissima est, frigidissima sit, nam vt lux omnimodo est tenebris tam aspectu quam qualitate opposita, sic etiam & qualitates ab iis exilientes sunt sibi inuicem valde contrariæ: Vnde lucis radii deorsum tendentes in terram & aquam suo calore assidue agere obseruantur in densa & tenebrosa subtiliando. Ad huius ergo actiones repellendas terra protinus atque aqua frigidos suos vapores à calore exagitatos emittit, mediantibus quibus vires caloris persequentis reprimuntur & repercutiuntur.

Ad duarum autem qualitatum passiuarum originem quod attinet, idem hoc in loco describimus, quod capite 7. lib. 1. De physica Macrocosmi historia superius allegata expressum est, videlicet quod ex concursu actionum qualitatum duarum prædictarum, calidi videlicet ab extremo igneo agente, & frigidi ab extremo terreo resistente, temperatura seu qualitas tertia in motu medio seu medietate inter hos duos terminos oppositos procreetur, quæ tam de natura terrea quam de illa ignea participat, vnde nec intense calida est, nam caliditatis acumen obtunditur vi frigoris resistentis, nec intense frigida, quoniam in media via frigiditatis resistentis vigor à caliditate persequente deprimitur, vnde necesse est, quod ista procreata qualitas sit aliquod tertium, & per consequens nec calidum & siccum nec frigidum & siccum, sed intermedium inter has duas naturas, hoc est concursus ex duobus medium humidum producens, subtilis enim mundi spiritus oppositis huiusmodi agentis & resistentis qualitatum actionibus in medium appositione quadam homogenea in humidam naturam transit, nam hac via producta est substantia mundi materialis seu passiua, videlicet actione lucis increatæ & resistentia tenebrarum deformium, quarum contrariarum actionum effectu producta est natura vniuersalis humida seu aqua, ex qua cælum & terra sunt tum postea procreata. Hæc ergo est ratio, quod natura mundi humida sit passiua, & consequenter quod eius qualitas etiam patiatur, vtpote quæ ab effectibus qualitatum actiuarum duplicis conditionis producuntur, atque ita a natura sua apta est actiones tam frigoris quam caliditatis pati: Nam experientia docemur, quod vt naturæ caliditatis est humidum subtiliare & dissipare, atque etiam ab illis locis vbi est euocare, ita etiam è regione frigoris est officium humidum condensare, congregare, atque constringere. deorsum centrum versus retrahere, & in locis infimis retinere: media iterum aeris regione frigore nubes condensantur & vniuntur, at caloris facultate in aerem vel pluuiam dissipantur: ita vt luce clarius videre possimus, quod vt qualitas humiditatis mutua qualitatum primariarum actione & resistentia producitur, ita etiam ipsa ordinata est vtramque eorum actionem pati. Hinc ergo est, quod vt duæ prædictæ qualitates sunt primariæ & immediate cum luce & aqua in mundum productæ, ita ab Artesio haud inepte simplices qualitates dicantur, quemadmodum tam humiditas quam siccitas simplices à simplicibus nuncupantur, quippe quæ à mutuis ipsarum simplicium actionibus producuntur. Nam siccitas in sua natura nihil est nisi respectu humiditatis, quoniam vbi abest humiditas ibi siccitas abundare dicitur. Atque ob istam rationem recte definitur siccitas nihil aliud esse nisi humiditatis absentia. Vt igitur naturalis humiditatis positio est inter terram & ignem vel tenebras & lucem, ita etiam sedes siccitatis est in vtroque extremo, videlicet in terra vel tenebris, vbi maxime abest caliditatis effectus, qui necessario concurrere debet ad humiditatis generationem, vel in igne, seu luce primaria, vbi abest frigoris resistentia, cuius etiam virtus ad humiditatis essentiam requiritur: Atque hoc modo quatuor productæ sunt rerum qualitates primariæ, ex quarum ordinationibus varia in mundo elementa procreantur, vt infra latius ostendemus. Has autem qualitates Hippocrates, Galenus, & Auicenna primaria medicæ suæ Artis principia statuerunt.

Cap. V.

De progressione in Natura quæ facta est à principiis hisce primariis ad trium Elementorum fabricam: quæ sunt secundaria rerum Naturalium principia.

PRoductis itaque qualitatibus hisce simplicibus, & quæ ab iis deriuantur à prædictis Naturæ principiis, naturæ motus tum postea ad principiorum secundariorum generationem, quæ elementa dicunt, immediate tendit, atque in hoc simplicitatis termino quiescere videtur Natura in absoluta sua mundi fabricatione, ita vt in huiusmodi statu vsque ad vltimum pereat, sine vlla mutatione euidenti aut alteratione permansura sit: At vero quæ his ordine naturæ succedunt, tam ad corporis perfecte misti generationem, quam ad eiusdem corruptionem in hoc mundo sublunari mutationibus quotidianis & alterationibus sunt obnoxia, & nunquam in eodem statu diu quiescere possunt, atque hæc meteora seu imperfecte mista dicuntur, quæ haud inconsulte principia tertiana fecimus, vti suo loco declaratum est, in Parte 3. Sect. 1. Port. 2. De physiologico vtriusq; mundi discursu, & infra copiosius explicabitur: De his igitur principiis mutationi obnoxiis simul atque illis simplicibus, de simplicibus minime corruptibilibus intelligebat Sapiens, vbi in hæc verba loquitur: *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat*, arguens inde elementa esse immutabilia, hoc est, non in primaria sua principia resoluenda, at Generabilia omnia cuiusmodi sunt meteora & ex iis procreata esse alterationibus obnoxia. Vt igitur in primo creationis momento tria se obtulerunt in mundi creatione principia, videlicet tenebræ seu Chaos, Lux, & Aqua: Ita etiam in horum principiorum secundariorum productione tres dictæ aquæ vniuersalis partes ab inuicem natura & qualitate distinctæ concurrere videntur, quarum quælibet ad quodlibet prædictorum primariorum principiorum relationem habet propinquissimam. Harum autem naturæ sublunaris humidæ portionum suprema luce & caliditatis eiusdem actu beneuole inflammatur, & quoniam caliditas à lucis motu excitatur vehemente (est enim lux omnibus rebus mobilior, vti cap. 1. lib. 1. Physicæ nostræ de Macrocosmo historiæ vbertim inuenietis) & istius natura est subtiliare & discutere naturam humidam, ideo à sua regione deorsum pellit humiditatem aquarum illius loci: Vnde fit, vt locus iste sit siccissimus; Porro etiam vapori illo humido ita deorsum pulso ad tenebrosum terræ locum naturaliter tendere denegatur, quoniam de caliditate lucis participat, quæ omnimodo contraria est tenebris terrestribus & frigori ipsorum. Vnde factum est, vt inter hæc duo extrema sphæra humiditatis amplissima congregetur de vtroque quodammodo participans; atque hinc inde euenit, vt huius sphæræ basis ob eiusdem cum terra commercium & propinquitatem incrassetur & visibilis reddatur, & à terra frigidam suam dispositionem mutuam habeat; vnde fit, vt ista huius sphæræ portio frigida & humida dicatur, quemadmodum viceuersa pars orbi lucido seu igneo vicinior subtilissima est, & non ita humida quam media eiusdem portio, quæ nihilominus cum tota inuisibili portione humida & calida dicitur. Atque hinc est quod Philosophi tam veteres quam recentiores diuiserint istam sphæram in duo distincta elementa quæ aquam & aerem fecerunt, sed meum me fert hoc in discursu institutum, hæc duo non nisi pro vnico elemento habere humido, quod sphæram humiditatis appellamus, & hoc modo tria hæc principia melius ad trium illorum priorum normam & ordinem disponamus: Non enim dixit Moyses: diuisit aerem ab aqua; sed diuisit aquas ab aquis: &c. Sphæram igitur hanc humiditatis ad aquas creatas ordinamus, & quemadmodum in prima creatione, spiritus domini seu amor igneus ferebatur super aquas, sic etiam orbis lucidus seu ignis fertur super hanc sphæram. Terra denique quod est infimum ex principiis secundariis, tenebris comparatur, imo vero est ipsarum tenebrarum in centrum vniuersi congregatio. Vnde & frigidum suam sobolem in visceribus suis ad quamlibet calidi lucis filii inuasionem oppugnandam paratam habet.

Huc vsque igitur perventum est ad Macrocosmi fabricæ complementum, videlicet à circumferentia vmbrarum deformium ex infinitis tenebris diuisarum, ex quibus mundi materia humida seu aquea, emersit ad periferiæ centrum vsque, in quo tenebræ omnes resederunt.

At vero ne hæc à me ficta & à proprio meo cerebro inuenta putetis, quæ iam de primorum principiorum productione & qualitatum primordialium procreatione, (quæ qualitates ipsis principiis tanquam pedissequæ inseruiunt,) ac etiam de trium Elementorum ab iisdem, tanquam principiorum secundariorum origine à nobis sunt prolata, diligenti intuitu & speculatione aliquantulum accuratiori obseruetis velim, quomodo hæ meæ assertiones tam sacrarum literarum quam in Theosophia & Cabalarum mysteriis peritiorum assensu defendantur, & humeris quasi Atlanticis stipari videantur.

Cap.

CAP. VI.

In quo prædicta nostra principia tam primaria cum pedisequis suis, quam secundaria varijs cum sacrarum scripturarum tum cabalistarum & philosophorum testimoniis statuminantur.

QVamuis tria hæc nostra principia & ea quæ ab iisdem procedunt luculenter satis ex prædictis & ex nonnullis sacrarum literarum locis demonstrentur, tamen, vt tam inuidorum quam ignarorum ipsis contradicentium obiectiones fundamentaliter auferam, quædam alia ex Biblio sancto testimonia ad principia ista primaria confirmanda producemus. *Reuelat* (inquit Iob) *fundamenta è tenebris, & deducit in lucem vmbram lethalem, Iob.12.22.* Quo sermone arguere videtur, quod DEVS aquas, quæ (iuxta D. Petri sententiam superius allegatam) erant materia seu subiectum fabricæ mundanæ, eduxerit à tenebris, ita vt aqua, quam vmbram lethalem appellauit, quatenus erat omni forma seu aspectu destituta, in lucem suo splendore iam patefacto reducta sit, hoc est formam habuerit aquarum, Vnde dixit Moyses, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hic ergo agnoscit Iob tenebras esse subiectum materiæ mundanæ, & ipsum DEVM seu lucem diuinam esse causam tanti miraculi efficientem: Tenebræ autem erant materia prima, fundamentum reuelatum seu aqua, materia secunda de potentia in actum reducta, & lux erat principium formale, quod quidem ab effectu declaratur. Nam ad vlteriorem rei manifestationem dictum est, *& educit in lucem vmbram lethalem Iob.26.7.* Porro in eodem authore legimus, *Aquilonem extendit DEVS super inane & vacuum*, inde arguens, quod spiritum visibilem & actualem extenderit in plaga Aquilonari, vbi nihil præterquam tenebræ deformes erant: Et quidem notandum est, quod frigora ab hac plaga spirare videantur, quæ sunt tenebrarum soboles, propter loci tenebrositatem. Vnde mentionem fecit, non de Meridie, nec de Oriente aut occidente, sed solummodo de Aquilone: Sed de hoc infra; Denique vt idem Saxum iterum voluamus, apud Sapientem inuenimus, Sap.11.18. quod manus omnipotentis mundum ex informi materia (vel vt Hieronymus vult) ex inuisa materia creauerit, vnde apparet, quod prima mundi materia fuerit informis atque inuisibilis, hoc est tenebrosa, ex qua nihilominus in actum virtute & quasi manibus DEI redacta, hoc est, lucis ineffabilis aspectu mundus erat fabricatus, Hic ergo habemus materiam informem pro primo & potentiali principio, habemus etiam istam materiam in actum productam, quæ teste D. Petro erat aqua, & habemus DEVM operatorem, qui est lucis pater atque fons, vnde sequitur, quod eius aspectu seu virtute lucida, vel vt hoc in orationis filo loquitur author, manu ipsius tanquam formali principio & actu primo, sit operatus. Præterea in Deuteronom. hæc scripta habemus: *dixit Iehoua toti congregationi vestræ in monte, è medio ignis nubis & caliginis voce magna, &c. Deut.5.28.* vbi per caliginem tenebras, per nubem aquas, & per ignem lucem innuere videtur Antistes: Sed audiamus parumper, quid de his rerum initiis loquantur Cabalistarum peritiores: Hi quidem de duplici *Aleph*, hoc est, de duplici vnitatis specie mentionem fecerunt, quarum vnam *Aleph tenebrosum*, alteram *lucidum* nuncupauere: At vero horum quodlibet diuinitatis symbolum effecerunt: vtpote qui per Aleph tenebrosum DEVM latentem siue principium potentiale, significarunt, in quo statu DEVM esse existimauerunt, priusquam è tenebris ad mundi creationem effulsit: Atque hoc idem est illud, quod intendebant per potentiam diuinam. De huiusmodi igitur vnitate seu Monade mentionem facit Mercurius Trismegistus dum in hæc verba loquitur. *Monas generat monadem, & in seipsam reflexit ardorem suum*, Et in sacra pagina, *fecit tenebras locum suum secretum, ac aquis nigerrimis ac nubibus densis circumsepiebat tabernaculum suum Psal.18.11.* Hanc igitur potentiam diuinam ita in tenebrosa abysso contractam Cabalistæ æstimant quasi otiosam, & sine actione manentem, vel, vt aiunt, ad nihil respicientem, atque idcirco ab ipsis אין, Ein, id est, Nihil, siue non ens, ac non finis, dicitur, quia nos tam tenui erga res diuinas paupertate multati, de iis quæ non apparent haud secus atque de iis quæ non sunt iudicamus. At vbi se ita extenderit, vt sit aliquid, & reuera subsistat, tunc Aleph tenebrosum in lucidum conuerti asseuerauerunt. Aleph ergo lucidum habent pro sapientia, prima creatura, vt ait Ecclesiasticus Cap.1. Seu pro verbo diuino à patre emisso, cuius præsentia tenebræ aufugerunt, iuxta illud Dauidis Psal.77.17. *Abyssi à præsentia domini timuerunt & conturbatæ sunt.* Huius verbi præsentia (iuxta illud Iohannis) *erat lux mundi, à quo & per quod omnia sunt facta, & sine illo nihil. Ioan.1. Cæli & terra ex aqua & per aquam consistunt,* (vt inquit, D. Petrus) & vt testatur Psalmista *firmati sunt cæli cum omnibus virtutibus eorum: & fundamenta è tenebris reuelata sunt,* vti antea dictum est, & in lucem educta: Et in propheta regio inuenimus, *quod in splendore essentiæ diuinæ euanuerint nubes, fontesque aquarum visibiles sint facti, & fundamenta mundi rotundi sint reuelata Psal.18.11.* Hic igitur videmus quod in scientia Cabalistica peritiores agnoscant principium tenebrosum, in quo sub symbolo *Aleph tenebrosi* agnoscunt diuinam potentiam inhabitasse, atque etiam principium lucidum, idque sub *Aleph lucidi* symbolo, mediante quo omnia creata esse sunt fassi. Deinde spiritum humidum ex tenebris exurgentem materiam mundi cre-

andam ſparſim & fere vbique ſcripta ſacra teſtari videntur. At vero vt ad Philoſophorum peritiores jam perueniamus, ex verbis ipſius Mercurij Triſmegiſti Pim. 1. in ſermonum ſuorum ſacrorum, quaſi frontiſpicio hanc Cabalarum opinionem confirmatam habemus. Verba ſunt huiuſmodi: *Sum Pœmander mens diuinæ potentiæ*, quibus innuere videtur *Aleph tenebroſum* vel DEVM latentem : Tunc ſic pergit idem in ſua narratione. *Cum hæc dixiſſet, mutauit formam, & vniuerſa ſubito reuelauit.* His ergo denotat conuerſionem *Aleph tenebroſi* in *Aleph lucidum* hoc eſt mutationem DEI latentis in DEVM patentem, quod etiam ab effectu per hanc ſermonis ſui ſequelam comprobare videtur. *Cernebam enim* (inquit) *immenſum quoddam ſpectaculum, omnia videlicet in lumen conuerſa ſuaue nimirum & iucundum, quod intuentem me mirifice oblectabat:* Ex quibus luculenter denotat, immediatam lucis diuinæ è tenebris emanationem. Pergit ergo ad operationem iſtius diuinæ lucis jam patefactæ, dicendo. *Paulo poſt vmbra horrenda obliqua reuolutione ſubterlabebatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabili tunc vultu exagitatam.* Et Pſalmiſta regius hoc idem in ſuo cantu ſic confirmat : *Abyſſi præſentia domini timuerunt & conturbatæ ſunt, ex increpatione tua diffugerunt aquæ, à voce tonitrui tui accelerarunt fugam. Pſal.* 77. & 104. Hic in primis denotat materiam terræ à periferia ad centrum in meditullio humidæ naturæ ſubterlabentem, in forma vmbræ horrendæ, poſtea ſic pergit, *inde fumus quidam magnus in ſonitum erumpebat, ex ſonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem exiſtimabam , ex hac luminis voce verbum factum prodiit: Verbum hoc naturæ humidæ aſtans eam fouebat.* In hac ſermonis ſui particula verbi diuini ex lumine tanquam ex patre egreſſionem denotare geſtit: Vbi etiam nobis inferre videtur, quod natura humida ſeu maſſa aquarum vitam atque exiſtentiam ab illo verbo acceperit, juxta illud, *Spiritus domini ferebatur ſuper aquas* (cui Auguſtinus addit) *igneum iis vigorem impertiens* : Et Diuus Petrus, *cœli erant prius & terra ex aquis & per aquas conſiſtens verbo DEI.* Hinc igitur videmus, primum lucem diuinam ex reuelatione maieſtatis diuinæ apparuiſſe , tanquam actum omnium primum & ſapientiæ virtutem primariam, quæ eſt formale rerum omnium principium. Deinde vmbram horrendam habemus, quæ à conſpectu lucis conturbatæ ſubterlabebatur obliqua reuolutione, quæ eſt indicium principii priuatiui. Denique humidam depingit naturam, cui Verbum lucidum aſtabat, eamque fouebat: & hæc eſt principium mundi materiale. Tunc pergit Philoſophus iſte diuinus, & in Sermonis ſui ſerie ad principiorum ſecundariorum ex primariis extractionem accedit; Verba eius ſequentia ſunt hæc. *Ex humidæ autem naturæ viſceribus ſyncerus ac leuis ignis protinus alta petit, aer quoq; leuis ſpiritus parens mediam regionem inter ignem & aquam ſortiebatur, terra vero & aqua, ſic inuicem commixtæ iacebant, vt terræ facies aquis obruta nusquam pateret.* Hinc igitur ex antiſtitis huiusce ſermonis particula colligimus, quod 4. elementa ſublunaria ex aquarum gremio ſint parta. Porro etiam & alibi euidenter deſignat Philoſophus iſte (Pim. 3.) profundus principia hæc primaria tono adhuc altiori in his verbis. *Erat vmbra infinita in abyſſo, aqua autem & ſpiritus tenuis in Chaos inerant, floruit autem ſplendor ſanctus, qui ſub arena & humida natura elementa deduxit, grauiaque tenebris ſubmerſa, ſub arena humida reſederunt* ; vbi per vmbram infinitam arguit chaos ſeu tenebras, in quibus inerat potentia diuina ; *fecit enim* (dicit Dauid) *tenebras locum ſuum ſecretum &c.* Denotat etiam aquam & ſpiritum tenuem (qui nihil aliud eſt quam ſubtilis aqua) & ſunt materia ſecunda ineſſe in chaos, ſeu principio potentiali, hoc eſt materia prima , actum poſtea de actu primo ſeu forma informante mentionem facit , videlicet de ſplendore ſancto, ad cuius nutum producta ſunt elementa, Dum tamen grauis & tenebroſa materia quæ erat caliginoſa aquarum fex ad periferiæ centrum repercuſſa eſt. Denique ipſe *Plato* agnouit ſpeciem quandam primariam inuiſibilem & informem fuiſſe rerum omnium materiam primam.

Ad qualitatum ſimplicium originis probationem ex ſacris literis iam tandem deſcendam. Quod igitur frigiditas tenebrarum ſoboles, & à potentia diuina ſeu DEO occultata ſit expirata ſic probamus. Flatu ſuo edit DEVS fortis glaciem (inquit Iob cap. 37. 9.) & latitudinem aquarum coarctat, hoc eſt, tam nubes quam aquas conſtringit & condenſat, juxta illud etiam Pſalmiſtæ regii ſuperius allegatum, *fecit tenebras locum ſuum ſecretum, & aquis nigerrimis, & nubibus denſis circumſepiebat tabernaculum ſuum*, vnde liquet, quod nubes nigerrimæ factæ & condenſatæ ſint à frigore , quod procedit à DEO latente, vtpote cuius tugurium eſt nubes denſa, vnde fit, vt cum DEVS latere & ſe abſcondere geſtit in tenebris, tunc vtatur flatu ſuo frigido, quo condenſare ſolet, ſed & hoc optime à Dauide ſignificatur, vbi legitur.


Quod DEVS det niuem ſicut lanam, pruinam ſicut cinerem diſpergat, deijciat gelu ſuum tanquam fruſta, coram frigore eius quis conſiſtat? Pſal. 147. 16. Ex quibus liquet, quod frigus ſit quaſi potentiæ diuinæ, hoc eſt, DEI latentis flatus , cum eiusmodi flatu niues & gelu producit ; Porro etiam è regione caliditas prouenit à præſentia ſplendoris diuini, hoc eſt, à verbo ſeu emanatione lucida à DEO in tenebris, Vnde patet, quod vt frigiditas eſt qualitas congelatiua expirata à DEO latente, ſic eius oppoſitum caliditas ſit quaſi as eſſentialis à DEO patente & ſe reuelante à tenebris immediate profuſa. Quod quidem euidenter ex iis quæ dicta ſunt ſupra declaratur. *DEVS* (inquit Pſalmiſta) *edit niuem ſicut lanam, & pruinam diſponit ſicut cinerem, deijcit gelu ſuum tanquam fruſta, coram frigore eius quis conſiſtat? Pſa.* 147. 16. 17. Hic ergo narrat frigoris diuini vires, quod in congelatione & coarctatione aquarum & vaporum

porum versari solet. Et tum in proximo versu ostendit effectus Dei patentis, dicens. *Emittens verbum suum liquefacit ista: Sicut efflat ventum suum effluunt aquæ, vers.*18. quæ quidem consequentia narrare videtur, quod vt DEVS latens emittit afflatu suo à tenebris qualitatem frigiditatis, vt suos proprios in mundo exerceat effectus; ita etiam DEVS patens seu Verbum igneum à fonte sui splendoris emittit flatus caliditatis qualitatem suo motu procreantes, vt Virtute ipsius ea liquescant & dissoluantur & dissipentur quæ congelauit & congregauit frigus. Atque vt mihi videtur, hæc sunt vera & essentialia frigoris & caloris fundamenta, seu causæ primariæ, videlicet varia numinis diuini in hoc mundo proprietas. Vt autem ambæ hæ qualitates simplices à flatu diuino prouenerunt (vnde & agentes sunt) sic etiam duæ aliæ qualitates secundariæ ab his emanare obseruantur, & à variis naturæ humidæ mutationibus quas ob varietatem actionum oppositarum qualitatum simplicium patitur, procreantur, sic aqua, vel spiritus, vel vapor fluxilis præsentia frigoris intensi accidentaliter fit siccus, vt in glacie, niue, & grandine videre licet. Iterum eadem siccitas accidentalis in naturalem suam humiditatem reducitur præsentia caloris intensi, quemadmodum in testimoniis supra allatis luce clarius diligenter obseruantibus explicatur.

Cap. VII.


In quo principiorum horum simplicium progreßio à potentia diuina tam demonstratione Arithmetica quam Geometrica explicatur.

QValis sit iste in progressione principiorum prædictorum naturæ ordo, tam ex successiuo illo Arithmeticorum quam Geometrarum in multitudinem quaternariam motu aptissime delineari atque explicari potest. Nam inprimis, quemadmodum in Arithmetica ante vnitatis expressionem nihil arguitur, nihil significatur, ita expressa vnitate ex nihilo videtur illa exurgere: At vero vnitate expressa, statim lumine seu præsentia illius potentialis quædam vnitas consideranda venit, ex qua monas hæc manifesta originaliter est progressa, quemadmodum actu humano homo (quamuis inuisibilis) includitur. quare Nihil, seu potentialis vnitas, ante vnitatis actualis reuelationem inuisa, ———— vnitatis lucidæ seu actualis præsentia reuelatur, non aliter quam pater per quandam eius ad filium relationem cognoscitur, sic tenebræ, ex quibus lux primaria est egressa, per lucis illius è visceribus ipsius egressionem detegitur atque indicatur, vnde fit, vt reuelatione vnius statim fons illius vnitatis consideretur, qui producit Diadem seu dualitatem, quem numerum Pythagorei haud inconsulte numerum confusionis nuncupauerunt, vtpote qui duo intendit extrema nullo intercedente medio: at ad omnem perfectionem tres requiruntur termini videlicet à quo, medius seu per quem, & ad quem. Hinc ergo ad exemplar trium in sacrosancta trinitate personarum, tam ex vnitate potentiali, quam ex illa lucida aliquod tertium seu medium est eliciendum. atque ita actione & passione horum extremorum productus est Pan vniuersalis, seu spiritus aereus, seu humida natura, sic dicta, quippe quæ magis ad frigidos suæ parentis tenebrosæ effectus recipiendos procliuis est, quæ à calido lucis actu liquescendo madescere videtur, quamuis per se nec frigida nec calida nec humida nec sicca sed mediocris in sua natura est, quippe tam frigiditatis extremi tenebrosi, quam caliditatis alterius lucidi particeps, sed vniformis in suo Esse, quemadmodum inferius à nobis indicatum est. Habemus ergo per vnitatis lucidæ emanationem è tenebris tria manifesta atque detecta, videlicet ipsam lucem seu sapientiam primam creaturarum, vt dicit Ecclesiasticus, tenebras atque aquas inuisibiles seu spirituales, (nam teste Paulo, visibilia ex inuisibilibus sunt procreata.) At vero iam quoniam aquæ istæ spirituales instar Mercurii sunt ad cuiuslibet extremi formas induendas procliues, ideo earum pars extrema tenebris propinqua ad dispositionem ipsarum inclinare aptissima est, ita vt à terra seu tenebrarum frigore condensentur in aquam visibilem & naturam vaporosam, atque etiam qualitatem frigoris magis minusue imbibere atque retinere gestiunt. Vice versa earum altera extremitas lucis seu ignis fonti vicinior, ad igneam dispositionem est aptior, & quoniã frigiditatis actu plus minusue imbuitur, ideo de humiditate aliquantulum sapere videtur. Hinc ergo est quod propter diuisionẽ istius creaturę de natura duplici, elementa duo distincta fecerunt Philosophi veteres, aerem scilicet & aquam, quæ ambo nos Artesii sapientis doctrinam sequentes in sphæram vnicam coarctauimus, quam ideo humiditatis diximus, quia (vti supra diximus) frigiditati originaliter familiaris est, cuius impressiones calor suo actu reddit aliquantulum madidas. Sic ergo stabit demonstratio Arithmetica. 1. 2. 3. 4. qui numeri simul additi constituunt decem, in quo numero mysteria proprietatum decem nominum diuinorum, quæ decem nominationibus sephiraticis præsunt comprehenduntur.




a. Lux
b. Lux. 2. Tenebræ.
c. Lux. 3. Tenebræ.
e. Aqua inuisib.
d. Ignis.
f. Aer.
g. Aqua.
4. h. Ignis.


Hoc idem etiam Geometrice describi potest, & primum ternarii primarii latitudinem à numero imperfecto binario productam sic demonstramus.



Hic est binarius numerus videlicet duæ lineæ in punctum vnicum concurrentes, sed ad superficiem seu figuram aliquam Geometricam conflandam impotentes. Vnde fit, vt si linea aliqua tertia à duobus extremis minime contingentibus ducatur, perficietur triangulus, qui est cuiusque figuræ Geometricæ princeps & principium, hoc modo.



At vero si linea quarta addatur in modo quadrato, & linea diagonalis ad angulum rectum disponatur, tunc radix binaria erit in suum quadratum reducta hoc modo.



Atque


Atque hoc quadratum superficiale tum postea duplicatione in corpus suum cubicum resultabit, quemadmodum infra latius exprimetur.

Hinc ergo liquet, quod lineæ binæ in sua simplicitate referantur ad duo principia primaria, quæ glutine spiritus seu vnione facta à tertia linea simplicissimam constituunt figuram geometricam, mediantibus quibus ad quadratum immediate fit progressio, quod est figura secundi simplicitatis gradus: Sic etiam habemus duplicia simplicia, videlicet primaria, quorum vnione triangulus procreatur, & secundaria, quæ immediate primariis succedunt, atque ab iis deriuantur, non aliter quam quadratum à triangulo, atque elementa dicuntur, à quibus mixtio immediate oritur non aliter quam cubus ex quadratorum multitudine conflari solet.

PARTIS I.

LIBER SECVNDVS.

De causa Meteororum materiali.



CAPVT I.

De principiis mixtis siue meteoris, vnde oriantur, & quo naturaliter tendant.

QVemadmodum in principiis seu substantiis simplicibus duplicem expressimus principiorum illius generis speciem, videlicet quod sint vel absolute simplicia, quæ primaria diximus; vel simplicia ex simplicibus illis, quæ fecimus elementa: simili quidem respectu asseueramus, quod principiorum mixtorum alia sint primaria, eaq; iuxta Philosophorum intentionem sunt vapor & exhalatio, alia vero sunt secundaria, videlicet quæ vel ex vapore, vel exhalatione, vel vtrisque simul coniunctis constituuntur: & hæc meteora seu corpora imperfecte mista appellantur: Atque ita necesse est vt secundum philosophorum intentiones vltima principiorum simplicium, videlicet simplicia de simplicibus sint proxima fumorum seu vaporum atque exhalationum principia, juxta eorum intentiones quæ itidem & propinquiora sunt meteororum initia, atque hæc vt sunt corpora imperfecte mista, ita in eodem naturæ progressu ad omnium corporum compositorum, hoc est, perfecte mistorum, procreationem consequuntur, vnde factum est, vt in circuitu naturæ ex tenebris, aqua, & luce, tanquam primariis principiis immediate orta sint elementa tria, videlicet terra, sphæra humiditatis tam visibilis, quam aquam vocant, quam inuisibilis seu aereæ naturæ, & Ignis. Huc vsque igitur ad completam mundi materialis & formalis productionem progressio facta est, cuius compagines propter substantiæ suæ simplicitatem firmæ & immutatæ in statu permanebunt eodem, vsque ad diem iudicii vltimum. Vnde fit, vt elementa huiusmodi sint principia simplicia, à quibus tanquam termino à quo, natura in cuiuslibet creaturæ compositæ seu mistæ generationem progreditur, atque iterum sunt terminus, ad quem tendit ipsa in progressu suo à generatione ad corruptionem: via autem media est meteoron vel crescens, vt Luna, in generatione, vel decrescens, & partes compositi dissipans in corruptione: ita vt terminus à quo in generatione sit elementorum punctum, ille vero ad quem, corpus perfecte mistum cuiusmodi est illud humanum de quo præcipue hoc in loco intendimus. Quare necesse est vt in corruptione corporis compositi terminus à quo, viceuersa sit corpus illud ita perfecte mistum; itidem ille ad quem natura in corrumpendo vergit, sit simplex elementum, à quo tam ad perfecti quam imperfecti misti generationem progressio. Vltra quod nulla est corruptionis, propter subiectorum seu principiorum simplicitatem progressio: terminus autem per quem seu medius, est meteoron. Cum vero impossibile sit vllam ab vno extremo ad aliud fieri progressionem non intercedente medio, ideo necesse est vt inter simplices naturas vbi nulla est mixtio, & corpora cõposita, vbi perfecta est mistio mistio imperfecta intercedat, ꝙ meteoron à loco suę procreationis siue in cœlo siue in terra nuncupatur, & cõsequenter sequitur, ꝙ tam vita quam mors, atq; ẽt tã sanitas quã morbus mediantibus meteoris perficiantur, & ꝙ vt meteoron est mediũ inter punctũ generationis perfectæ, & illud cõpletæ corruptionis, sic & morb. in creatura sit recessio sanitatis creaturæ versus corruptionis vel dissolutionis metam, quæ est in elementis, ita vt morbus sit quasi salubris rei generatæ ad meteori naturam, hoc est, ad mediam viam in dissolutione reductio, quare illa natura salubris quæ erat perfectæ mistionis, facta est iam imperfecte mista, cum natura sit morbida & quasi in media via inter punctum completæ generationis, & illud absolutæ destructionis; ita vt natura terna creaturæ tam apta sit in media huiusmodi statione, retrogredi ad punctum sanitatis, à quo recessit quam ad extremum terminum destructionis, qui est in elementorum & præcipue aeris naturam pergere à qua prius est orta: quo ergo magis tendit natura in suo motu vltra punctum medium versus simplicitatem, eo magis gradatim accedit creatura composita ad interitum; at semitam contrariam capessens magis magisque conualescere incipit; Atque hoc in loco diligenter obseruare debemus, quod coniunctio pessimi meteori, hoc est, naturæ dissolutiuæ & destructiuæ, cum media natura rei ad completam compositionem redactæ, est causa mortis seu destructionis, nisi à meteoro salutifero, diuina assistentia superueniente, subsidium habeat, quemadmodum inferius latius atque planius explicabitur. Sed quod huiusmodi sit naturæ meteorologicæ motus in corpore composito, luculenter ab eiusdem in sphæræ humiditatis macrocosmi gr[illegible] mio effectibus declaratur: nam vt meteora tam salubria quam venenosa & infausta in spiritu magni mundi aereo sæpicule producuntur, ita etiam vtriusque conditionis meteora in spiritu cuiuslibet perfecte misti quandoque progenerari certum est, & omni dubio procul, cum inter quodlibet perfecte mistum & elementa simplicia meteoron aliquod, hoc est, imperfecte mistum intercedere necesse

cesse

cesse sit: at nullum meteoron, nisi sit in aerea matrice, potest procreari, nam aer gratia suæ humiditatis spiritualis speculi vicem habere dicitur. Vtpote qui facillime formas vel suscipit vel æmulatur, omniumque figurarum colorumque similitudines facile repræsentat & recipit; imo vero aer meteororum seu potius impressionum tam visibilium quam inuisibilium est vita, essentia, imo vero omne, quod meteoro siue salutifero seu morbido adest, ab ipsius aeris, tanquam spiritus mundi occulti promptuario, vel; vt cum sacris scripturis loquar, à secreta & diuina DEI Arca seu myrothecio hauritur atque depromitur, aer ergo est causa materialis meteororum, sed & aliæ etiam causæ ad ipsorum generationem requiruntur. Hinc igitur est quod in stricta hac nostra principiorum horum meteorologicorum inquisitione quatuor ipsorum causas inprimis atque ante omnia considerare curabimus, quarum prima est illa ex qua, materialis nempe, tanquam ex parte substantiali suæ compositionis; Secunda illa per quam, formalis scilicet, tanquam peculiaris essentia, qua vna species meteorologica ab alia vel oculo vel effectu differre solet, ac tum postea succedit illa à qua seu per quam ad suæ speciei complementum perducitur, tanquam à mouente, vel operante immediate: & tandem illa propter quam principium hoc mistum ab efficiente ad exitum perducitur, videlicet finalis: De his ergo meteororum causis, quo ad exactiorem ipsorum formationem atque etiam effectus tam morbidos quam salubres perueniamus, ordine & methodice discurremus; atque primo loco de causa meteori materiali per integrum huiusce libri tractatum agemus.

Cap. II.

De causa meteororum materiali seu substantiali, Quæ sit animi Authoris de illa opinio: & quomodo à veterum philosophorum sententia videatur hac in re discrepare.

Materia Meteororum (inquit Aristoteles cum cæteris Philosophis eiusdem sectæ) sunt plane fumi ex aqua terraue exurgentes. Fumum autem naturæ duplicis vel scilicet vaporem vel exhalationem faciunt, quorum illum calidum & humidum aquaticum & non inflammabilem, ex terra & aqua ortum; hanc vero calidam & siccam, terrestrem, inflammabilem & à terra euocatam asseueranter dicunt: Cur enim reliqua elementa; videlicet ignis & aer, fumos tam crassos, quales sunt illa meteororum substantia non reddant, ostendere videtur ratione huiusmodi, videlicet quoniam illa elementa superiora in substantia sua fumis sunt multo subtiliora, quare fumos eiusmodi aerem & ignem producere non posse autumant, Hæc illi: At vero nostrum erit, proprio ipsorum ore hæc eorum argumenta destruere: vtpote quorum quilibet in suis scriptis agnoscit, aerem condensatione fieri aquam, & multo magis Vaporem, qui natura & constitutione intercedit inter merum aerem & visibilem aquam: Porro etiam eandem aquam inspissatione in terram reduci & ipsi agnoscunt, & nos experti sumus. Nonne etiam se ipsum ore proprio confutat Aristoteles, vbi dicit, *Corpus stellare esse densiorem sui orbis partem*; hoc est, substantiam visibilem ex æthereo spiritu inuisibili condensato conflatam? Vnde possibilitatem inferre videtur, cometam aut nubem aut aliquod aliud meteoron ex aeris condensatione proferri posse.

Quare inualida est hæc veterum assertio, aerem esse non posse causam propinquam vaporum, quippe qui est vapore subtilior: Nam in libro 7. physicæ meæ Macrocosmi historiæ, vbi agitur de nubis generatione argumentis infallibilibus demonstrauimus, nubes immediate ventorum oppositorum ex aeris compositione & condensatione fieri: & consequenter nubem istam, tanquam mediam substantiam inter aquam & aerem, non ab extremo aqueo, sed ab illo aereo, tanquam primario principio ortum suum sumere. Vnde dicimus, quod aer ex suo ventre materiam nubis parturiat, illamque centraliter, operante numine diuino, mundo per viam pluuiæ, niuis aut grandinis administret, Quod etiam ex hisce Biblii sacrosancti tanquam totius veritatis fontis locis, (neglectis hac in re Ethnicorum scriptis) colligimus, in Pentateucho enim Moysis hæc scripta inuenimus. *Thesaurum suum optimum cœlos, aperiet Iehoua tibi, dando pluuias terræ tuæ suo tempore, Deut.*28.12. Et, DEVS ipse alloquens Iob dicit. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis aspexisti? Ibid.*38 22. & paulo post sic pergit, *Quis est pluuiæ pater? Vel quis genuit stillas roris? de cuius utero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit? Ibid.*28. Ex his igitur diligenter intuenti patet, quod sacrarium DEI in quo occultat thesauros suos meteorologicos, sint cœli, & cœlum hoc in loco pro aere sumitur; nam meteora non gignuntur in partibus superlunaribus, Instrumenta autem quibus DEVS vtitur ad huiusmodi meteororum productionem sunt eius venti, venti in quam angelici Iehouæ, Vnde dicit Iob cap. 37.9. *flante DEO concrescit gelu, & rursum latissime funduntur aquæ*; Et in Exodo habemus: *A fla-*

tu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ, Exod. 15. 8. *&* 10. & alibi, *flauit spiritus tuus, vel flauisti vento tuo, &*
operuit eos mare, Exod. 14. 21. & alibi, de hoc vento loquendo, *Iehoua mare ipsum Euro vehemente tota nocte*
abegit, & redegit mare ipsum in siccum; Porro etiam in Iob dicitur, Iob. 37. 9. *egreditur frigus ab Arcturo*
seu septentrione, flante DEO concrescit gelu, &c. Similiter quod ad ventorum naturam attinet, dicit Sa-
piens, Prou. 25. 23. *quod ventus Aquilo dißipet pluuias*: *Psal.* 135. 7. Et Psalmista regius ait, *Depromit ventos è*
thesauris suis, & alibi, *simul ac efflauit ventum suum, effluunt aquæ*, *Psal.* 147. 16. Ex quibus sacri fontis locis
colligimus quod meteora aquea cuiusmodi sunt nubes, pluuia, nix, grando, ac huiusmodi alia ex
Arca cœli, seu spiritus mundani, seu aeris thesaurario seu sacrario depromantur, voluntate diuina,
per ventos tanquam instrumenta ad hoc negotium ordinata, ita vt variare videantur meteora,
secundum diuersam ventorum à variis mundi plagis flantium dispositionem: vt flante Borea
niues, grando, & gelu: Austro nubes, pluuiæ: Euro, æstus & fulgur: Fauonio, nubes tenues produ-
cuntur, quæ omnia meteora ex substantia aeris, ventis illis opposito modo spirantibus & secun-
dum ventorum dispositionem ab inuicem different bus procreantur, quemadmodum suo loco
perspicuius declarabitur. Ad meteororum autem ignitorum originem quod attinet, quam exha-
latione à terra emissa factam crediderunt Peripatetici: certe si sacra Bibliorum scripta animaduer-
tamus, originem ipsorum abstrusiorem longe esse obseruabimus quam Philosophi vulgares som-
niauerunt, Nam inprimis apud Leuiticum legimus, *quod ignis seu coruscatio exiens à conspectu Iehouæ con-*
sumpserit in illo altari holocaustum, Leuit. 9. 24. Et capite sequenti, *Exiens ignis à conspectu Iehouæ exanimauit*
filios Aharonis, vers. 2. imo vero & Deus ipse ignis consumens appellatur, Et alibi, *ignem flammantem ipsius*
ministros vocari legimus Deut. 4. 24. Vnde & dictum est, *quod ignis à Iehoua emissus consumpserit* 250. *illos viros,*
&c. Nu. 16. Et alibi, *ignis DEI è cœlo decidens virtute spiritus Eliæ consumpsit Præfectum cum* 50. *suis*. Et apud Iob
inuenimus, *Fulgura nunquid mittes, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: adsumus? Iob.* 38. 35. Denique in lo-
co alio optime denotatur, quod meteororum ignitorum fons & origo ab illo ipso authore oriatur,
vnde scriptum est, *DEI sternutationibus splendet lux, & quidem oculorum veluti palpebræ auroræ, ex ore eius vel-*
ut tædis prodeuntibus, scintillis ignis proripientibus sese. Ita è naribus eius prodit fumus, vt aheni feruentis quasi an-
helitus eius carbones accenderet, & flamma ex ore eius prodiret, Iob. 41. 18. vbi de fulmine intelligit. Et alibi,
quæ via itur vbi lux habitat, &, quæ nam est via qua in partes dißilit lux dispergente Euro super terram? Iob. 38. 19.
Quibus siquidem Biblij testimoniis docemur inprimis, quod lucis & coruscationis, & consequen-
ter omnium meteororum lucidorum, initium & origo sit valde secreta & abstrusa, & tam longe à
philosophorum Veterum conceptionibus distans, (qui eorum ortum crediderunt fuisse à terra)
quam dies est à nocte, lux à tenebris. Quis enim philosophantium negabit vnquam medium à
principio potius habere suum initium quam à fine suo? Porro cum simplicia sint mixtorum init a,
cur à terra corrupta & mista, cur à corpore opaco seu à posteriore, cur à principiato & non à prin-
cipio deriuanda sunt meteora omnium magis essentialia, & non ab igne seu fonte lucido suæ naturæ
conueniente? idque mediate, cur à frigido procreatur naturali partu illud quod est calidum? cum
simile simili gaudeat, & simile à suo simili procreari soleat, Imo vero audacter pronuntiare possu-
mus, quod si meteora humida ex aeris medii, seu mediæ sphæræ humiditatis substantiæ tenuis com-
pressione mediantibus duobus ventis fieri assoleat, multo magis meteora ignita materialiter à su-
premæ eiusdem elementi substantiæ compressione à ventis suauiter ibi concurrentibus elicientur,
nam supremæ sphæræ humiditatis portio nihil aliud est, quam ignis dissolutus & expansus, seu igne-
us aer; qui condensatione apparet in forma meteori igniti, cuius modi sunt cometa, columna
ignea, & omnia meteora illa, quæ in suprema aeris regione gigni obseruantur, quorum materia est
aer afflatu ventorum Iehouæ contractus, forma autem lucida est lux ignea, in cuius centro Iehouæ
virtus inest non aliter quam in dumi ignei meditullio Moysi apparebat: a que etiam in columna
ignea, quæ præibat Israelitas nocturno tempore in deserto: *Vestitur enim DEVS* (vt testatur Psalmi-
sta) *lumine tanquam vestimento*: & teste Moyse, *Ex ignea flamma locutus est Israelitis*, Vnde & alibi, *ignis*
nuncupatur *consumens*, quare valde difficilis est labor, & maximus ex laboribus Herculeis horum
meteororum scaturiginem dignoscere nisi reuelatione sit detectum: Atque ob hanc rationem di-
xit vir patiens, *qua nam est via quæ in partes dißilit lux dispergente Euro super terram? Qua via itur vbi lux ha-*
bitat? Iob. 38. & vt Paguinus interpretatur; *An nosti vbinam sit via qua diuiditur exhalatio quæ spargit ven-*
tum super terram? Si igitur ignea meteororum forma egreditur occulte ex conspectu Iehouæ, vti su-
pra dictum habemus, si sternutationibus DEI splendet fulgur seu coruscatio, seu lux, si ex ore eius
flamma veluti tedæ prodeunt & scintillæ ignis, si è naribus eius prodit fumus vt aheni feruentis, si
anhelitus eius quasi carbones accendit, Iob. 41. 18. certe longe sunt hæc occultiora, quam vt simpli-
ci fumo calido & sicco à terræ visceribus exhalato proueniant; Quis autem Christianorum medio-
criter in rerum naturis versatus tam demens esse potest, qui vim tonitruorum ingentem, admiran-
dam fulguris & fulminis potestatem, quæ gladium intacta vagina liquefacere, & vitam animalium
ictu quasi oculi etiam intacto corpore tollere atque eripere solet, rei tam parui momenti, qualis
est exhalatio terrestris salua conscientia attribuere possit? Quid enim plus egit ignis ille qui egres-
sus est à conspectu Iehouæ? virtute cuius tum filij Aaronis, tum etiam 250. exanimati & vita

orbati

orbati sunt? Imo vero nostris quidem temporibus obseruatum est, quod nonnulli ex multitudine, in campis tempore æstuoso & tempestuoso commorantes, tonitruque & fulguris effectum in contemptu & derisione habentes, subito à spiritu eiusdem soli inter cæteros periculum euadentes, exanimati & interfecti fuerunt, inter quos fœmina quædam horrenda audacia & ineffabili erga Deum creatorem obstinatia perceita, tonitrua & fulgura contemnens, anumque suū erga illam mundi plagam, ex qua veniebat sonus, in derisionem conuertens, subito est percussa à fulgure, & membrum in contemptum oblatum, miserabiliter ex omni parte est dilaniatum. Quid ad hæc respondent miselli huiusmundi philosophi? Anne creaturam hanc rationis tam diuinæ compotem, ex fumo terrestri & aqueo vitam suam accepisse creditis? Nonne vbique in sacris scripturis dicitur *tonitru vox DEI?* *Psal.* 103. 4. Nonne vocantur *Angeli Iehouæ venti facientes placitum eius*? Nonne dictum est, quod *DEVS posuerit densas nubes in vehiculum suum, qui itat super alas venti, facitque angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem, ex cuius increpatione aquæ diffugerunt, à voce cuius tonitrua accelerarunt fugam*? Quid? An cogitandum est, quod huiusmodi DEI mirabilia in fortuita vaporis aquatici & exhalationis terreæ generatione consistant? Absit vt ab homine Christiano mentis diuinæ gnaro hoc credendum sit.

Sed vt propinquius aliquantulum ad inanes philosophorum vanorum nugas accedamus, Inprimis eorum de ventorum ortu, deinde de nubium generatione, tum postea de meteororum ignitorum in summa aeris regione procreatione, Ac tandem de grandinis, niuis & glaciei initiis sententias aliquantulum strictius examinabimus.

Cap. III.

In quo nugosa veterum philosophorum in suis de meteororum origine opinionibus vanitas & improbabilitas discutitur.

VT cum Philosophorum veterum opinione de ventorum origine exordiar, in ea ipsi quodammodo hæsitare atque inter se discrepare videntur, vtpote quorum sectam Peripateticam amplectentes & Aristotelis hac in re sententiam statuminantes, ventum definiunt, exhalationem calidam & siccam, difficulter inflammabilem, vsque ad mediam aeris regionem eleuatam, quæ inde à loci frigore deorsum depulsa, atque iterum ex suæ naturæ inclinatione sursum renitens, partim à leuitate sua partimque propter alias exhalationes inferne occurrentes lateraliter mouetur supra terram in infima aeris regione, quem aerem agitat & ventilat, ne perpetua quasi desidia putrescat. hæc illi. Alij (inter quos Vitruuium nomino) volunt ventum esse aeris vndam, cum incerta motus redundantia, Vitruu. lib. 1. c. 6. quando feruor occurrit humori, & impetus ferueris vim spiritus flantis inuertit. Primi ergo qui sectam Aristotelicam sustinent, halitum seu fumum aut exhalationem calidam & siccam, nihil pinguedinis, qua accendi potest, in se habentem, esse causam materialem venti dicunt, qui ob defectum pinguedinis nec accendi potest, nec in nebulam condensatione reduci, multo minus in nubem incrassari: atque hanc è terra emergere dixerunt, quamuis & Plinius ventos nonnullos ex aquis expirare dicat.

Quæramus autem jam quid isti Peripatetici (qui in naturæ inspectione ita præcellere videntur) de Cometæ ortu sentiant: Hunc enim ex fumo seu exhalatione terrestri, crassa, pingui, & viscosa, & ex partibus dense compactis, virtute astrorum, ex terræ visceribus, in supremam aeris regionem eleuata, ibique dilatata, incensa & inflammata ortum dicunt, &c. Ita vt inter exhalationem ventosam & istam cometæ genetricem hoc intersit, videlicet, quod illa sit leuis, calida, & sicca, difficulter inflammabilis, vtpote nihil pinguedinis in se habens: hæc vero terrestris, crassa, pinguis & viscosa ex partibus dense compactis, & facile inflammabilibus.

Incidunt ideo Peripapetici isti in scyllam cupientes vitare charybdin, dum in vtriusque meteori generationis descriptione, vtramque materiam falsam esse, & minime veram ostendunt. Nam quidnam rei est in causa, quod vna exhalatio cum non sit ad inflammationem apta, & consequenter frigori minus opposita, & cum in sua substantia sit leuior, quam altera, vi tamen frigiditatis mediæ aeris regionis in ascensu suo impediatur, & deorsum ad locum, de quo eleuata est, reuerberetur? cum tamen nihilominus exhalatio altera, quæ est crassa, pinguis, atque inflammabilis, & consequenter frigori mediæ aeris regionis oppositissima, & in motu suo ad sursum minus ob ponderosam suam crassitiem idonea, viam sine frigoris oppositione per mediam aeris regionem in supremam habeat? Quam male ergo conueniunt ista, & legibus Philosophiæ quam sunt aduersa! quod scilicet grauia & magis compacta facilius naturali appetitu ascendant & à sua natura sursum tendant, quam quæ sunt leuia, & tum postea, quod quæ ab inflammatione remotiores sunt in sua natura, à frigore magis infestentur & oppugnentur, quam quæ inflammabiles sunt & mere igneæ dispositionis? Hinc ergo liquet, quod cum dicunt, quod frigiditas mediæ aeris regionis sit causa impedimenti ascensus exhalationis ventosæ, vtpote quæ est calida & sicca, sed non inflammabilis, omni-

modo sibi ipsis contradicant, negantes rationem illam generarionis cometæ ab ipsis alibi allatam, quippe cuius causa materialis (vt ipsi volunt Peripatetici) est calida & sicca exhalatio sed inflammabilis, & crassa, & compacta, & per consequens minus ad ascendendum & ad mediam aeris regionem penetrandum habilis. Porro etiam in eo, quod dicit Aristoteles, calidam & siccam exhalationem inflammabilem, & valde compactam & viscosam, posse mediam aeris regionem perforare, & ad regionem summam pertingere, iterum sibi ipsi obstare videtur, asseuerans exhalationem ventosam non posse propter loci frigiditatem penetrare mediam illam regionem. Ita vt in vtriusque extremi assertione inferre videantur ipse & eius sectatores vtriusque negationem, namque quod in vno affirmare gestiunt, in altero negare coguntur: Porro etiam, quam friuola sit illa lateralitatis motus ratio super terram, videlicet, quod ipse partim à sua leuitate, partimque propter alias exhalationes inferne occurrentes fiat, patet ex eo, quod venti illo tempore quo flant, sunt stabiles, & non vndique eodem instante spiraliter aut circulariter flantes, stabiles (inquam) hoc est, firmiter ab vna mundi plaga ad aliam perseuerantes, quæ perseueratio fieri haud potuit, si causa motus lateralis esset eiusmodi ac ipsi recensebant. Quæ denique sit nostra de ventorum origine materiali sententia, infra latius explicabimus, vbi etiam Peripateticorum errores luculentius describemus.

At jam videamus parumper, quidnam sentiant isti Peripatetici de nubis & pluuiæ generatione. Hi nubem definiunt esse vaporem à terra in mediam aeris regionem eleuatum, vbi eam vi frigoris loci constringi putant, & congelari, & vario ventorum motu huc atque illuc pelli. Quod quidem si esset probabile, nubes in aere frequentius æstiuali tempore procreari quam hyemali perciperemus, cum in æstate fontes, flumina, torrentes, stagna & lacus, virtute caloris cælestis vti ipsi sunt fassi in vapores redactos, & vbique in aere dispersos, vulgaris & ocularis videtur indicare experientia, quamuis aliter longe quã ipsi existimauerunt res sese habet vti suo loco declarabimus: Et quis Aristotelicorum negare videtur aerem longe esse æstiuo statu spissiorem illo hyemali, propter vaporum abundantiam, quam iuxta ipsorum sententiam recipit ab aqua & à terra, qui tum postea hyemali frigore condensatur & in nubes redigitur, vnde fit, quod stagna, lacus, torrentes, & terræ fontes quos sol æstiualis exhausit, tempore hyemali iterum impleantur, & nihilominus nubes & pluuiæ abundanter ab aere deorsum in terram & aquam immittuntur, videlicet tunc temporis quando aer est in sua substantia tenuissimus, loquor jam secundum eorum opinionem, quamuis nos aliter putemus, aliudque in posterum ostendemus. Sed pergamus; Si vapor à terra vel ab aqua visibiliter scaturiens, est causa nubium, vnde fit obsecro, quod ventus Australis est assiduus vaporum extractor, seu congregator, cum ad ipsius spirationem nubes pluuiales copiose procreari soleant? vt & viceuersa, spirante Borea, nubes niuosas & grandinosas generari docemur? Quid? An non est facilius pro his ventis, vt oppositis flatibus comprimant tenuem aeris substantiam in vaporem, seu potius nebulosam massam, & deinde in nubem densiorem seu tenuiorem secundum comprimentiũ violentiam, quam vt à grossa & corpulenta terra & aqua vapores extrahant, qui tum postea à frigore mediæ aeris regionis condensari debent? Cur igitur non præstant hoc idem venti cæteri, si non ex ventorum natura, sed vaporis origine & motu hoc perficiatur? præterea si pro concessis à me habeatur, quod vapores terræ & aquæ transirent in naturam seu substantiam aeris, non sequitur inde, quod aut aqua grossa aut terra compacta sint aeris initium, sed potius quod tam aqua grossa quam terra sint ex aqua subtili & inuisibili cuiusmodi est aer & æther, & non aqua subtilis ab iis quemadmodum testatur D. Paulus in his verbis ante allegatis: *Per fidem agnoscimus, quod semper ita actum sit cum mundo per verbum, vt ex iis quæ videri non poterant fuerint ea quæ possunt videri. Heb.* 11. Non enim naturaliter procedendo fit creatio à posteriori sed à priori, non à compositis seu principiatis fiunt principiata seu mista, sed à simplicibus & principiis: Aqua igitur grossa & terra ab aere tanquam materia propinqua est facta, sed non è regione aer ab ipsis. Nam in Genesi confirmatum habemus, cælum prius fuisse institutum & harmonia firma stabilitum, quam mentio vlla de terra sicca aut aqua grossa erat facta: Dicimus ergo, quod vaporosa materia, cuiusmodi est nebulosus fumus, sit quasi medium, inter nubem seu aquam grossam & aerem, at vero aerem agnoscimus esse terminum à quo processit vaporosa materia, vt & nubes aquea est terminus ad quem inspissatione progreditur: Et quidem cum sit certum quod verbum DEI sit occultus harum rerum operator, vt in locis antea citatis & inferius allegandis sat liquido explicatur, certum est, quod vt ab illa diuina sapientia, quæ erat principium teste Salomone & D. Ioan. nubes more abstruso sint productæ, sic vapor immediate motum suum & actum incipit à principio primo materiali, tanquam magis idoneo, propter simplicitatem suam ad recipiendas actiones tam abstrusi principii, quod procul dubio non incipit motus suos à posteriori, cum ipsa sit creatura omnium prima, sed à priori: Vnde liquet, quod in aerem operetur ad fumum nebulosum producendum, vtpote qui aqua grossa seu terra erat prior. Quod denique ad nubium originem attinet, illam abundanter in lib. 7. cap. 4. de physica nostra Macrocosmi historia, vbi agitur de nubis generatione, explicauimus; quam ab aeris compressione factam demonstrauimus: & non à vaporum è terra & aqua extractione, vbi etiam argumentum infallibile, à praxi seu experientia propria deriuatum, ad meliorem huius nostræ opinionis confirmationem

produxi-

produximus: quare ad illam operis nostri partem vos, qui in huiusmodi rei inquisitione aliquantulum strictiores esse vultis, referendos esse velim. Atque etiam de hoc eodem subiecto me in sequentibus aliquantulum magis dilatatum DEO volente inuenietis. Hæc quæ de nubis generatione dicta sunt, etiam de grandinis & niuis ortu dici possunt, vtpote quæ ambo meteora ex vapore calido & humido efformari finxere Philosophi, nam causam congelationis grandinis & niuis faciunt frigus materiam vaporosam circumstans, & propter subiecti varietatem penetrans, & calore expulso inspissans, & quamuis apparentem videmus in cuiuslibet eorum forma differentiam, tamen eandem attribuunt vtrique, cum materiam tum formam seu qualitatem agentem: Quod igitur ad eiusdem materiæ ortum attinet, dicimus, eam esse eandem cum nube, & consequenter habere originem, neque de terra nec de aqua, sed eam ex aeris ventre, virtute & voluntate diuina parturiri affirmamus, quod venti septentrionales, à spiritu diuino excitati, sint causæ congelationis: nam, teste Psalmista, *DEVS edit niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem dispergit, coram frigore eius quis consistat?* Psal. 147.16. Et Iob dicit, *à flatu suo DEVS fortis edit glaciem, & latitudinem aquarum coarctat, Iob. 37.9.* atq; ibi iterum infertur, quod proueniat à vento Aquilonari. Sed de his alibi suo Loco.

Denique quod de materiali cometæ origine dictum est, hoc idem etiam dicendum est, de materia cuiuslibet simplicis meteori igniti, videlicet, quod secundum ipsius substantiam ex compressione partis igneæ ipsius aeris procreetur, & non ab exhalationibus à terra scaturientibus atque sublimatis: vti infra clarius.

Cap. IV.

Vbi admirabilis aeris natura & dispositio luculenter pertractatur.

SI igitur à curiosis quæratur, quæ nam sit materialis meteororum, seu omnium, tam perfecte quam imperfecte mistorum origo, seu causa ex simplicibus de simplicibus proxima? dicimus eam esse ipsius aeris substantiam à sua simplicitate alteratam, quem ideo Anaximenes, idque haud improuide; omnium rerum causam audacter asseuerare non erubescebat: imo vero tam antiquum est aer principium, vt Anaximander non hæsitauerit ipsum; licet in hoc inconsiderate satis; pro Deo æstimare. De huiusce igitur natura atque proprietate occulta hoc in loco tractare atque discurrere me cogit latissima huiusce historiæ nostræ dimensio, & abstrusa eiusdem profunditas.

Quod igitur ad aeris essentiam atque consistentiam attinet, ab Hebræis RVACH dicitur, quo nomine etiam spiritus seu ventus accipitur: Vnde etiam hæc tria discrepare ab inuicem minime videntur, respectu dictionis Ruach, ea in multis sacratum literarum locis denotantis; vtpote quæ omnia in eadem essentia conueniunt. Est ergo Ruach seu Aer, magnus ille spiritus vastam mundi cauitatem sua mole occupans qui cœlum & terram, suo amplexu comprehendit, omniaque implet quæ in mundo sunt, quippe qui angelis, syderibus, hominibus brutis, plantis, terræ, aquæ, lapidibusque inest, omniaque permeat entia: Est autem in sua substantia non duplex aut multiplex, sed vniformis, non diuisus, sed spiritus vnicus, atque vna sola perfecta vita & quasi spiritus mundi: in existentia sua exilis, tenuis, subtilis, inuisibilis, incomprehensibilis, impalpabilis, & spiritualis: atque in essentia sua spiritui & animæ hominis haud inepte comparatur. Nam sicut anima seu spiritus humanus (qui etiam ab aere deriuatur) est tabernaculum spiritus DEI, atque etiam aliorum spirituum DEI (vnde & *templum spiritus sancti* dictitatur à scriptis sanctis) ita etiam Aer est habitatio spiritus DEI sancti, atque etiam aliorum spirituum: Quod enim densæ nubes sint tugurium eius & quod super ventorum alas vehatur, & quod spiritus seu Angeli eius sint venti & ministri flammæ ardentes, sparsim in Biblio sacro docemur. Vnde liquet, quod principium huius mundi in aere habitet. Ab aere ergo, & per aerem omnes creaturæ viuunt, crescunt atque mouentur, mediante verbo, quippe quæ ab aere primitus constituuntur, & aere complentur, qui in suo simili gaudet. Hinc ergo volunt in Philosophia peritiores quod aer sit spiritus incomprehensibilis naturæ, & antiquissimum rerum fundamentum, quod vastam mundi vniuersalis cauitatem occupat, resque omnes quæ sub cœlo comprehenduntur perpetuo circulare obseruatur, eas visitando, cultiuando, inspirando, transmutando, ligando, in vigore retinendo, nutriendo & miraculose sustinendo. Vnde Hebræi ipsum non numerauerunt in numero elementorum, sed potius eum firmum ligamentum & rerum omnium superiorum cum inferioribus nexum fecerunt. Atque ab his non longe distat Pythagoreorum opinio, qui existimauerunt, aerem esse magnum quoddam organum seu instrumentum diuinum, quod perpetuo tam in terra quam in cœlis resonat, & retinet superiora cum inferioribus in vnione & concordia. Atque etiam hæc est ratio, quod Ægyptii aerem finxerunt esse nuntium deorum: nam vt primum radios & spiracula corporum cœlestium acceperit, illos communicat, more

insensibili,regionibus aquæ & terræ,ac si mundo inferiori esset legatus seu nuncius à superioribus
dimissus,accidentia prædicens,quæ debent euenire in terra,& in aqua,atque creaturis earum, vtpo-
te in quem,tanquam in tabulam seu mensam politissimã, planetæ & stellæ,quasi penicillo pictorio,
depinxerunt radiis suis,tanquam viuis coloribus pluuias, niues, grandines.tonitrua, ventos,tem-
pestates & similia: atque etiam signa euidentissima siccitatis,frigiditatis, terræ motus, fertilitatis,
sterilitatis,& alia,tam ad ruinam quam sanitatem hominum spectantia, in aere igitur figurata est à
DEO,mediantibus creaturis suis cælestibus,rerum futurarum lectio & cognitio, quam solummo-
do hominibus vere scientibus & sapientia munitis,datum est legere & intelligere. Verbi gratia, Co-
metæ non pro nihilo & vano modo apparent in aere, atque etiam infinita alia meteora & prodigia
particularia. Ex quibus luculenter docemur (testimonio veterum) quod aer,cum auxilio cœlesti-
um,more speculi nobis quasi digito indicat communis calamitatis initia & mortem illustrium per-
sonarum,& crudelitates bellorum,& mutationes temporum,& famem & pestem, & omnia mor-
borum genera,ac huiusmodi alia. Hinc dicit Robertus Linconiensis episcopus, Matrix omnium
impressionum est aer,vtpote qui gratia suæ humiditatis,spiritualis speculi vicem habet, omnesque
oppositorum & injectorum facillime formas & naturas vel suscipit,vel æmulatur, omniumque fi-
gurarum colorumque similitudines facile repræsentat & recipit, Hæc ille. Vnde concludit,eum esse
omnium impressionum matricem,quippe quæ siue in sua propria regione,siue in visceribus & pro-
fundo aquæ & terræ medium est: atque etiam ipsa meteororum tam salubrium quam insalubrium
materia.Imo vero etiam,& quod amplius est,impressiones & meteora invisibilia & insensibilia in se re-
tinet,quæ rerum manifestarum & visibilium sunt effigies:quare hinc fit,vt si quis per locum aliquem
transiens,in quo homo occisus fuerit, vel cadauer recens absconditum, is timore & stupore proti-
nus concutiatur,videlicet quoniam aer ibidem occidionis spectris seu horribilibus homicidii spe-
ciebus & quasi seminariis impletus,spiritum viri prætereuntis, & aerem illum inspirantis similibus
perturbat atque afficit speciebus,pauorem tantum incitantibus. Similiter huiusmodi occultis in
aere impressionibus,somnia varia & multiformes in spiritu humano impressiones, per idolorum,
seu similitudinum,seu specierum icones procreantur: Videlicet illarum rerum quæ vel à sermoni-
bus,vel actionibus,formis in aere multiplicatis,oriuntur. Hæc ergo meteororum invisibilium seu
occultorum species est in causa,quod curationes tam mirabiles ab Vnguento Armario ad exitum
producantur fælicem, quemadmodum in tractatu nostro de Anatomia Mystica satis superque ex-
plicatum est. Huiusmodi etiam meteororum,occulte & invisibiliter in aere regnantium, species
sunt morborum Epidemicorum,seu populariter grassantium, videlicet pestis & morborum pesti-
lentialium origines,qui morbi sunt effectus vel Cometæ,vel meteori alicuius alterius, siue igniti si-
ue aquatici,siue ventosi,siue mixti,tempore præterito visibilis,at jam vbique per aerem, dissolutio-
ne facta,in partes invisibiles dissipati,quod spiritum humanum atque etiam terrestrem, cum aere
per inspirationem ingreditur,illosque vndique more aeris externi coinquinat,quemadmodum in-
fra latius demonstrabitur. Ad huius autem spiritus dispositionem seu complexionem quod attinet
immanis de ea inter Philosophorum principes differentia, (Gal. de simpl.med.facult.l.2.c.20.)(vt-
pote qui sibi inuicem in scriptis suis minime constare animaduertuntur)oriri videtur: Nam Ari-
stoteles,& qui eius opinionem sequuntur,calidum esse aerem existimant, quibus Stoici se oppo-
nentes eum esse frigidum confidenter dicunt: At si rem paulo accuratius explorauerimus, perci-
piemus siquidem eum neque per se calidum neque frigidum, neque humidum neque siccum esse,
sed in medietate quasi inter has qualitates consistentem, Vnde fit, vt ad quamlibet harum impres-
sionum accidentalium suscipiendam aptus & idoneus esse censeatur, quamuis nullius certæ & ma-
nifestæ qualitatis per se existat aer. Atque hinc obseruatur quandoque esse calidus,quandoque fri-
gidus,& nonnunquam humidus,atque haud raro siccus, quare & Mercurio cælesti Iouis nuncio,
haud improprie comparatur,vti supra dictum est,qui cuiuslibet planetæ cum quo iungitur qualita-
tis naturam induere solet,ita vt cum Saturno frigidus & siccus, cum Ioue magis calidus & minus
humidus,cum Marte calidus & siccus,cum Sole vero gradu remissiori,cum Venere magis humidus
& minus calidus,cum Luna frigidus & humidus esse animaduertatur.Hoc idem etiam præstare ob-
seruatur aer qui variam temperaturam secundum varietatem influxuum cælestium atque differen-
tiam flatuum ventorum recipere gestit.Quare dicimus, quod aer simpliciter & in sua natura consi-
deratus, neque sit calidus, neque frigidus, nec humidus nec siccus, sed quatenus ab hylæ
tenebrosæ voragine, in prima creatione, sub nomine aquarum recesserit, ita aptior est parti-
cipare cum tenebrarum qualitate,quæ maxime absentia lucis regit, videlicet frigiditate; at vero
quatenus de forma lucida participat, eatenus promptus redditur recipere calidos & igneos influ-
xus. Hinc liquet,quod in propria sua natura,sine respectu ad alias influentias, eius aptitudo ad fri-
giditatem,per eius inclinationem,ad lucis informantis caliditatem tollatur, ideo nec calidus nec
frigidus originaliter & in sua essentia dici potest. Cum vero humiditas & siccitas sint qualitates
simplices de simplicibus,hoc est,de caliditate & frigiditate ortæ, inde sequitur, quod aer à natura
sua nec sit frigidus nec calidus, & consequenter neque humidus neque siccus. At vero quatenus
poten-

potentialis ipsius existentia in hyla seu chaos tenebroso naturaliter erat frigiditatis potentialis comes, quæ tum postea cum aqua actu à tenebris ad mundi creationem effluxit, ideo majorem habet aer ad humiditatem quandam occultam inclinationem, quæ tamen non est de existentia aeris, quippe qui in naturam seu conditionem extreme siccam conuerti potest, quemadmodum in statu æstiuali indicatur. Concludimus igitur quod aer sit aptus ad quamlibet quatuor prædictarum qualitatum suscipiendam, quam quidem aptitudinem in actum assidue solet producere secundum venti naturam & conditionem, qui flare solet. Verbi gratia: Aquilonares venti eum reddunt frigidum & siccum, Australes calidum & humidum, Orientalis & Eurus calidum & siccum, Occidentales frigidum & humidum, vnde factum est, vt qualitas aeris omni momento mutari possit: Secundum DEI ordinationem, qui eum disponit secundum suam voluntatem, imo vero recipit ipse quicquid ei infunditur, & tamen nihilominus essentiam suam spiritualem & vniformem retinet & conseruat.

CAP. V.

Vbi actiua aeris de vna qualitate in aliam mutandi ratio explicatur. Hic etiam traditur quomodo ipse de tenui in crassam & visibilem constitutionem indies alterari & mutari soleat.

TAmetsi aer (vti jam dictum est) in sua natura & existentia sit vnicus & simplex, tamen nihilominus mediante verbo & ministris angelicis flantibus & ventis diuersis eum commouentibus de vna qualitate in aliam, & consequẽter de substantia densa in tenuem vel mediocrem & è regione de tenui in densam migrare solet, idque quotidie. Quis enim in experientia versatus vulgari non videt, nubes ex aere concretas? & consequenter ipsam aeris substantiam in grandines, gelu, & pruinam frigore boreali condensari? Quod frigus à spiratione diuina scaturire, nos docent sacræ scripturæ. *Nam* (inquit Iob, cap. 37. 9.) *Glaciem DEVS fortis edit flatu suo-flante DEO crescit gelu*, & alibi dictum est, *emittente illo sermonem suum in terram, quam celerrime excurrit verbum suum, qui edit niuem sicut lanam, & pruinam sicut cinerem dispergit, deijcit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?* Psal. 147. 16. 17. Hinc ergo patet, quod aer tenuis & inuisibilis in materiam densam & duram concrescat, mediante verbo DEI frigora sua edente, quod verbum (teste veritatis fonte Psal. 104.) ab angelis validissimis robore efficitur. Iterum caliditate, mediante verbo, administrantibus angelis, emissa, aer contrariis flatibus in vapores & nubes aqueas reductus, & à flatu frigido, in niues, grandines, gelu atque pruinam mutatus, iterum in stillas aquarum resoluitur, quemadmodum ex consequentia vltimi testimonii à Psalmista illo allegati patet, Nam sequitur, v. 17. *Emittens verbum suum, liquefacit ista: simul ac efflat verbum suum effluunt aquæ.* Inde arguens, quod emissione verbi hoc est lucis diuinæ, & flante Austro virtute ipsius, ministrantibus Angelis, ea quæ congelauit frigidus Aquilonis ventus, ille Australis dissoluit in illud, quod fuit antea. Quod autem vapor aqueus, caloris actu in aerem, tanquam in materiam primam, à qua primitus est orta dissoluatur, nemo in decoctionibus vulgariter versatus negare potest. Aerem ergo condensat frigus, at illum subtiliat calor. Sed tamen causa condensationis & subtiliationis semper assistentibus ventis cum suis qualitatibus fieri solet, quorum oppositione aer intermedius comprimitur, & primum in formam vaporis, ac tum postea in fumum aqueum, seu nebulosam substantiam redigitur, hocque præcipue, si ventus calidus & humidus, seu meridionalis, contra frigidum & siccum seu septentrionalem contendat. Nam necesse est, vt aeris massa aquea vel humida, ex qua pluuiæ generantur, vel sicca, grandines & niues parturiens, secundum venti oppositi flantis dominium, interstitio seu medio aereo, ex his flatibus oppositis procreetur; Vbi vero spirante Aquilone non nisi parum aut omnino non se opponit Auster, ibi glacies, gelu & pruinæ ex aeris & aquarum condensatione & coarctatione producuntur. Sic etiam flante Austro, si Aquilo se non opposuerit, cœlum nubibus non adeo abundare cernimus, nec aerem ita madidum esse, sed quoniam ventus septentrionalis raro quiescit, igitur & raro sunt venti meridionales qui non nubibus & pluuiis associentur. Dicimus igitur, quod vniformis aeris natura sit per accidens apta, quamlibet ventorum dispositionem induere; vnde flante Borea ab Aquilone ipse aerem congelat, incrassat & eius partes dispersas sua siccitate congregat & agglutinat, & frigiditas coagulat & inspissat atque (vt in niue, pruina & grandine patet) in terream conditionem conuertit, spirante vero Austro à Meridie, iste viceuersa ventus illam aeris portionem, quam Boreas terream fecit, in aquam conuertit, quoniam opera frigoris à calore destruuntur atque dissoluuntur: Iterum spiritus calidi, & sicci venti Euri, illam aquam in dispositionem aeream aut igneam conuertunt, quam ventus occidentalis suo afflatu nutrit atque reficit. Nonne à totius veritatis testimonio docemur, ventos huiusmodi in aerem habere virtutem, vtpote in quo nobis scriptum relinquitur, *quod virtute verbi*; *quod* (vt testatur

ſtatur Dauid multis in locis) *venti ſeu angeli DEI efficiunt, facto in aere ſonitu & commotione, oſſa campi valde ſicca ad oſſa acceſſerint, vnumquodque ad iuncturam ſuam, & ſuper ea nerui & carnes aſcenderint, & extenta fuerit cutis deſuper?* Ezek. 37. Deinde dictum eſt, *aer ſeu ſpiritus à quatuor ventis accelera, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant, & egreſſus eſt ſpiritus, & reuixerunt.* Quid? Nonne cadauer putreſcendo in aerem inuiſibilem paulatim reducitur? nonne transformari id vſque ad oſſa, atque hæc etiam paulatim indies diminui obſeruamus? Nonne coagulum terreſtre, ſeu corpus humanum, atque etiam cuiuslibet animalis & plantæ, ignis vulgaris examinatione in fumum primum, tanquam meteoron medium, & tandem in aerem tanquam ſimplex ipſorum meteororum, ſeu imperfecte mixtorum, initium ſeu terminum, à quo receſſerunt, reuerti videmus? Vera Chimia periti agnouerunt, nullam eſſe completam rei diſſolutionem, niſi ſit per reductionem illius in primam ſuam materiam, quam dixere Aquam, minime manus madefacientem; Audiuimus philoſophiæ veræ ſectatores dicentes, aerem eſſe mare magnum philoſophicum, myſteria infinita comprehendens, in quo vndæ ſeu fluctus flatibus DEI variis, ſecundum voluntatem diuinam, exagitantur, & in Daniele propheta ſcriptum eſt cap. 7. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*, Et hoc eſt mare illud magnum, in quod infinita introierunt flumina, videlicet influxus cæleſtes, de quo ſic loquitur Philoſophus. *O cœlum noſtrum! O aqua noſtra! O Mercurius noſter! O ſal nitri noſtrum in mari mundi verſans! O Vegetabile noſtrum! O Sulphur noſtrum fixum & volatile! Aqua non madefaciens manum, ſine qua nemo viuere poteſt &c.* Et quidem Mercurium recte adpellauit aerem Philoſophorum, quoniam ſecundum cuiuslibet planetæ influxus, aut venti inſpirantis naturam, videtur & ſuam naturam alterare. Nonne etiam pro huius rei confirmatione videmus, ipſum Argentum viuum vulgare (quod & ob hanc cauſam Alchimiſtæ vulgares Mercurium dixerunt) cum quolibet cæterorum metallorum fuſibilium iunctum ſeu Amalgamatum naturam ſuam conuertere in naturam metalli cum quo iungitur, ad inſtar Mercurii cœleſtis, qui conuertibilis eſt in naturam cuiuslibet planetæ cui applicatur. Et tamen hoc argentum viuum eſt nihil aliud, quam merus aer, in aquam viſibilem, ponderoſam, mediante frigore commutatus, quemadmodum per effectum indicatur, nam ignis violentia euaneſcit, & in aerem, à quo primordialiter eſt ortum, transmutatur; at vero, quod hic aer ita in aquam condenſatus, ſit terra in potentia, inde probatur, quoniam Chimiæ induſtria in terram, per ſe, & ſine ope alterius, præcipitatum eſſe obſeruauimus. Atque iterum ſapientes ex argenti viui centro ignem viuum exiliiſſe animaduerterunt: quibus indicatur, quod aer in nubem Mercurialem ita redactus, naturam cuiuslibet venti & per conſequens cuiuslibet elementi in ſe habet. Nam & hoc idem in nube ex aere in ipſius gremio ſeu vtero formata cernimus, in qua ignèm, aquam, terram, atque fumum ſeu ventum eſſe docet experientia, vnde dicit philoſophus, Conſidera obſecro ſimplicem nubis aquam. Ecquis vnquam crederet, illam in ſe continere omnia, quæ mundus habet, lapides duros, ſolia, aerem, terram, ignem, & tamen ſimplex per ſe apparet aqua. Experientia etiam à nobis expertum eſt, quod aeris in magno vitro rotundo incluſi, & igne ſigillati portio, ſi ſoli cæleſti vel calori lento exponatur, in aquam conuertetur; ratio vero eſt, quoniam caloris natura eſt, aerem antea frigiditate mediocri imbutum ſubtiliare: Sed quia aer ſubtiliatus latiorem pro ſua exiſtentia dilatata requirit locum, ergo neceſſe eſt, vel vt frangatur vitrũ, vel vt tantum aeris in aquã condenſetur, quantũ excedit aeris locati atque jam ſubtiliati dimenſio locum, ſi eſſet totus ſubtiliatus, quod quidem in inſtrumento noſtro experimentali perſpicue declaratur. Sequitur ergo, quod eadem aqua, quæ antea erat aer, caloris abſentia & frigoris præſentia in aerem iterum recedat, ne vacuum ſuccederet, quoniam frigus ſuam in ſpiſſitudine requirit portionem, non aliter, quam calor in tenuitate ſuam. Quibus apte declaratur aerem (qui nihil aliud eſt quam aqua ſubtilis) in groſſam aquæ viſibilis & denſæ diſpoſitionem facillime conuerti poſſe. At quoniam certum eſt, quod omnis res viſibilis ſit prius à re inviſibili, iuxta illud D. Pauli ſuperius allegatum: videlicet, *quod per fidem ſemper ita actum ſit cum mundo per verbũ Dei, vt ex iis quæ videri non poterant, fierent ea quæ poſſunt videri,* Heb. 11. ideo pro axiomate infallibili eſt habendum, aquam viſibilem ab aere, ſeu aqua, aut ſpiritu inviſibili, factam fuiſſe primordialiter, vnde cum dictum eſſet, *quod ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas* innuere voluit Moyſes (vt Auguſtinus interpretatur) amorem igneum ſuper aquas ſpirituales, & non viſibiles, vnde creata eſt ſubſtantia cæli Empyræi atque illa angelica, quæ eſt ſublimior aeris ſeu ſpiritus vniuerſalis portio. Concludimus ergo, quod groſſa à ſubtilibus primordialiter & à priori fuerint facta, & non è regione: ſimiliter ſubtilia à groſſioribus finali reſolutione & à poſteriori, quod etiam ſacrorum teſtimonio ſic confirmatur. *Quis numerauit cœlos in ſapientia, & quæ deſcendunt de cœlis, quieſcere fecit? cum deſcenderet puluis in duritiem illam, & glebæ ſibi inuicem adhærerent?* Iob. 38. 37. Quibus indicatur, quod terra prius è cælis deſcenderit, ab aere ſcilicet, ſeu ſpiritu mundano; quod etiam à lapidis ceraunij ſeu fulminaris generatione luculenter declaratur. Quid ergo eſt aer vniuerſalis, & qualis conſiſtentiæ? Certe *eſt ſpiritus intermedius inter tenebras & lucem, ab actione & paſſione mutua in creationis inſtante, operante vento, producta,* nam creatio typica facta eſt ad exemplar diſpoſitionis mundi creandi, in idea archetypica, atque hæc diſpoſitio relationem habet ad proprietates perſonarum in Trinitate Diuina, cum Deitatis vnius in proprietates tres diſtinctio eſſet reſpectu habito ad creationem mundi, nam priuſquam

quam

quam de creatione secum cogitasset vnica & summa diuinitas, in seipsam reflexit, contraxitque ardorem suum nec quidem reluxit mundo. Tenebris ergo refertur pater, luci effulgenti filius, & spiritui vniuersali ab vtroque progredienti spiritus sanctus. Pater dixit in tenebris, & dicendo verbum lucidum effulsit è tenebris, & radios suos emittendo spiritum reuelauit, qui est gluten & nexus inter patrem & filium, inter tenebras & lucem, inter corpus & animam. Pater in cælo Empyreo, igne circumsepto, & angelis assistentibus & ministrantibus vndique stipatus, regnat in secula seculorum. Filius cælos firmauit, & stellis ordines imposuit, & tandem statuit tabernaculum suum in sole. Et spiritui ab vtroq; ascribitur aer iste fluctuans, qui in sublunari mundi regione inuenitur, ad cuius nutum spiritus tam boni quam mali illum inhabitantes, vel ad benedictionem vel ad maledictionẽ mouentur, atq; disponũtur. Sic n. *verbo Domini firmati sunt cœli & spiritu ab ore eius omnis virtus eorũ*, *Ps*.33. Harum omnium mundi machinarũ locus seu sedes est aer seu spiritus vniuersalis, qui suo amplexu tam cœlum & sidera, quam terram comprehendit, & de hoc spiritu, humiditati procliui, intelligit D.Petrus dicendo, *Cœlum prius & terra erat de aquis & per aquas consistens verbo DEI*, 2. *Pet*.3. vbi denotat, non modo substantiam cœli quæ est inuisibilis, sed etiam illam aquæ grossæ, & ipsius terræ opacæ, esse de aqua & ex aqua: & quod hæc aqua fuerit inuisibilis, & consequenter aer, & mere spiritualis, indicat locus antea ex Hebr. 11. citatus, vnde sequitur, quod terra & aquæ visibiles, fuerint prius ex aere seu spiritu vniuersali inuisibili.

Differentia autem illa, quæ facta est in simplici & vniformi hoc mari aereo vniuersali, tam in cœlo quam loco sublunari, non est à natura aeris, sed à dispositione spheræ, vel Orbis, qui etiam & naturam suam accipit à dispositione angeli ei præsidentis, vti sphera Saturni suam temperiem frigidam & siccam à spiritu Zabkiele accepit, Martis, suam caliditatem & siccitatem igneam à Samaele, Solis, caliditatem suam viuificam à Michaele, Lunæ suam frigiditatem aqueam à Gabriele &c. qui quidem Angeli & has suas proprietates immediate à sephiritis, seu Sanctis DEI numerationibus, hoc est, portis lucidis accipiunt, vt infra copiosius demonstrabitur. Similiter etiam & elementorum sublunarium regiones à varia spirituum ipsis præsidentium dispositione suas recipiunt differentias, quibus etiam & ventorum spiritus conuenire videntur, quemadmodum in supernaturalium causarum meteora efficientium descriptione luculentius explicatum est.

Locus denique, quem Philosophi aeri attribuunt, est media illa spiritus mundani substantia, quæ inter terram atque ignem interjacet; & licet, vti dictum est, vniuersa aeris substantia sit vnica & simplex, in pura & mera sua dispositione: tamen portio spiritus huiusce mundani sublunaris spissior est in sua basi, ob tenebrarum terrestrium frigiditatem, ita vt appareat esse visibilis aqua, in sua vero summitate obseruatur esse subtilis & tenuis valde, respectu calidæ cõditionis, quam elementũ summum habet ab Angelo ei præsidente. Et tamen tota portio spiritus illius, à centro terræ, ad periferiæ summitatem vsque, in sua simplicitate naturaliter & per se non differt, sed verbi diuini virtute & voluntate, aduentitio quasi more, quotidie in qualitate alteratur, vtpote ille in creationis momento, à conflictu, inter lucem & tenebras facto, erat aptus, tam de tarda & stupida frigiditatis tenebrarum, quam de celeri & agili lucis caliditatis actione participare. Nam deformis & tenebrosa abyssi congeries, frigore priuatiuo contracta & congelata, immediate post lucis diuinæ emissionem, caloris eiusdem actu dissoluta est, & in speciem humidam aquarum inuisibilium redacta, quæ, quamuis propter sicci & congelati resolutionem, madida & fluida atque mobilis apparet, tamen illam mobilitatem atque fluiditatem à calidi actu, vt & illam humiditatem ab illo frigidi accepit: quare si extremi caloris actum patiatur aer, & minimum habebit frigiditatis, & consequenter, humiditatis indicium, maius autem siccitatis, & sic ad naturam ignis accedit, quæ & elementum igneum nuncupatur, similiter quanto magis prædominatur frigiditas, eo minus habebit spiritus cum caliditate commercium, & consequenter grossior erit, & in visibilem aquam redactus, atque ad siccitatem terræ propinquior, vnde & minus humida: vbi vero frigiditas terræ seu tenebrarum, & caliditas ignis seu lucis æqualiter coeunt, in hoc spiritu, ibi tum mediocriter est ille tenuis, & intenso modo humidus, atque hoc euenit circa mediam aeris regionem, a qua, quo magis receditur ab igne ad terram versus, eo magis densus est spiritus, & sensui subiectior, & contra. Atque hæc est naturalis huiusce spiritus in creatione dispositio, quam à tribus primis numerationum Sephiroticarum influxionibus accepit, qui spiritus, quamuis per se & in se sit simplex, & quasi potentialis, tamen instar ceræ aptus est, cuiuslibet qualitatis seu impressionis dispositionem recipere, secundum voluntatem & ordinationem diuinam, quam angeli, vtpote DEI ministri, verbum eius efficientes, in forma ventorum & ignis vrentis exequũtur, vti testantur sacrosanctę scripturæ. Quare haud inepte dicendum putamus, quod aer seu spiritus mundi intermedius inter lucem & tenebras in sua natura sit neuter, quasi & in medietate stans inter vtrumque extremum, at pro voluntate diuina magis quandoque huic vel illi adhærens, mediantibus angelis; qui eius naturam multipliciter ducunt, ad meteorum huius vel illius naturæ producendum, hocque vel ad maledictionem, vnde morbi sequuntur, & corruptionis spiritus prædominantur: vel ad benedictionem, & huiusmodi sunt fertilitatis vegetabilium, & sanitatis animalium authores, seu causæ propinquiores, quemadmodum testimo-

nio Sancto docemur: Atque hæc est ratio, cur aerem per se neque calidum neque frigidum, nec humidum nec siccum esse diximus, sed quandoque calidum, quandoq; frigidum, & aliquando humidum atque siccum. At vero ipsum in creationis suæ instante, de humiditate quodammodo, & more quasi aduētitio, præcipue gustasse diximus, propter rationes superius allegatas à nobis; Imo vero & ipse Aristoteles, & Robertus Lincolniensis, eius commentator, hoc idem in eo videntur innuere, vbi volunt quendam vaporem esse calidum & humidum, quendam calidum & frigidum, atque alium calidum & siccum, (quem alij exhalationem dicunt) at vero vaporem nullum esse frigidum & siccum asseueranter dicunt, tametsi lapidem Ceraunium seu fulminarem, terrestrem habere constitutionem videmus, & per consequens causam eius propinquiorem fuisse aerem, vel aquam, seu grossum vaporem frigidum & siccum, nam, quod facit tale, est magis tale: At Philosophi isti dicunt vaporem calidum & siccum esse partim ab aqua, & partim à terra, & illum calidum & siccum esse volunt à terra, at vero frigidum & humidum ab aqua exhalatum esse dicunt. Quasi vero ipsa aqua atque etiam consequenter terra non essent de aere potius, quam aer de aqua vel terra, cum in Genesi, de cœlo (quo nomine aer intelligitur) priusquam aut de aquis visibilibus aut terra facta sit mentio, cum cœlum esset opus secundi diei, vt & aqua visibilis, & terra tertij. Nec quidem in cursu Naturæ æquum est, vt principiatum sit causa principii, sed vice versa, Cœlum & terra facta sunt ab huiusmodi aquis invisibilibus, vt testatur D. Petrus 2. Petr. 3. 5. & D. Paulus loco antea citato ait, *quod res visibiles essent prius iis, quæ non videntur, Hebr.* 11. At in Philosophia & Theosophia occulta peritiores agnoscunt (Reuchlin cab.) res omnes inferiores esse repræsentatiuas superiorum, atque hinc inde esse dicunt, quod vti fit inferius, sic etiam agatur superius, atque hoc omnes Hebræorum Doctores & in Cabala solertiores approbant, vnde sequitur, quod signa & ico terræ & aquarum fuerit prius in aere, vt impressiones aeris ab æthere prius descenderunt, non aliter quam cœli imaginem & mundi exemplar, à throno Archetypico descendisse, nemo vere Christianus negabit.

Aerem ergo primam meteororum cuiuslibet generis originem materialem esse concludimus, qui secundum dispositionem angelorum, ei prædominantium, & in eum spirantium, de vna constitutione in aliam voluntate diuina alteratur, dicimusque, quod spirantibus ventis igneis (*nam angeli sunt venti & ministri* DEI *flammantes*) supremæ aeris regionis substantia (quæ nihil aliud est quam ignis invisibiliter dilatatus) contrahatur in visibilem Cometæ vel alterius meteori eiusdem generis speciem, secundum naturam angeli agentis. Similiter secundum venti naturam, angeli ignei contra illos aqueos spirantes, vbi aquei etiam æqualiter prædominantur, tonitrua, & fulgura, seu meteora mixta, aeris compressione efficiunt. At si venti frigidi præcipue præualeant, aut humidi cum minima caliditatis portione, ibi niues, grandines, vel pluuias, sine fulgure aut coruscatione procreari dicimus, in media aeris regione, Denique si ventorum calidorum dominium sit in media aeris regione, tunc meteora ignea generari solent in infima aeris regione, a loco nubium vsque ad terram metiendo, compressione partium aeris ignei, vbique in hac regione dilatati: vnde stellæ cadentes, Castor & Pollux, Ignis fatuus, &c. vt si ventus prædominans sit mediocriter calidus & humidus, instar auræ à Zephyro efflatæ, rorem facit beneuolum & salubrem: si frigore & siccitate abundet, pruinam & gelu inducit, in mediam aeris regionem, in qua quidem generatione causa materialis est aer, causa efficiens propinqua ventus, seu aer motus centraliter ab angelis, efficientibus verbum Dei, remota seu primaria DEVS Pater, omnia quæ in mundo acta sunt ordinans. Et tamen reuera Angeli sunt tantum organa, in quibus & per quæ immediate & solus agit in spiritu creato. Quare inanes sunt illorum opiniones, qui posuerunt, vapores, à terra vel aqua surgentes, esse causas materiales meteororum in aere, & cæcus fuit Aristoteles, cæci (inquam) Peripatetici, & omnes Philosophi qui de meteororum naturis, ignoratis ipsorum causis, tam materialibus quam efficientibus scribere sunt ausi. Non intellexerunt isti seculares sapientes seu Philosophi, quod cum aere, in creationis puncto, simul creauerit verbo suo angelos & spiritus, qui in aere circa directionem tempestatum, pluuiæ, niuis, grandinis, pruinæ, nubium, fulguris, tonitrui coruscationis, chasmatum, fulminis, aquarum, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, & id genus aliorum quam plurimorum munus suum ac officium obeunt ac exequuntur. Atque hoc ipsum quoque etiamnum hodie fit, in verbo eius. Attende (Lector Christiane) quam futiliter de istis jam commemoratis rebus scribant Philosophi, quos in omnibus sequuntur. (proh dolor!) Scholæ Christianæ, vnde nimirum, nubes, pluuia, grando, nix, pruina, calor, frigus, fulgur, tonitru, fulmen, lapis ceraunius, aquarum inundationes, ac tempestates bonæ ac malæ oriantur: & palpabiles oculis apertis percipietis ipsorum errores: quam longe scilicet à sacrarum literarum doctrina distent. Fit autem hæc immanis inter verorum Philosophorum Christianorum & illorum Ethnicorum doctrinam differentia inde, quod neque DEVM neque sacrosanctum eius verbum recte cognouerunt, atque hinc etiam est, quod Philosophi Christiani ipsorum asseclæ Philosophiam veram in sacris scripturis absconditam contemnant, aut saltem negligant, vt deliriis duntaxat Ethnicis incumbant, & mendacium mendacio assuant. Quod si scripturam sacram eo studio perlegissent, quo volumina Aristotelis, & cæterorum Ethnicorum mendacia euoluerunt, veras procul dubio de tempestatibus in aere causas inuenissent, percepissentque, quod

nimirum

nimirum non eo modo circa illas res sese habeat, atque illi Ethnici in libris suis spureis scripserunt, sed quod DEVS pro hisce iam commemoratis speciebus peculiares suas arcas thesaurarias habeat, ex quibus ventos & tempestates producit, Ierem. 10.51. & quod angelos & spiritus suos faciat flammas igneas. Psal. 134. Habet (inquam) DEVS ad varietatem tempestatum inducendam peculiares suas arcas thesaurarias, & angelos, ac spiritus, mediantibus quibus omnia illa inducit, quæ videmus: quam mirifice nimirum tempestates suboriantur, quam mirabiliter lapis ceraunius seu fulminaris coalescat, qua ratione æstus & frigus generent tonitru, vt ædes, & arces, & arbores vsque illud pertingat, &c. Et quamuis fortasse stultis videatur hoc nostrum minimi momenti conamen, attamen si rem accuratius paulo considerauerint, percipient quidem, quod honorem diuinum concernat, vt filij DEI vere & ex fundamento sciant & intelligant, tempestates, & alias eo spectantes operationes esse non motu proprio, aut casu fortuito, aut talibus ineptis modis quales libri Ethnicorum erronei fingunt, sed ex prouidẽtia diuina, & thesaurorum diuinorum arcis induci & prouenire, ac desuper in hunc mundum inferiorem demitti, quo, quando tempestates periculosæ suboriantur, aut meteora morbida atque pestifera per aerem disseminentur, inuocare DEVM possimus, vt velit istud meteororum & tempestatum atque aeris contagiosi periculum à nobis clementer auertere, & loco illorum meteora benigna & salubria largiri, atq; insimul etiam fructus terræ, vna cum hominibus & pecoribus, ab omni malo defendere, tueri, ac conseruare.

Concludimus ergo, quod cum omnia per verbum DEI sint creata, & per idem quoque verbum in indito sibi primitus in creatione cursu dirigantur, gubernentur, moueantur & ducantur, necesse sit etiam, vt Aer (qui est Pan seu Natura vniuersalis) in verbo DEI maneat, & per constitutos ad hoc angelos DEI ducatur, quando, quo, & quomodo DEVS vult, atque ita etiam ex mandato diuino per Moysen difficilia meteora mouebantur, verbi gratia venti, nubes, grandines, columna nubis, & ignis, tonitrua, & huiusmodi alia, secundum voluntatem diuinam. Denique hoc in primis est obseruandum, quod aer sit cuiuslibet rei origo materialis, vtpote qui omnia in se comprehendit elementa, & consequenter, quod sit mater omnium, non aliter quam verbum Dei est eorum pater: nam Tenuis aer est elementum ignis, quod condensatione producit meteora ignita, intuitui subiecta, vt Cometa, Lancea, coruscatio &c. Porro aer mediocris est spiritus intermedius, inter igneum elemẽtum, & illud aquæ visibilis, aer spissus est nebula, nubes, & pluuia, & consequenter aqua. Terram autem aquæ spissitudo seu fex aquæ, vti in lapide ceraunio seu fulminari videre licet: Vnde fit, quod terra subtiliatione fieri potest aer spissus, seu aqua: & aqua rarefactione fit aer mediocris, atque iste denuo in aerem tenuem & rarum, seu ignem, vlteriori attenuatione sublimatur: Atque hic est circulus in natura, quem verbum Dei mediantibus angelis secundum voluntatem diuinam circumgyrat. Quare videtis, quod omnia, quoad materiam, sunt ex aere operante verbo.

Cap. VI.

Quomodo etiam meteora in terra & aquis generentur, & de ratione eorum.

IN superioribus declaratum habemus, omnia, quoad substantiam, originaliter ex aere conflata esse, nec quicquam existere sine beneuolo ipsius afflatu, cum absque eo nihil viuere possit. Nam aer tenuis alit spiritum rerum in mediocri sua substantia, humores nutrit, & grossa corpora solida quotidie reficit, quibus aeris differentiis tales permanent illæ res, quales extiterunt. Abundat ergo aer, idque affluenter, in omni re, vtputa in terra, in aqua, in petris, lapidibus, in homine, cæterisque animalibus, atque etiam in qualibet planta; Vt igitur videmus, quodlibet animal aere & spiritu impleri, aeremque quotidie ad suæ vitæ sustentationem inspirare, ita etiam & terræ & maris atque aquarum vita in aere consistit, per quem subsistunt, & perpetuo refocillantur. Nec quidem solummodo inest aer in locis vacuis ipsius terræ, quemadmodum & in locis corporis humani, & cauis, sed etiam ipsos terræ & lapidum atque metallorum poros vndique penetrat, eosque spiritualiter implere certum est. Porro etiam aquarum substantiæ aere plenæ sunt, vtpote quæ primordialiter ab aere processerunt, non aliter, quam sanguinem, tam arterialem quam venalem, vndique aereo spiritu repletum habemus. Vt ergo in interstitio inter Lunæ sphæram & terram, aerem in se vniformem, in partes qualitate diuersas ordinatum diximus, sic etiam & aer, in aqua vel terra contentus, similem obseruat ordinem, vtpote qui crassior & densior est iuxta terræ centrum, vnde mineralia ex aqua grossa atq; ponderosa conflata generantur, in terræ vero meditullio attenuatur aer, & in lapides concrescit, paulo altius in aquam fontanam euadit & condensatur, ex quibus vegetabilia præcipue dependent, & in superficie terræ se iungens, cum mari mundi aereo aperto in fumum conuertitur, ad animalium generationem vtilem. Atque hanc aeris proportionem sibi vendicauit terra ad suam existentiam, in primordiali creationis suæ momento. At vero & hic aer in terra &

aqua ita contentus, suis etiam fruitur meteoris, tam in terra quam extra terram, vtpote, qui diuino actu, cum ministris eiusdem, non magis caret, quam mare mundi aereum: juxta illud Psalmistæ, *DEVS vbique adest, in cœlo, in inferno, in extremis maris, in nocte, & in tenebris.* Atque alibi, *DEVS quicquid vult facit, in cælis ac in terris, per maria & omnes abyssos, faciens vt ascendant nubes ab extremis terræ, fulgura cum pluuia facit, depromit ventum è thesauris suis, &c. Psal.* 139.7. Quod autem viscera terræ angelis refarciantur atque impleantur, narrat quotidiana in fodinis mineralium experientia, atque etiam locus ille in Samuele, vbi dictum est, *Vidi Elohim* (id est Deos) *ascendentes de terra*, 1. *Reg.* 28. Porro etiam Apostolus loquitur de *dominis tenebrarum, & spiritibus malitiæ in hoc mundo, Ephes.* 6. Horum igitur actu procreantur in terra fontes, fumi, atque etiam terræ motus, & hiatus, ignes sulphurei, Thermæ calidæ, subitanea ignis è terra eruptio, cum montium subuersione, qualis erat illa quæ ciuitatem Plurensem euertebat. Similiter in mari varia tempestatum genera oriuntur propter spiritus in aquis degentes, & in eas potestatem, ipsis diuino numine concessam, habentes, de quibus infra suo loco: quamuis caloris centralis actum Archæo naturæ seruo attribuant nonnulli ex sapientioribus, qui & suas proprias imaginationes habent.

Cap. VII.

De causa materiali meteororum in Homine.

HOminem ex spiritu & corpore, vt pote cœlo & terra, non aliter conflari diximus, quam ipsum mundum, vnde & Mundus Minor à Philosophis haud inconsulte nuncupatur: At vero, quoniam, vt testatur Mercurius Trismegistus Pimand. 8. homo est imago mundi, quem & in alio loco vocauit filium mundi, ideo necesse est, vt eius corpus tenebrosum, ab illo mundi terra videlicet, vt & eius spiritus aereus à mundi cœlo deriuetur, & quod ambo successione, mediantibus cibis terrestribus, & haustibus perpetuis poculi aerei sustineantur atque foueantur. Hinc testatur Moyses, *quod DEVS creauerit Adam ex limo terræ, & in faciem eius inspirauerit spiraculum vitæ:* vnde liquet, quod qualis qualis sit aeris externi status, spiritus humanus ad eum habere debeat relationem proprinquissimam, quoniam spiritus Macrocosmicus assidue se miscet cum illo Microcosmi, per inspirationem variam, atque ita necesse est, quod aer aerem non aliter inficiat, quam aqua sanguinea, vel niuea, vel crocea, aliam conuertit aquam in suam dispositionem, sic etiam aer vnius loci fætidus aerem etiam alterius suauem & beneuolentem pessime olentem reddit, & consequenter aer putredine & seminariis pestiferis inquinatus, aerem salubrem & mundum conuertit in suam naturam. Atque hoc est illud, quod Hippocrates & Galenus in variis suorum scriptorum locis cecinerunt, vt Isag. ar. med. c. 85. Diff. febr. l. 1. c. 4, Nam Galenus agnouit, corpora nostra necessario ab aere ambiente alterari: Et alibi ait; Calidiores aeris ambientis status, quales maxime circa canis ortum contingunt, per inspirationes quidem manifeste cor calefaciunt: corpori autem extrinsecus circumfusi totum ipsum calidius efficiunt, Sed præsertim arterias, vt quæ ipsius substantiæ aeris ambientis aliquid trahant, ex quibus omnibus cor affici est necessarium. Similiter Hippocrates Aph. 12. l. 1. nos docet, quod per aerem ambientem possimus pervenire ad cognitionem morborum: Et alibi dicit, quod ineunte hyeme, bilis, quia iam refrigescit, decrescat, & pituita de integro augeatur, tum à sequentibus pluuiis, tum à noctium longitudine. Hoc etiam idem agnoscere videtur ipse Hipp. lib. de Nat. 37. & per vniuersum suum librum primum, de Morbis vulgaribus: vbi à ventorum flatu, ex stellarum ortu & occasu dependente, sequentes morborum Epidemicorum effectus declarare & prognosticare visus est ipse, Hipp. de morb. vulg. lib. 1. cum Galeno suo commentatore: Et Galenus in 8. lib. 1. de morb. vulg. agnoscit animalium corpora alterari cum aere, ita vt per imbres fiant humidiora, per calores seu æstus ficciora: aitque, quod cum vigent calores caput erit firmum: cum frigora abundant erit, ipsum quidem leuissimum, cæterum thorax & pulmo laborabunt: Porro etiam alibi in hæc verba loquitur; *Eorum quæ extrinsecus in corporibus accidunt, vnum certe est quod separari ab eo non potest, vtpote quod illi perpetuum veluti cognatum adhæret, aer scilicet ambiens, qui nos lædit, vel quod nimis calidos immodice, vel quod frigidos, vel humidos, vel siccos efficit, lib.* 1. *c.* 3. *de Tuend. Sanit.* Infiniti sunt alij tum Hippocratis tum Galeni loci, quibus admonemur, aerem internum vnionem inseparabilem habere cum spiritu animalium. Ratio autem, quomodo aer in pulmones attractus, ab iis coquatur, demonstratur à Galeno lib. 7. de vsu part. c. 8. Similiter, quomodo aer, qui respirando trahitur, bifariam, partim ad cor, mediantibus pulmonibus, partimque ad cerebrum, assistentia narium vehatur, Gal. de caus. rep. Denique ipse in libello insignito, *An Sanguis in arteriis natura contineatur*: aerem inspiratum per quodlibet totius corporis membrum, mediantibus pulmonibus, corde, & arteriis, ac naribus transfundi fatetur.

At vero iam sermonem leuem de aere seu spiritu in homine comprehenso, ac de eius ortu, sede & motu in corpore humano faciemus, in cuius centro animam viuentem inhabitare alibi declarauimus, non aliter, quam lucidas vitæ influentias à sole in hæc inferiora demissas, in intimis aeris

mundani

mundani viſceribus abſcondi diximus. Inquit Mercur. Triſmegiſtus Pimand. 10. *Anima hominis in hunc vehitur modũ, Mens in ratione, ratio in anima, anima in ſpiritu, ſpiritus in corpore, qui ibi per venas & arterias ſanguinemque diffuſus, animal vndiq; ciet, molemque corporis ſuſpenſam ſuſtinet & circumfert, vnde decepti quidam humorem ſanguinis animam exiſtimarunt, hos plane latuit, quod inprimis oportet ſpiritum ad animam vſque manare, deinde ſanguinem coaleſcere, venasque & arterias cauas extendi, demum reſolui animal, quæ reſolutio eſt corporis mors.* Hæc ille, in quibus ſane verbis denotat ſpiritus ſeu aeris dominium in corpore, vtpote quem facit animæ vehiculum, imo vero innuere videtur, quomodo mediante ſpiritu cum ſua forma ætherea ſanguis primordialiter profluxerit, ac ſi dixiſſet; per meteoron aereum, forma ſua interna agitatum, hominis internum, atque etiam humores ipſius procreari: iuxta illud ab Hippocrate ſupradictum, *bilis ineunte hyeme frigeſcit & decreſcit, & pituita de integro augetur*: Vnde patet, quod aer cum ſuo interno, ſit cauſa varietatum humorum, vel mutationis vnius humoris in alium, qui quidem humores ſpeciem meteororum induunt; Imo vero reſolutione animalis ſanguis in ſpiritum ſuum internum non aliter, quam meteora cœli in aerem immigrare ſolet; Vnde & Triſmegiſtus: *Anima recurrente in ſe ipſam ſpiritus in ſanguinem, anima in ſpiritum contrahitur &c.* Nonne etiam confirmant ſacræ ſcripturæ, quod animæ ſedes ſit ſanguis? Vnde & ſequitur, quod ſanguis nihil aliud ſit, quam aer temperatus, ſecundæ miſtionis, in maſſam illã ſanguineam, tãquam meteoron naturale, inſpiſſatione redactus. Aer igitur hic vndique per corpus diſperſus & animam per omnes corporis particulas vehens (quomodo dicitur à Philoſophis eſſe in toto & in qualibet parte) eſt locus ille ſublimis, in quo meteora ſeu ſublimia imperfecte miſta procreantur, atque etiam, ex quo inſpiſſatione, à ventis Microcoſmicis, ad imitationem illorum Macrocoſmi facta, meteora varia, tam ſalubria quam inſalubria producuntur in homine; quorum quæ magis ſunt ſpiritualia & inviſibilia, animæ paſſiones bonas vel malas afferunt, ſecundũ naturam meteori vel fauſtam vel infælicem, quæ in & ex iſto aereo medio procreatur. Quare ſyncere hoc idem eſt de cauſa horum meteororum efficiente interna dicendum, quod de illa meteororum mundi magni, videlicet, quod cauſa primaria ſit eſſentifica nominis DEI ineffabilis proprietas, vel ad clementiam, vel ad punitionem vergens, qua ea ordinantur, quæ tum poſtea ab Angelicis ſuis miniſtris, verbum ſuum facientibus, executioni mandantur, mediante aere, quem in hanc vel illam naturam & conſtitutionem, pro diuini creatoris voluntate, mutant & conuertunt, vbi alibi aperte magis atque copioſius demonſtrare nobis propoſitum eſt.

Atque hoc modo habetis oculis veſtris objectam ſpiritus humani Anatomiam ſimul, atque relationem ipſius cum illo Macrocoſmi neceſſariam. Iam vero de comparatione inter ipſum corpus & ſpiritum humanum, ſeu mundi minoris, atque illud cum ſpiritu terræ in mundo maiori ſermonem, & quidem ſuccinctum facere mihi liceat: Vtpote inter quas creaturas mundi ſublunaris nobiliſſimas, maximum & valde neceſſarium factum eſt, omni temporis momento, commercium & reciprocatio.

Vt igitur à ſacro fonte haurimus, *DEVM ipſum hominem ad ſui ipſius imaginem conſtituiſſe*, ſic etiam & ipſum omnes ſuas creaturas pro vſu hominis creaſſe atque ordinaſſe vbertim legimus, vnde & à Pico Mirandulano, & aliis Philoſophiæ diuinæ peritioribus, haud inepte nuncupatur *Homo omnis creatura.* Huic nobilitate & excellentia in inferioribus corporibus ſuccedit terra iſthæc immenſa, cuius nutu & adminiſtratione, omnia corpora inferiora perfecte miſta nutriuntur & reficiuntur indies, poſtquam ab ea prius acceperint maſſæ atque ſtructuræ ſuæ fundationẽ, Et tamen hæc ingens & Gigantea creatura pro vſu humano erat creata, iuxta illud Pſalmiſtæ regii, *DEVS fecit terram deditq; tam filiis hominum*; ex quibus colligere fas erit, hominem ipſum eſſe omnium creaturarum finẽ, & conſequenter creaturã eximiæ celſitudinis. Terra autem dignitate huic proxima eſt, vtpote quæ nõ modo hominis externi eſt baſis, verum etiam creaturas omnes ad vitam & victum humanũ requiſitas producit, cõtinet, atq; alit. Et certe maxima eſt inter has duas creaturas in ſua compoſitione relatio, (ſi rem paulo curioſius explorauerimus) Nam vt hominem obſeruamus ex corpore & ſpiritu compactum, in quo quidem ſpiritu anima quædam diuina, ſeu principium quoddam internũ agens, ſuam habitationem tenet; ita quidem res cum terræ Macrocoſmicæ mole ſeſe habet, quippe quæ ex corpore externo & ſpiritu interno, à creatore compacta atque formata erat, in quo quidem ſpiritu anima quædam Solaris habitat, quam ſapientes haud inconſulte Solem centralem dictitarunt. Sunt ergo vtræque hæ creaturæ eximiæ animalia (vt ita dicam) iiſdem vitæ functionibus & officiis prædita, corpora (inquam) vtraque, tam ſupercæleſtium quam cœleſtium, & aeris ſublunaris influxuum vehicula, receptacula, atque matrices, quæ ſpiritus ſimiles ab vniuerſo aere ſublunari, tanquam ex magno ſcopulo ſeu mari ſpirituali exciſos, non aliter continẽt, quam circulum ſeu ſphæram lunarem, integram aeris ſublunaris molem amplecti cernimus, atque huiuſmodi aer ſeu ſpiritus, tam in homine quam in terra incluſus, tantum cum vniuerſo aere mundano conſortium atq; commercium habet, quantum vnica aquæ gutta ad ſuum integrum, vtpote qui glutine inſeparabili vniuntur cum aere, ſeu ſpiritu magno mundano, non aliter quam gutta aquæ marinæ appoſita, vnione inſeparabili cum aqua illa integra coniungitur. Eſt enim aer, ſiue in terra ſiue in homine concluſus,

homogenius, & eiusdem identitatis naturæ cum illo mundi maioris, viuit ergo atque sustentatur spiritus humanus inspiratione aeris externi, mediante quo reficitur & præseruatur atque nutritur, tam donis cælestibus quam sublunaribus. Viuit reciproce & ille terræ, & ex eodem fonte vitæ suæ laticem haurit, & sine aeris infiniti inspiratione ne momento quidem temporis perdurare potest. Hinc ergo est, quod ab Astrologiæ & abstrusioris Philosophiæ patribus confirmatum habemus, non modo terram, verum etiam omnia corpora, quotquot etiam sint cælestia, pro animalibus quibusdam giganteis æstimari, vtpote in quibus inest spiritus vitæ ab vniuersa mundi anima inspiratus, à qua quotidie spirituum administratione successiua reficiuntur & viuunt, atque ob hanc causam maxima spiritus aerei distantia inter quodlibet ingentium horum animalium corporeorum interponitur, vt cuilibet eorum tantum spiritus vitalis successione administraretur, quantum ad ipsius & creaturarum, ex eo & in eo viuentium, existentiam, vitam, & inspirationem necessarium est, sine ambitiosa vnius in portionem alterius intrusione siue incursione, vnde fit, vt Creator Optimus Max. cuilibet eorum locum quendam constantem in mundo præfixerit, ne vnum more rapaci ex sua patria, seu vltra limites proprios vagans & excurrens, limitem seu portionem, alteri à creatore concessam, temere aut iniuste inuaderet, atque ita bellum & discordia in mundi pacifici visceribus accenderetur: quare stellæ & terra eandem semper stationem sibi vendicant. Totum ergo regionis aereæ spatium, inter Lunam & terram, tam lunæ quam terræ, sed præcipue terræ appropriatur, sine cuius spiritus afflatu impossibile est, vt aut terra aut aliqua ipsius creatura perdurare queat. Vnde procul omni dubio terra non aliter inspirat atque exspirat huiusmodi aereum spiritum, diuinæ vitæ gratia repletum, quam homo, aut aliquod aliud animal, aut ipsa planta; In homine ergo videmus, cor esse organum illud nobile, cuius officium est, spiritum inspiratione centraliter attractum purificare, atque tum postea superfluum & fuliginosum aerem expiratione emittere. Nonne etiam & suum cor habet terra, solem videlicet centralem, operante, quo magnetica quadam virtute attrahuntur cælestia vitæ beneficia per poros, vehente spiritu aereo, ac tum postea contractione seu coarctatione quadam, in forma vaporum emittitur, quod est superfluum, vbi in via vapo ille in venis congelatur, atque in aquam mutatur, vnde fontes oriuntur; quod autem vtile in suo ventre reseruatum est creaturis quas alit tanquam alma mater vbertim communicat, Pari etiam ratione cor humanum sui Manna seu mellis cælestis portionem, nouiter ab aere collectam seu attractam, per arterias omnibus totius corporis membris, & præcipue spiritibus eiusdem præbet atque vndique dissipat, quod autem superfluum est, emittit foras, & si locus, in quem exspiratur vapor ille, fuliginosus sit, arctus & frigidus, in guttas aquæ condensatur, verbi gratia si quis in phialam, aut speculum, aut marmor spirauerit, percipiemus illum spiritum in nebulam prius, deinde in rorem, ac tandem in guttas coagulatum; Sed obiiciet (scio aliquis) inspirationem ac expirationem terræ minime esse propriam, aut saltem hominibus penitus occultatam: cui respondemus, quod si fluxus & refluxus, maris ordinem & motum diligenti intuitu considerauerimus, percipiemus quidem, illum à natura naturante frustra non fuisse factum, sed potius pro inspiratione & expiratione ipsius giganteæ terræ ordinatum esse, ita vt in Diastole videatur terra quasi per refluxum dilatare, & in eo tempore subtilem aquam atque etiam aerem in viscera sua absorbere: in systole vero se quodammodo contrahendo, vel occulta naturæ virtute superflua, tam per os suum marinum, quam per poros eius expellendo, fluxum marinum facere: Nec enim sufficit iis, qui replicabunt, fluxum & refluxum non esse vniuersale; nam pari respectu pulmones in homine non esse in vniuerso corpore constat, sed in vnico ipsius loco respirationi & expirationi magis conuenienti: Similem etiam motum videmus in faucibus piscium recenter captorum, qui illas instar fluxus & refluxus maris modo contrahunt modo dilatant. At vero jam contra nos obiicietur scio; quod si hoc sit probabile, & rationi consentaneum, ostendatur ratio, cur non tantum adsit inter Systolen & Diastolen interstitium, quantum est inter fluxum & refluxum maris? Respondemus, quod quo maiora sunt animalia eo tardior est ipsorum in inspiratione & expiratione motus: at animal immensæ magnitudinis est terra, ita vt longum tempus ad completam spiritus eiusdem inspirationem, & per vniuersos eiusdem artus & membra interiora dilatationem, atque itidem expirationem requiratur, sed & hoc idem ab effectu probare videtur Salomon, qui asserit, *quod omnia flumina intrent in mare & mare nō redundet, ad loca vnde flumina exeunt reuertuntur, vt iterum fluant, Eccl. c. 1.* Ex quibus arguere videtur, quod tenuior maris pars, ab omni salsugine libera, inspiratione quasi in terræ viscera attrahatur cum aere, vndique in aquis illis disperso, vbi quod purum est, & pro victu creaturarum terrestrium conueniens, reseruatur ab Archæo, naturæ ministro, residuum vero in vaporem conuertitur, qui per venas & poros in via sua seu motu condensatur in guttas, quarum multitudine simul vnitarum fontes procreantur ad beneficium creaturarum & præcipue hominis qui est creaturarum finis, & ex fontium & riuulorum vnione flumina resultant, quæ viam ad mare, vnde oriuntur, accelerant; Atque in hoc sensu non erit (vti primo intuitu omnibus philosophis apparet,) inter illam Aristotelis opinionem, quæ est, fontium originem esse à vapore terrestri in aquam congelato, atque illam Salomonis, quæ est, quod fontes à mari oriantur, & in mare, vnde deriuati sunt, tendant, conuenientia. Bernardus non vidit omnia,

nia,nec Aristoteles vaporum illorum originem cum Salomone percipere potuit: Nec quidem velim,istam meam de terræ inspiratione & exspiratione sententiam ideo vanam esse putent scriptorum nostrorum lectores,quippe à nemine,quod scio,ante hoc tempus excogitatam,illam in fluxus & refluxus maris mysterio consistere,cum citra omnem dubitationem certum sit,plura adhuc homines latere,quam quæ ipsis sunt patefacta : quænam vero sit inter Peripateticos atque sacram scripturam differentia,satis superque in sequentibus declarabimus.

Sed pergamus in comparatione hac nostra inter hominis externum & terram. Inuenimus in spirituali seu aereo,hoc est, interno homine,tres aeris regiones puritate,tenuitate, & compositione ab inuicem varias; nam ex puriori spiritus animales constituuntur , ex mediocri vitales , & ex densiori naturales,quorum respectu,aeris,vniuersaliter per vastam mundi cauitatem expansi , aer prior seu animalis,mundi empyrei substantiæ assimilatur,vnde vehiculum est rationis atque sensus: medius seu vitalis spiritui æthereo,qui medius est inter summum & medium : & infimus seu naturalis spiritui sublunari,qui & aer communiter dicitur: At vero,respectu aeris sublunaris, spiritus animales supremæ aeris sublunaris regioni referuntur, vitales mediæ, atque naturales infimæ; est enim infima aeris regio,quæ corporis nutritioni confert; media , quæ ad vitam respicit & ad sanguinis arterialis procreationem ; Suprema sensui & interioribus animæ facultatibus confert, Nonne etiã ad aeris mundani & humani imitationem,tot aeris seu spiritus sui interni gradus seu regiones in se habet terra? Cum in suprema eiusdẽ regione regnũ animale inueniatur,quod est de natura magis ignea & Empyræa,iuxta omniũ Philosophorũ intentiones;deinde mediã eiusdẽ regionẽ occupat vis vegetabilis,quæ de natura aerea participat & ætherea, vel de aqua tenuiori,eiusdẽ vero regio infima est mineralis & metallica,quæ ex aqua grossa consistit,ex quib. metalla procreantur,sic enim in homine vis naturalis procreat partes solidas. H. autem spiritus,seu aer duplex,videl.tam humanus quam terrenus,ex vniuersi sublunaris aeris gremio iis à creatore, in ipsorum creatione, infusi sunt,ita vt nulla sit inter aerem hunc particularem inclusum , & illum vniuersalem in regione elementari vndique expansum differentia, prærerquam in loco : conueniunt inquam in natura, & nexu inuiolabili simul cohærent,non aliter , quam aqua terrestris ad illam marinam inseparabilem habet per flumina vnionem,atque hinc est, vt partes vnius & alterius sint perquam aptissimæ, coniunctione inseparabili simul colligari & permisceri, nõ aliter quã aqua cũ aqua:vnde fit, vt portionis minoris dispositio in illam maioris facile commutari soleat: Sic enim flumina dulcia in mare salsum perfusa in salsam eiusdem naturam migrare & transformari obseruamus ; Eodem plane modo aer vniuersaliter infectus,non modo terram, verum etiam creaturas eiusdem , tam animales quam vegetabiles,suo halitu inquinare animaduertitur; Ex quibus elicere fas erit,quod meteora, tam ignita quam aerea, & aquea, in aere vasto disseminata, aerem tam hominis quam terræ inficiant: Imo vero si meteora sint de superiore aeris aperti regione,tum ad spiritum internum hominis ob seminariorum suorum tenuitatem penetrare solent: atque hinc fit, quod cometæ & huiusmodi alia meteora ignita supremæ aeris regionis,dicantur etiam spiritus hominum rationales , ad passiones videlicet, iram,bellum atque dyscrasias periculosas excitare ; Pestes in spirituum medulla procreare, &c. Sic etiam vapores pestiferi in terræ visceribus,exagitantur ab inclusione , aeris seminariis meteorologicis pleni,quem per inspirationem attrahere solet, atque etiam suo halitu fructus & animalia inficit,ita vt alimentum hominis fiat magis exitiale,quam ille aer corruptus per inspirationem ad cor eius attractus. Atque hinc vt plurimum oriri videmus morbos epidemicos , qui plus à corrupta nutrimenti natura prouenire atque contingere solent,quam maleuolo cœlorum aspectu , qui etiam ad victuum corruptionem inprimis confert. Habet ergo homo sua meteora, quæ ad imitationem illorum aeris mundani procreantur,in qualibet eiusdem regione : quæ oriuntur à seminariis inuisibilibus,illorum in mundi aere dispersorum,& cum aere per inspirationem,tam mouentibus pulmonibus quam attrahentibus poris introducuntur,& cum spiritu humano permiscentur, vnde tam morbi, quos meteora maligna vocamus , quam sanitas , à meteoris maleficis seu beneficis procreantur,quemadmodum suo loco copiosius explicabitur. Habet etiam & terra sua propria meteora,quæ mediante potu & victu humano facillime etiam sua spermata, siue salubria siue venefica,cum spiritu humano permiscent.

Quod autem terra morbis contagiosis & passionibus variis laboret,ex his elicimus: nam in terræ motu gemere auditur ipsa,& tonitruorum voce quasi mugire,ac si morbo quodam contagioso & doloroso affligi videretur,vnde fit, vt præter horrorem & rigorem eius,quo maria pacifica repente eleuat in altum , turres & palatia confundat & diruat ; gentes etiam & ciuitatum populos peste inficiat lamentabili,& contagione deuastet : videmus etiam eam quandoque sterilem, & quasi alopecia languentem,quandoque inflammationibus sulphureis laborantem , & in calcem ac cineres, adustione redactam, quandoque aquis veneficis corruptam,& in paludem cœnosam & morbidam conuersam,nonnunquam aquarum inundatione submersam,ac quasi suffocatam,ac limosam atq; putridam factam,aliquando in puluerem desiccatam, & fissuris atque hiatibus vulneratam , nonnunquam etiam sudoribus æstuantem nebulosis,& mores suspiriorum exhalantem, atque infinitis huius-

huiusmodi passionibus præternaturaliter affectam, quæ omnia accidentia, ab aeris externi passioni-
bus meteorologicis, ipsam accepisse, spiritum internum eius (qui etiam est de aere externo) infici-
entibus, testantur tam Philosophi & astrologi, quam in theosophia peritiores. His (inquam) lan-
guoribus omnibus afficitur terra, vtpote quæ pro hominis beneficio primum ordinata, salubris &
passionũ expers, iam ob peccatũ Adæ maledicta & morbida redditur, quo hominẽ morbis atq; lan-
guorib. dolorosis annonæ defectu afficeret, eumq; pro inobedientia sua puniret; iuxta illud sapien-
tis; *Neque enim DEVS mortis est author, nec viuorum interitu delectatur, quippe qui omnia vt essent creauit, or-
tusque mundi sunt salutares, in quibus nullum venenum est perniciosum, nec inferorum regnum in terra, Inuidia au-
tem Diaboli mors introiuit in mundum*: *Sap.*1.13.*&* 2.24. At sunt nonnulli, procul dubio contra hanc me-
am opinionem insurgentes, qui sensum nullum inesse terræ, & consequenter, ipsam neque pati nec
dolore affici asseuerabunt, quibus itidem respondebimus, ipsos in sacris literis minime esse versa-
tos, aut ipsarum doctrinæ omnimodo oblitos; vtpote à quibus docemur, (vt in Ananiæ Azariæ &
Misaelis cantico in fornace ignea prolata habetur) quod Terræ sit benedicere Domino, atque lau-
dibus ipsum in perpetuum super omnia attollere, & non modo terram verum etiam Solem, Lunam
stellas, cœlum, aquas atque ignem, imo vero & omnes alias creaturas meteorologicas, sensum &
quendam rationis instinctum habere, Deum benedicendi, & ipsum inprimis laudibus magnifican-
di, ex illo ipso loco instruimur. Porro & Psalmista regius dicit, *Terram laudare Iehouam*, *Psal.* 69.35. &
alibi, *Terram intuente DEO tremuisse*, *Psal.*104. *&* *Terram imperatu diuino se aperientem Dathanem cum sociis
suis deglutiisse*, *Psal.*106. & multa alia loca recensere possumus hoc idem statuminantia, quæ nunc re-
censere nimis lectori fortasse foret tædiosum, similiter Solem mandatu Iosuæ in cœlo stetisse, di-
emque prolongasse legimus, atque ita in aliis: vnde certum est, terram non modo vitam sed & sen-
sum atque rationem quandam occultam possidere. Inuenerunt etiam in Magnetis mysterio peri-
tissimi, quod terra habeat suos polos, suos circulos, Zodiacum, Æquinoctialem, Solstitiales & Po-
lares. Vnde sequitur, quod venti etiam à suis plagis non aliter in eius spiritu interno flent, quam illi
à plagis mundi seu aeris aperti, at vero agnoscimus tales ventos particulares ab illis vniuersalibus
dependere, vt in sequentibus apertius ostendemus.


Concludimus ergo, quod sit mare in mundo aereum vniuersale, omnia mundi corpora sua præ-
sentia viuificans, omnia entia permeans, spiritum ipsis præbens internum, iisque de sua natura ae-
rea comiter impertiens, vnde fit, vt secundum aeris vniuersalis temperiem vel intemperiem facili-
me alteretur aer quilibet particularis, seu corpori cuilibet inclusus, atque consequenter corpora,
quibus promiscue perfunduntur aeres vt ita dicamus, hi particulares, sequuntur illorum ita inclu-
sorum conditiones, siue temperie seu intemperie ipsorum alterantur: atque hinc concluserunt
philosophi & medici (idque satis mature) quod temperatura corporis sequatur & temperaturam
animæ, vnde fit, vt perturbato spiritu interno ab externo, siue calore, siue frigore, siue humiditate
aut siccitate, iisdem etiam perturbetur afflictionibus & corpus, cui inest. Ex his igitur luculen:er
declaratur, quod, cum vniuersa aeris sublunaris congeries à multiformi meteororum siue salubri-
um siue insalubrium genere afficiatur, necesse sit etiam, vt aer particularis tam giganteæ creaturæ
terræ, quam paruulæ hominis itidem eadem ratione afficiantur: Imo vero & infecto spiritu terre-
stri ab illo mundano, videmus & hominis spiritum de eiusdem passionibus participare. Atque hinc
est, quod fames, & pestilentia, atque febres pestiferæ, vt plurimum sint comites inseparabiles, vnde
dictum est, quod regnante cometa fames prænuncietur atque pestis, fames autem terræ sterilita-
tem arguit, pestiferosque eiusdem spiritus, quo aluntur, fructus, impuritatem item & venenosita-
tem, atq; spiritus vniuersalis corruptionem: Vnde evenit, vt spiritus etiam humanus patiatur à spiri-
tu vniuersali corrupto, per inspirationem attracto, atque etiam à spiritu terrestri per viam nutritio-
nis, imo vero nonnunquam aer particularis ab infecto terræ halitu inficitur, vt in terræ motu
quandoque apparet, quem pestis sequitur. Et quod amplius est, dicimus reciproce, quod & spiri-
tus humanus suo errore corruperit illum terrestrem, vnde factum est, vt ob peccatum Adæ non mo-
do homo sed etiam ipsa terra (quam DEVS ab origine ordinauit pro filiis hominum)
maledicta fuerit, & ipsi homini exitialis, sed de his in sequen-
tibus abundantius.

Cap.

Cap. VIII.


De gradibus tribus in motu augmentationis & incrementi inter aerem simplicem & corpora meteorologica seu imperfecte mista, & de ratione mathematica eorum.

VLtimo præcedentis libelli capitulo declaratum habetis, quod de nihilo seu hylæ gremio facta sit progressio, per lucis emanationem ad vnitatem, cuius reuelatione & alia vnitas potentialis est producta, ei dispositione opposita, videlicet tenebræ, vnde à monade ad diadem, & à diade ad triadem, per spiritus humidi introductionem & productionem, ab his duabus, vtpote qui est gluten, ambo extrema simul tanquam animam cum corpore coniungens, ac tandem horum omnium ad numerum quaternarium, ad mundi simplicis complementum fit progressio ad quatuor, elementa ab inuicem differentia in actum producens, quæ mixtorum omnium sunt initia proxima, non aliter quam in geometria superficies quadratæ sunt corporis cubici principia immediata, quem quidem ordinem arithmetice sic depinximus.



†. Tenebræ absolutæ. a. Lux prima creatura. b. Prima mixtio lucis cum tenebris. c. Lux. d. Aqua 2. Tenebræ seu secundus compositionis simplicis gradus. e. Ignis. f. Aer. g. e. Aqua: 4. Terra: Radix. 2. Quadratum. 4.

Vbi numerus binarius est radix materialis, ex qua primum quadratum. 4. elementa indicans deriuatur, Ita etiam in corporum perfecte mixtorum productione totidem gradus intersunt, in motu naturæ, à quadrato seu 4. elementis, ad cubum seu elemẽratum perfecte mistum, qui omnes gradus corpora imperfecte mista reuera sunt dicenda, vtpote qui à simplicitate elementorum mixtionem versus progrediuntur, progressio igitur à quadrato ad cubum est huiusmodi.




In quo ordine h. 4. ſe habet ad perfecte mixtum vt 1. a ſeu lux progreſſionis ſimplicis ad e. 4. quatuor elementa. porro, vt b. 2. arguunt materiam primam & formam, ex quibus multiplicatione progreſſa ſunt 4. elementa: ita quidem e. 4. ſeu quatuor elementa, denotant materiam & formam in ſimplicitate elementorum, ex quibus iterum vlteriori multiplicatione corpora eo magis & perfectius miſta procedunt, quo profundius ſe immergit vnitas in materiæ multitudinem. Vt ergo vnitas lucida 1. a. eſt ſimpliciſſimus omnium ſimplicium fons, ſic etiam & e. 4. ſeu quatuor elementa, ſunt ſimpliciſſima origo corporum mixtorum, quibus ordo 5. ſeu quinarius ſe habet in progreſſu mixtorum, vt 2. ad nihil, ſeu tenebræ in ſimplicibus. Similiter ordo 6. ad illud 5. vt 2. ad 1. & 7. ad 6. vt 3. ad 2. ac tandem 8. ad 7. vt 4. ad 3. vt igitur in prima progreſſione videmus, qua eluceſcente 1. facta ſunt 2. ſic etiam ſeipſa conglomerantia 4. elementa, in ventre vnius aeris, nempe qui eſt ipſorum parens, vtpote vniuerſus mundi ſpiritus, producitur prima mixtionis ſpecies, ex quibus venti atque meteora inviſibilia tam ignita quam aquoſa, quæ paulatim ſe inſpiſſando, vi ventorum, vel naturam igneam viſibiliter induit, quæ per 6. vel ſextum ordinem arguitur, & relationem habet ad 3. ſimplicis progreſſionis, in qua vel aqua à luce exuberanter illuminatur, & meteora ignita denotat, quæ ſunt in ſecundo miſtorum gradu, vel aqua luci præualet, & meteora tonitruoſa arguit: tum demum gradus ſeptenarius meteora magis denſa & obſcura oſtendit, cuiuſmodi ſunt nubes grandinoſæ & niuoſæ, atque etiam pluuiales, & id genus alia, quæ ſi adhuc vlterius in compoſitionem pergunt, in corpora perfecte miſta coaleſcunt. Nam hoc pro certo ſciendum eſt, omnia corpora, tam animalia quam vegetabilia & mineralia, nihil aliud eſſe quam nubes ſeu meteora, ad perfectam miſtionem producta. Quis enim dubitare poteſt, quin quodlibet perfecte miſtum ſit prius imperfecte miſtum, cum neceſſe ſit, vt imperfectio intercedat inter ſimplicia, & ex ſimplicibus complete compoſita, cum impoſſibile ſit, duo reperire extrema, vbi medium inter terminum à quo & illum ad quem deeſt; Sic etiam in motu ad generationem obſeruamus, ſperma eſſe imperfecte quoddam miſtum, & quaſi nebulam ſeu nubeculam generationis, quæ motu naturali pergit aſſidue, quouſque ad completam fœtus ſeu perfecti miſti productionem peruenerit.

Dicimus igitur, meteoron ideo imperfecte miſtum nuncupari, quoniam in via eſt, ſeu motu naturali inter elementa ſimplicia in ventre aeris orta, atque metam perfectionis, ſpeciei illius, ad quam tendit quod ſi propter aliquod in medio impedimentum deficiat in ſuo motu, ita vt vlterius in via perfectionis progredi nequeat, retrogreditur paulatim in ſuam naturam ſimplicem, à qua primitus deriuatum eſt, & ſi à ventis venenoſis, aut ſpiritibus maleuolis ſimul flantibus procreetur, tunc aerem vt plurimum inficit & malum omen importat: at ſi à flatibus beneuolis diuino numine procreetur, aerem quandoque purgat & mundificat, terræ & fructibus bonum omen & propitium importat, atque etiam vitæ animalium ſalubre eſſe, Deo ſic volente, comprobatur; Nec enim dubitandum eſt, quin meteora ad perfecte miſtorum productionem conferant, Cum experientia ſimus inſtructi, quod ranæ, vermes, & monſtroſa animalia, item caro, ſanguis, frumenta & aliæ fruges, atq; etiam lapides, arenæ atque pulueres, & huiuſmodi alia admiratione digna è nubibus & aere ventorum afflatu deciderint: Sciendum igitur eſt, quod ſint meteora tam generationis quam corruptionis,

nis, tam salubria quàm insalubria, & quod meteora contrariæ conditionis, videlicet generationis & corruptionis, semper motu contrario moueantur: nam quæ ad corruptionem ducunt, retrogrediuntur ad principia, à quibus prius sunt progressa, atque etiam si perfecte misti naturam, cui se iungunt, in fortitudine superant, illam secum rapiunt retrorsum, per viam resolutionis, & more toxici in suam mutant naturam, vt in seminariis pestiferis, à meteororum venenosorum spiritu vndique dispersis, sat liquido indies explicatur. Sed huiusmodi motum, tam ad generationem quam corruptionem, optime & luculenter à nobis sectione 1. part. 2. part. 3. cap. 5. De Theosophico, Cabalistico, & Physiologico vtriusq; mundi discursu, descriptum inuenietis vbi agitur de principiis tertianis, cuius nihilominus loci demonstrationem ocularem hoc in loco expressimus.

In generatione est progressio à radice 2. ad quadratum 4. & de eo ad cubum seu perfecte mistum 8.

8. Est terminus à quo & 1. terminus ad quem in corruptione.



1. Est terminus à quo & 8. terminus ad quem in generatione.

In corruptione est transitus à cubo 8. ad quadratum 4. à quo fit in radicem 2. resolutio.

Pro vlteriori huiusce demonstratione commendo vobis locum antea nominatum: Vbi quamuis mentionem fecerim de progressione in generatione à radice. 2. in quadratum 4. & ab illo in cubum 8. atque iterum de regressione in corruptione à cubo 8. ad quadratum 4. & à quadrato illo in radicem. 2. tamen vt mentem meam illa in re recte intelligatis, vos inprimis scire velim, quod vbi mentioné de generatione feci, ibi linearem progressioné creationis hominis, eiusq; à luce & tenebris primariis deriuationem intelligebam, atq; per motum in corruptione ab 8. ad 2. intendebá creaturæ humanæ reuersionem in primaria sua principia, à quibus primitus processit, quæ retrogressio non ante vltimum Pereat est expectanda, in quo etiam elementa in primaria sua simplicia sunt reducenda. At vero, in communi istius mundi alteratione, vel ad generationem vel ad corruptionem non fit transitus, nisi ab quadrato tanquam ab vltimis simplicibus, ex quibus mundus consistit ad cubum, aut retrogressio à cubo ad quadratum, quoniam simplicia corrumpi non possunt, sed composita, vtpote quæ ex contrariis naturis constituuntur; nam si elementa apta essent in sua primaria principia resolui, tunc mundus etiam corruptioni esset obnoxius. quippe qui ex elementorum nexu & aereo spiritu conflatur atque impletur. At vero jam ad causæ meteororum formalis descriptionem progrediar, quoniam de causa ipsorum materiali abunde satis (vti existimamus) hoc in libro sumus loquuti.

Libri 2. finis.

LIBER TERTIUS.

Membrum I.

De causa Meteororum formali.

Caput I. Membri I.

Causam Meteororum vtriusque mundi, formalem simul atque ipsorum differentias, ad amussim tractat.



Vm in libro præcedente, de materiali meteororum vtriusque mundi origine, satis superque (vti nobis videtur) disceptauerimus, de causa ipsorum formali aliquid, licet paucis & succincte discurrere, methodi certioris gratia hoc in loco mihi propositum est. Vt igitur causam illam meteororum materialem esse illam, ex qua tanquam parte substantiali meteora omnia sunt conflata, in prædictis declarauimus, videlicet, ex subiecto aeris tenuiori, magis minusue secundum meteori conditionem contracto atque coarctato, ita etiam causam ipsorum formalem eam esse affirmamus, per quam meteora illa, quoad existentiam, materialem, ab vniuersa & inuisibili aeris mundani congerie sic exsculpta, seu delineata, hoc est, in actum visibilem producta, nomen & essentiam peculiarem sibi vendicant; vtpote quæ hunc vel illum fumum aereum variis atque diuersis figuris, ab inuicem differentibus, ornare & vestire seu figurare solet; quæ quidem effigierum seu imaginum diuersitas, à forma meteororum occulta & interna prouenire docetur, non aliter, quam hominis ico seu figura externa ab interna ipsius essentia, ei soli appropriata procedens, eius fabricam ab illa cæterorum animalium atque vegetabilium discrepare facit, qua hunc vel illum hominem neque brutum esse, neque plantam, de longo cognoscimus. Simili plane ratione seu differentia, colligimus & distinguimus meteoron tenebrosum à lucido, hoc est, speciem à specie, atque iterum respectu magis peculiari, lucidum à lucido, & opacum seu tenebrosum à tenebroso, verbi gratia, cometam vel fulgur, vel lanceam, seu columnam ardentem, à nube, nebula, halone, rore, distingui atque differre obseruamus, atque etiam in eadem regione seu specie, cometam à columna ardente, aut à fulgure, eadem differentia formali variare videmus, similiter in regno tenebroso, etiam oculus vulgaris discernit, nubem discrepare à nebula, & nebulam à rore, & pluuiam à pruina &c. Hinc ergo est, quod in hoc nostro tractatu, mediantibus causis formalibus, meteora primum in sua genera, deinde illa in suas species, ac illas tandem, variis subdiuisionibus factis, in infinita indiuidua distribuimus, non aliter quam arboris truncum in ramos, atque illos iterum in subdiuisos ramulos, qui tandem in virgulas disterminantur, partiri cernimus, quo faciliori methodo ad intentionis nostræ scopum perueniatis.

Et quoniam nostrum nos ducit in hoc præsenti tractatu institutum, meteora mundi maioris cum illis mundi minoris, seu ipsius hominis, conferre, quo sanitatis vel infirmitatis eius rationem, per bonorum aut malorum meteororum in illo generatorum effectus, liquidius demonstrare queamus, ideo per totum progressionis huiusce nostræ filum, post quodlibet de meteoris Macrocosmi caput, correlationem & comparationem fecimus; inter membra capitis præcedentis, & illa Microcosmi seu hominis, applicando scilicet meteora, humores & proprietates vnius illis alterius, prout subiectum atque occasio tractanda se offert.

CAP.

Cap. II.


In quo demonstratur quod in vniuersali meteororum vtriusque mundi contemplatione duo in primis consideranda veniunt.

In vniuersali meteororum vtriusque mundi contemplatione duo inprimis consideranda veniunt, videlicet ipsorum
- Sedes seu locus præcipuus vide A.
- Differentia generalis vide B.

A Mercurio Trismegisto, antistite profundissimo, haud inconsulte scriptum inuenimus, *mundum esse Dei: hominem autem mũdi filium atque imaginem.* Nam vt Deus mundi substantiam ex nihilo originaliter effecit, ita etiam hominem ex mundi jam creati materia conflauit, eius scilicet externum ex limo terræ, internum vero ex spiritu mundano, diuino, rationis & intellectus Dei formis spiraculo, tanquam dono preciosissimo prius exornato. Hinc ergo obseruamus, quod vt ingens spiritus Macrocosmici domus seu vas sit terra opaca, sine qua nullum in mundo sublunari perfecte mistum, ad complementum perduci potest, (est enim terra elementorum mundanorum simul atq; influentiarum cœlestium, imo vero & supercælestium matrix) Sic etiam neminem latere potest, spiritum humanum simile sibi receptaculum vendicare, qui non aliter est influxuum cœlestium atque supercælestium receptaculum vehiculumue, quam aer elementaris in Macrocosmo. Vnde liquet, quanta & quam arcta & necessaria sit inter hos duos spiritus, & ambo hæc corpora, videlicet Macro & Microcosmi relatio; at vero, cum tam spiritus quam corpus minoris mundi ab illis maioris deriuentur, infallibiliter sequi oportet, tam spiritum in homine aereum atque æthereum, quam corpus ipsius opacum, ab illo mundi sustentari, foueri, ac omni momento in suo statu atque existentia permanere; atque etiam nexu inuiolabili, partibus mundanis, tam spiritualibus quam corporeis, adhærere, vt etiam morte aut compositi resolutione ab inuicem separari nequeant, vnde ab origine factum est, vt ægrotantibus maioris mundi elementis, quam citissime etiam inficiatur pars hominis tam aerea quam terrestris, quemadmodum in sequentibus accuratius describetur.

Cap. III.

De sede seu loco præcipuo, tam procreationis meteororum, quam seminariorum ipsorum receptionis in Macrocosmo.



Qvi in meteororum inquisitione operam suam dederunt, duplicem fecerunt impressionum omnium materiam, vti jam antea commemoratum habetis, vnam videlicet ex qua meteora fiunt, quam nos communi nomine aerem in aliam mutatum formam, ipsi vaporem seu fumum dixerunt;

runt: alteram in qua, quæ etiam aer est, in natura seu statu suo permanens, ita vt meteora, tam magni quam parui mundi, ex aere oriantur & in aere natent. Est ergo aer mundanus commune & generale meteororum vehiculum simul atq; parens & author, particulare vero est ille, aut in terræ visceribus, aut in hominis atque etiam aliarum creaturarum corporibus inclusus qui etiam & sua meteora ex semet ipso orta comprehendit.

Quod etiam omnes hi spiritus, (qui sunt homogenij & eiusdem identitatis naturæ) matrices habeant sibipsis appropriatas, quæ naturali amplexu, non modo ipsos, verum etiam & influentias, seu thesauros cælestes atque supercælestes, in iis natantes recipiunt, non aliter quam oui cortex albumen Crystallinum, aut illud vitellum aureum in ipso natantem comprehendere certissimum habemus, impossibile enim est; vt aliquid perfecte mistum possit in mundo sublunari procreari, nisi in ouo suo Philosophico, vel communi & vniuersali terra, videlicet, vel proprio & peculiari, vtputa corporibus, animalibus, vegetabilibus, & mineralibus, suo tempore coquatur, & paulatim ad perfectionem producatur. At vero, sæpicule accidit, vt propter impedimentum aliquod videlicet sulphur impurum & extraneum, aut aliud simile accidens, meteoron seu imperfecte mistum, ad summam perfectionis periodū peruenire nequeat, vnde aut res monstrosa, aut infirma, leprosa, & præter naturæ leges in spiritu vel aere recepto vel incluso, vice naturalis seu salubris procreatur, cuius rei rationem in Astrologia versati variis planetarum aspectibus ascribunt, videlicet vel maleuolis, vtputa quadrili, & oppositioni, & præcipue si in iis planetæ infortunati se inuicem respiciant, quod fit si Saturnus & Mars dominium habuerint, quippe qui tam in mūdo sublunari, quam creaturis spiritum iisdem introducentibus, more infausto & præternaturali operantur, hoc est meteora ad destructionem magis quam ad generationem tendentia procreant. At vero, in occulta & arcana Philosophia peritiores, hoc idem angelis, syderibus illis præsidentibus ascribunt, qui more influentiarum astrologicarum vires suas, imo vero & dæmonum sui regiminis legiones, in sua fortitudine seu dominio in cœlis impluunt, & in elemēta, quorum incitatione & dæmones sublunares, siue boni siue mali, ipsis obsequentissimi, in forma ventorum, fataliter in aere, in aqua, & in terra operantur, vel ad mortalium perditionem, languorem & infœlicitatem, vel ad ipsorum salutem & præseruationem, prout in creatoris beneplacito est, ipsorum ducem primarium, secundum nominis sui proprietatem, disponere. Attrahit ergo terra spiritum mundanum, siue bono siue malo cælestium succo infectum, nullo meteoro manifeste in eo apparente, sed occulte & sparsim in eo perfuso, attrahit & spiritum mundanum, à meteoro manifeste prius apparente, & iterum retrogressione inuisibiliter in eo dissipato, vnde & aptus est spiritus, in terrā inspiratione attractus, meteora similia in suo ventre procreare, vtpote in quo seminaria tam meteororum, visibiliter in aere mundano apparentium, quam ipsorum in ipso delitescentium insunt. Hoc etiam idem de corpore humano dici potest, qui inspiratione attrahit omni momento idque ex necessitate de aeris circumstantis portione, vnde à Galeno aer inter necessaria corporis alterantia numeratur, vtpote qui per inspirationem necessario introduci debet, siue sit salubris, hoc est, seminariis meteororum salubrium affectus, siue insalubris, seu seminariis morbidis inquinatus. Porro etiam & spiritus in corpore humano de exhalationibus terrestribus gustare consueuit tam bonis, vbi seminaria meteororum sunt bona, quam malis, vbi ea præternaturaliter se habent, tam per victum & alimentum quam per halitum, sed de his infra copiosius.

Cap. IV.

De meteororum differentiis in genere, & primum de vento qui est meteororum princeps.

B. Differentia meteororum in genere est bifaria, vtpote quorum alia sunt
- Primaria nempe venti in quibus duo sunt præcipue notanda, videlicet ipsorum.
  - Genera, vide C.
  - Officium vide D.
- Secundaria, corpora scilicet aerea à ventis scilicet simul contracta, & ab iisdem tam occulte quam manifeste informata.

VT ad exactiorem istius nostri discursus intellectum perueniamus à differentiis generalibus ad magis speciales descendere nitemur. At vero, cum certum sit, principia naturæ ordine & tempore

pore præcedere principiata, atque simplicia ea, quæ ex ipsis componuntur, necesse est, vt in methodica hac nostra diuisione à membro meteorologico magis simplici seu primario exordiamur, quod *Ventum* appellamus, cuius initium seu radix est tam antiqua, vt ab ore & naribus tanquam Iehouæ omnipotentis ortum suum accepisse, traditum à pagina sacra habeamus. De vento igitur generaliter sumpto, verba hoc in capite aliquantulum copiosiora faciemus, quippe qui est creatura conditionis admodum diuinæ, & naturæ valde mirabilis.

Peripatetici asserunt, ventum esse exhalationem calidam & siccam, difficulter inflammabilem, è terra scaturientem, & vsque ad mediam aeris regionem exaltatam, à cuius frigore deorsum repulsa, & sursum renitens, partim respectu suæ leuitatis, partim propter alias exhalationes inferne occurrentes, lateraliter supra terram in infima aeris regione, quem agitat & ventilat, mouere animaduertitur, ne ob agitationis defectum & quasi desidia putresceret. Huic Aristotelis definitioni inprimis hoc in loco insistemus, quoniam spurij Christianorum Philosophi, hanc ipsius opinionem, ac si diuinitus mundanis esset publicata, aut oraculo sacrosancto edita atq; prolata, tam in Scholis publicis, quam in negotiis seu studiis suis priuatis, summa ope defendere atque statuminare, effrænata quadam dementia quasi perciti, minime hæsitauerunt. Ex prædicta ergo Aristotelis definitione docere conantur primo, quod materia seu substantia venti sit exhalatio calida & sicca. Secundo quod locus in quo generatur & à quo deriuatur sit terra, ille vero ad quem tendit, mediam aeris regionem esse dicunt, in quam penetrare nequit, medium in quo tam sursum quam deorsum & lateraliter mouetur, faciunt infimam aeris regionem. Tertio motorem istius exhalationis tam deorsum quam lateraliter, duplicem statuere videntur, videlicet frigus mediæ aeris regionis, exhalationem illam vix imaginabilem deorsum terram versus premens, atque tum postea alias exhalationes successiue è terra exurgentes, quæ suo motu ad sursum, exhalationi à frigore depressæ occurrentes, simul cum illa colluctari, & consequenter strepitum in aere procreare solent. Denique & finem istius motionis à natura ordinatum, hæc definitio succincte delineare videtur, videlicet, vt aer huiusmodi ventilatione recrearetur, ab omni putredine præseruaretur atque purgaretur.

At quicunque huic definitioni Ethnicæ fidem aliquam adhibere vult, præsertim si sit veræ sapientiæ amator, operæ pretium facturum eum in primis existimamus, si quamlibet istius definitionis particulam examinet, & facta diligenter inquisitione videat, an cum sapientiæ diuinæ legibus conueniat necne, hoc est, an rationis firmioris iure à nobis Christianis approbanda sit huiusmodi Philosophorum Ethnicorum sententia, vel potius repudianda. In primo igitur loco quæramus, an in primo definitionis suæ membro sit aliqua veritatis probabilitas nec ne? videlicet an venti materia sit exhalatio calida & sicca è terra scaturiens? A sacris literis (quibus ante omnia nos Christiani debemus fidem adhibere) docemur, ventum à spiritu Iehouæ ortum suum habere, *Aflatu* inquit, *Exod.15.8. narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ*, Et pergit, *Ib.10 flauisti vento tuo, & operuit eos mare*, Ac alibi, *Glaciem edit DEVS vento suo, flante DEO concrescit gelu*, Et alibi, *Iob.27.9. & 28.25. DEVS facit pondus vento.* Et Psalmista regius dicit ipsos DEI angelos esse ventos quando inquit, *Psal.104.4. Qui facit Angelos ventos, & ministros suos ignem flammantem.* Atque hinc est quod Doctores in mysteriis naturæ profundiores dixerint, angelorum manifestum seu externum fuisse aerem, seu spiritum mundanum, eorum vero occultum ignem diuinum fecerunt, vnde & à Dionysio angeli huiusmodi Agalmata vocantur, hoc est, clarissima specula, lumen DEI suscipientia, eiusque imaginem repræsentantia. A propheta igitur regio, loco supra citato, describitur tum ventus occultus, tum ille manifestus seu fulgurans atque igneus, esse spiritus angelicus, igne diuino animatus, atque ob hanc rationem commentator super locum illum sic loquitur: *Nam* (inquit ille) *ventis & igne vtitur DEVS administris voluntatis & iudiciorum suorum, adeo vt angelorum quoque appellationem habeant, vbi per ignem flammantem coruscationes & fulgura intelliguntur*, Hæc ille, sed de huius rei explicatione in sequentibus fusius, vbi de causa efficiente supernaturali agendum est. Confitendum est ergo, quod aut spiritus narium seu thesauri DEI, sit exhalatio passionibus præternaturalibus obnoxia, è terra egrediens, quod profanum est dicere certe, aut quod falsissimum sit hoc definitionis peripateticæ membrum. Sed ex sequentium examinatione istud luculentius depingetur atque disceptabitur, ad membri ergo secundi inquisitionem properabimus.

Secundum membrum est, quod locus, in quo generatur, atque à quo deriuatur exhalatio illa, quæ est materialis venti causa, sit terra, ille vero ad quem tendit, est media aeris regio, medium in quo tam sursum quam deorsum lateraliter mouetur, est infimum aeris spatium. In qua quidem Ethnici istius assertione, quam grossi errores reperiantur atque absurditates, ex sequentibus patebit. Hanc igitur definitionis suæ clausulam ad meliorem ipsius examinationem tripartitam facimus: in cuius portione prima diligenti inquisitione explorandum habemus, an materia ventorum à corpore terrestri extrahitur nec ne? in secunda, an illa substantia ad conuexam mediæ tantummodo aeris regionis superficiem viam suam sursum petendo faciat? In tertia, an locus in quo mouetur ventus, sit tantummodo in infima aeris regione? Ad primam dicimus, quod aut sacra pagina (quæ est totius veritatis fons) non sit vera, aut hæc membri definitionis suæ secundi particula sit falsissi-

falsissima, *Spiritus* (inquit Diuus Iohannes) *vbi vult spirat, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat, Iohan.3.8.* Aut ergo plus vidit Aristoteles Ethnicus in mysteriis DEI atque naturæ, quam Euangelista, qui verus & syncerus erat Christianus; aut Iohannes in sua doctrina est plane mendax, quod quidem pro amore Aristotelis asseuerare, maxima in Christiano esset impietas: Aristoteles ipse affirmat, ventum mouere à terra, & ad mediam aeris regionem ascendere, atque ab ea iterum deorsum depelli. At D. Iohannes dicit, eum non coacte aut accidentali impulsu, sed voluntarie pro placito mouere, &, quod licet eius vox seu strepitus auribus sit familiaris, vnde tamen veniat aut quo vadat nesciatur: Hæc ipsa Euangelistæ doctrina ab illa Aristotelica omnimodo dissentiens variis sacrarum literarum locis statum inatur, nam inquit Psalmista regius. *Depromit ventum è thesauris suis: Psal.135.7.* quod autem terra non sit thesaurorum diuinorum sedes, lucide nos docet Antistes Moyses in his verbis, *Aperuit tibi Iehoua thesaurum suum optimum cælos, dando pluuiam terræ suo tempore, Deut. 28.32.* Non dicit terras sed cœlos, inter quæ duo tanta est differentia, quanta inter diem & noctem, lucem & tenebras. Est enim cœlum seu aer, qui est arca DEI thesauraria, & non terra, à cœlis (inquam) procedunt meteora, quæ tandem vel ad terræ benedictionem, vel maledictionem in ipsam impluuntur. Hinc dicit Dauid. *Ianuas cœlorum aperuit depluens Man, ad comedendum frumentum cœlorum dabit illis &c. Psal.78.23.* & alibi, *nubibus densis obtegit DEVS cœlum, qui comparat terræ pluuiam, Psal.147.8.* Sed & huic dubio, videlicet, An venti origo & transitus sit à terra in cœlum directe respondet vir in rebus naturalibus longe Aristotele doctior & sapientior in his verbis, *Venti* (ait ille) *viam ignorat homo, ignorat homo opus ipsius DEI, qua via faciat hæc omnia.* At homo erat Aristoteles, imo vero Ethnicus, cui consequẽter multo minus de huiusmodi rebus abstrusis recte iudicare erat datũ; Hinc ergo Iehoua deridendo huiusmodi hominis audaciam quasi reprehendendo ipsum sic loquitur, *Nosti vbi nam sit via in qua diuiditur exhalatio quæ spargit ventum super terram?* hinc inde arguendo impossibilitatem huius rei, homini, cui sapientia diuina (cuius solius est hæc omnia docere,) non est à creatore concessa. Et tamen ei impudenter respondere videtur Aristoteles, ego noui, via enim exhalationis istiusmodi est à terra sursum versus, vbi partim per antiperistasin à frigore deorsum ipsam pellente, paulatimque ab aliis exhalationibus sursum nitentibus, dispergitur & lateraliter pellitur super terram: Sed huius rationis ipsius impossibilitatem protinus in sequentibus ostendemus.

Ad secundam igitur & tertiam clausulæ huius partem dicimus, quod medium, per quod venti mouentur, sit longe vastius quam quod Aristoteles eis ascribere satagit: non enim flat ventus solummodo in infima aeris regione, verum etiam in media, atque itidem in suprema, imo vero & in mundo Empyræo & æthereo. Sed venti actiones in qualibet harum mundi regionum secundum variam resistentiæ actionem, hoc est, aeris moti tenuitatem aut grossitiem variantur, quemadmodum capite sequenti clarius. Si ergo ventus in media aeris regione spiret, funditus omnino tolletur definitionis illius Aristotelicæ vigor, efficacia cuius in eo præcipue cõsistit, videlicet, quod exhalatio per mediæ aeris regionis diaphragma penetrare non permittatur. Sed deorsum vi frigoris, exhalationis caliditati resistentis, reuerberetur, nam causa venti, si quis sit in media aeris regione, totaliter aufertur ab eo, quod deorsum à frigore non pellatur, sed in eiusdem meditullio flare obseruatur, At vero manifestum est, nubes tam superiores, quæ leuiores magis & lucidæ & coloratæ sunt, quam inferiores, quæ obscuriores & grauiores esse animaduertuntur, à ventis ex qualibet mundi plaga ad eius oppositam impelli & quasi alis ipsorum volare, quod quidem sine ventorum in illa media regione præsentia fieri non potest. Nonne etiam videmus oculis apertis ventum quandoque Australem in vno Horizonte fortiter spirare, atque eodem tempore etiam ventum septentrionalem dominium in Horizonte ei proximo habere. Vnde fit, vt in fine Horizontis vtriusque videamus ingentem nubium congeriem accumulari, & nubes contra nubes mouere, tonitrua horrenda & fulgura stupenda secum ferentes, atque ignem quasi ex silice per silicem elicientes, quod quidem fieri nequit, nisi venti eas opposito modo mouentes in media aeris regione impetuosi & violenti etiam sint. Quod etiam scripturæ sacræ multis in locis confirmare videntur, nam in vno loco dicitur, *Ascendit fumus è naribus Iehouæ, carbones accensi sunt ab eo, & inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubim & volauit, & lapsus est super pennas venti, posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum, præfulgore & conspectu eius nubes succensæ sunt, tonabat de cœlo dominus, 2.Reg.22. 8.* Ex quibus colligimus non modo nubes, & tonitru, & fulgura moueri à ventis, verum etiam & ipsum DEVM, nubibus tenebrosis in media aeris regione circunseptum, super ipsarum pennas vehi. Et alibi, dictum est, *Iob.9.37. quod DEVS fortis à flatu suo edat glaciem, & pro irrigatione fatiget densam nubem.* Vnde sequitur, quod necesse sit vt ventus & ipsius effectus sint fortiores in media aeris regione, quam in infima. Nonne etiam contra se ipsum loquitur Aristoteles, confitendo ventum illum procellosum, Ecnephian dictum, simul atque illum turbinem, esse ventos repentinos à nube deorsum impulsos, & tamen transitum vllum exhalationis ventosæ esse in media aeris regione negare videtur? Sed in huius eius absurditatem paulo profundius nos immergamus. Fatetur ipse meteororum ignitorum causas esse exhalationes calidas, siccas, inflammabiles atque vnctuosas, & tamen viam seu transitum ipsis per mediam aeris regionem à natura loci permissam

missam fatetur. Quis autem in Philosophia adeo ignarus esse potest, qui nesciat frigiditatem rei inflammabili & actualiter igneæ magis resistere, quam ei quæ nec actu inflammabilis aut per se ignea est, Porro etiam causa meteororum ignitorum materialis, grauior est illa venti, vtpote quæ est magis compacta & vnctuosa, atque consequenter non ita apta ad ascendendum seu sursum tendendum, ac est illa ventorum, quæ est admodum leuis & rara; quare impossibilius esset, vt materia meteororum ignitorum in mediam & per mediam in supremam aeris regionem ascenderet, cum propter viuam frigoris illius loci resistentiam tú ob magis graué & compactã substantiæ suæ compositionem, cuius inclinatio est deorsum potius tendere, quam vt illis ventorum via à frigore in medium aeris situm & positionem denegaretur: magis enim obstat frigus rei actu igneæ & inflammabili, quam quæ est in sola potentia, & citius ascendit à sua natura leue, quam quod est compactum & magis ponderosum.

Sed ad tertij definitionis suæ membri examen jam properabimus, vbi describit duplicem ventorum actum, quos accidentia facit, ac si quis diceret, Ventum essentialiter & ab interno principio minime moueri atque excitari, sed potius ab externis accidentibus, videlicet à mediæ aeris regionis frigore, per antiperistasin exhalationem deorsum propulsante, & ab aliis exhalationibus ascendentibus, ipsis deorsum detrusis occurrentibus, & occursu tali motum ipsius directum impedientibus. Vnde vi & contingenter ad latus mouere compellitur & ad motum talem ipsiusad latus aerem, seu medium in quo mouetur, exagitare, videtur asserere, quo fit vt strepitus & sonitus edatur. Quam pulchrum est hoc mendacium, & poetarum figmentis quam simillimum! Ac si ventus nihil esset aliud quam quid per accidens? At Biblium sacrum illum à flatu diuino primordialiter prouenire strenue defendit: imo vero & angelum vocat, quem spiritu diuino dilatum vbique agnoscit. Hinc dicit Moyses loco antea prolato, *à flatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ, Exod.* 15. 8. Et alibi, *flauisti vento tuo, & operuit eos mare*, & alibi, *Flante DEO concrescit gelu*, Nonne etiam dicit Rex Dauid, *Psal.* 103. 20. *Benedicite Iehouæ angeli eius validissimi robore efficientes verbum eius, & auscultantes voci eius.* de quibus alibi, *Qui facit angelos suos ventos, & ministros suos ignem flammantem, Psal.* 104. 4. Et in propheta Baruch, *cap.* 5. *v.* 60. *Ventus facit mandatum DEI*, Et alibi, *O venti benedicite domino, & exaltate eum super omnia in perpetuum*, In cantico Ananiæ, & tamen nihilominus Ethnicus iste noster vult, ventum esse aliquid mere accidentale, & ipsum motum suum habere à principiis externis, & non ab interno, quod est omnium actus primus, asseuerare haud erubescit; Inuoluntarium (inquam) & à contrariis in natura prouenientem facit venti motum, & non voluntarium, & tamen à Diuo Iohanne docemur, *quod spiritus vbi vult spiret*, hoc est, à motu suo voluntario, qui cuilibet creatoris sui mandato ab insita natura inseruire promptus est, atque semper paratus. Ipse à terris extrahit mortuum hoc suum figmentum, secundum phantasiam suam, cum è regione DEVS viuam hanc suam creaturam, ex thesauris suis mediante suo afflatu in rei veritate depromat teste Propheta regio atque Ieremia. Sed in hoc suo membro concludere videtur, venti motum lateralem, esse ex resistentia & impedimento exhalationum ascendentium. O argumentum omnium pauperrimum! ac si quis motum tam constantem, qualis est ille à septentrione ad meridiem &c. à causa tam incerta atque varia procedere prudenter diceret, ventum dico Septentrionalem, Meridionalem, Orientalem & Occidentalem motus suos laterales habere à lucta accidentali tam friuola & incerta! Qualis obsecro mi Peripatetice erat illa exhalationum luctandi ratio, atque è terra scaturiendi ordo, quando Propheta admonitione diuina spiritui dixit, *A quatuor ventis adueni ô spiritus, & perflato interfectos istos vt viuant, Ezech.* 37. 9. Videntur mihi ipsi, imo vero Christiani ipsorum asseclæ, esse plane muti, & linguis quibus respondeant destituti: Inquit sapiens: *Euigila Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum*: Quam surda esset ista sapientis inuocatio, si istiusmodi ventorum materia & vita talis esset, qualem Aristoteles ei ascribit? At vnde denique factum est, quod tanta sit inter ventos in sua conditione seu qualitate varietas, vt vnus sit calidus humidus, alter frigidus & siccus, tertius calidus & siccus, atque vltimus frigidus & humidus, si Aristotelica opinio in vigore & exaltatione sua permanens foret, videlicet quod omnes venti vnico crearentur modo, & ab iisdem accidentibus mouentur lateraliter?

Ad vltimam denique definitionis suæ clausulam quod spectat, in quo finem ventorum seu ventilationum posuit, videlicet propter aeris purificationem & à putrefactione præseruationem, dicimus quidem experientia docti, hoc falsissimum esse, cum ventos obseruemus cum Galeno & Hippocrate Australes valde contagiosos & pestiferos esse, vtpote qui inspissant aerem, putridum ipsum maleuolo suo calore & humido reddunt, quod quidem & à scripturis sacris, nobis hac in re astipulantibus, confirmatum habemus. *Ne timeto* (inquit Psalmista) *à lue seu dæmonio vastante in meridie, Psal.* 91. 5. Et Abakuk dicit in sua oratione, *DEO à meridie veniente, operuit cœlum decor eius & laude eius plena fuit terra, anteiuit eum pestis & præcessit anthrax ad pedes ipsius*: Imo vero & ventos in genere simul atque cætera cœli meteora, à creatore tam ad flagellum quam ad faciendum beneficẽtiam ordinatos fuisse, nos docet pagina sancta, *Iob.* 37. 14. quare non magis in ventorum causa finali quam in cæteris toto cœlo errauit Aristoteles cum suis discipulis. Concludimus igitur, quod definitio illa Philosophi Ethnici, quam tanta deuotione venerantur & sequuntur Christiani, sit omnimodo falsa

atque

atque ſpuria, quoniam venti ſunt creaturæ, natura longe excelſiores & diuiniores, quam Ariſtoteles aut vllus Peripateticorum vnquam intellexit, vtpote quæ non ſunt res inanimatæ, & ſolo motu aduentitio præditæ, hoc eſt, exhalationes, fortuito è terra ſcaturientes, & à frigore ſuperiorum & exhalationibus aſcendentibus perturbatæ & exagitatæ: Sed vt Angelus Zachariam docuit, *Cap.6.1.* Venti angelico ſpiritu animati egrediuntur, & ſtant coram dominatore omnis terræ, & ſunt in poteſtate ſeu arca theſauraria ſui domini abſconditi, quos ad voluntatem ſuam perficiendam pro placito depromit, quemadmodum à Pſalmiſta regio loco ſuperius allegato inſtruimur.

At ſat ſcio fore Chriſtianorum Ariſtotelis aſſeclarum nonnullos, qui more vulgari, ab arte in artem nullam fieri debere in diſputatione progreſſionem replicare volunt, atque exinde progreſſionem à Philoſophia ad Theologiam fieri, aut vnius per alterius authoritatem reprobare irregulare eſſe: quibus facile reſpondemus, Theoſophiam atque Philoſophiam ſacram minime ab inuicem diſcrepare: Præterea ſi Philoſophiæ leges ab illis Theoſophiæ diſſentiant, ex conceſſis quaſi pro falſa & ſpuria eſt illa Philoſophia habenda, & per conſequens omnino reijcienda, & in æternam hominum Chriſtianorum obliuionem releganda, quoniam Biblium ſacrum, quod eſt verus Theoſophiæ ſeu Theologiæ fons & origo, eſt ſola veritas, & quod cum illo eſt diſſonans, falſum atque Diabolicum eſt. Huiuſmodi autem ſunt deformes iſtæ Ethnicorum inuentiones, quæ per ſe more vmbrarũ euaneſcent, vbi è contrario verbi diuini characteres, in ſempiternis memoriæ monumentis ſculpti, atque digito quaſi DEI inſcripti, ad vltimum vſque Pereat permanebunt. In hoc enim verbo ſpiritus totius veritatis eſt reperiendus, qui, teſte ſcripto ſacroſancto, omnia docebit, & ſine eo nihil reuera addiſci aut acquiri poteſt.

Bene eſt: ſit (inquiet fortaſſe aliquis) vt dicis, ſed ſcire velim, quid ergo ſit ventus? Quomodo ſacrarum literarum conſenſu eſt ipſe definiendus ſeu deſcribendus? cui id multifariam ſub eſſentia vnica præſtari poſſe dicimus. Ipſum ergo his modis haud impertinenter deſcribendum putamus.

Ventus eſt ſpiritus aereus, mediocris conſiſtentiæ, flatu Iehouæ inſpiratus, ſeu animatus, quem è theſauris ad voluntatem ſuam, ſiue ad flagellum, ſiue ad benedictionem exequendam, depromit ipſe.

Probatur quælibet huius definitionis particula ex multis ſacrarum literarum locis. Quod enim eius internum ſit aer, in ſua conſiſtentia mediocri, ex eo liquet, quod aer ſpiritus & ventus, per idem vocabulum hebraicum Ruach in multis ſacrarum literarum locis nuncupetur. Porro etiam quod eius internum ſeu anima mouens ſit flatus diuinus, arguunt illi ſacrarum literarũ loci antea citati, videlicet, *à flatu narium tuarum coaceruatæ ſunt aquæ, Exod.15.8.* Ac iterum, *Flauiſti vento tuo & operuit eos mare.* Et alibi, *Glacies DEVS fortis edit flatu ſuo.* Ac ſi diceret, ſpiritu ſuo forti inſpirauit DEVS aerem, ita vt nulla ſit differentia inter angelum & aerem à DEO inſpiratum, nam aer eſt angeli tam maligni quam boni, ſpiritu diuino vel ad beneuolentiam vel ad maledictionem animati, externum ſeu manifeſtum: vt & ipſius occultum eſt immediatus DEI afflatus, vnde & Agalmata dicuntur, hoc eſt, clariſſima ſpecula lumen DEI ſuſcipientia, vti narratum eſt; Atque hinc dictum eſt, quod nomen DEI fuerit in Angelo, qui præcedebat Iſraelitis, qui etiam mouebat in columna nubis & ignis, quæ etiam partim ex aere denſo madido, tanquam ex tenuiore, & partim à tenui igneo erat compoſita, atque hic angelus, vti alibi legimus, dictus erat ſapientia: nam in Eccleſiaſtico legimus, *Ego ſapientia ex ore altiſsimi veni, & tanquam nebula cooperui terram, thronus meus in columna nubis, rotunditatem cœli circuiui ſola, & in profundo abyſsi ambulaui, in fluctu maris, in tota terra, & in omni populo, & gente quieui: Eccleſiaſt.9.* Hanc Cabaliſtæ & Doctorum Hebræorum peritiores ideo angelum Mitattron dictitarunt, quem & vniuerſalem mundi animam fecerunt Platonici, ita vt vniuerſalis mundi ſpiritus ſeu aer, emanatione diuina, quæ ſapientia dicitur, animatus, ſit angelus ille ſeu ſpiritus & ventus magnus, cuius cor ſeu centrum eſt in ſole Cœleſti: vnde Pſalmiſta regius, *Poſuit tabernaculum ſuum in ſole.* Atque hæc eſt ratio, cur angelus præcedens Iſraelitas, quandoque à textu ſacro angelus, hoc eſt, creatura dicatur, reſpectu ſcilicet ſpiritus ſeu aeris externi, qui creatus eſt, & quandoque Iehoua nuncupetur, reſpectu nominis DEI, ſeu lucis diuinæ atque increatæ, quæ illum animauit, vnde patet, quod DEVS ſit cuiuslibet ſpiritus centrum, aer ipſius vehiculum, qui ita inſpiratus, eſt anima nubis & cuiuslibet alterius meteori, imo vero & corporis perfecte miſti, vtpote anima interna omnia mouens vbi vult, *Spiritus enim ſpirat vbi vult.* Hinc dicit ſapiens, *Spiritus DEI incorruptibilis eſt in omni re, interne mouens.* Atque hoc videtur eſſe idem quod in Cabala profundiores habent, (*Reuchlin. in Cabal.*) aſſerentes Angelum eſſe virtutem mediam inter DEVM & naturam, qua fiunt operationes in rebus, quas natura eorum vel non faceret, vel ita faceret, quas alii prouenire dicunt à proprietate occulta & alii quia tale. Hic ergo angelus magnus, ſapientia dictus, videtur eſſe ille qui in Apocalypſi apparebat Iohanni, qui dictus eſt *eſſe ſimilis filio hominis in medio 7. candelabrorum aureorum, cuius oculi erant vt flamma ignis, in manu dextra 7. ſtellas tenebat, vox autem eius erat tanquam murmura multarum aquarum ſeu ventorum: ſub cuius imperium cæteri angeli viſi ſunt ſubiici, vtpote cui datum eſt 4. Angelis imperare, qui poteſtatem habebant de ventis eos iubendo ne, læderent terram & aquam &c. Apoc.1. & 3.* Concludimus ergo, quod vt DEVS ſit identitas, videlicet pura forma increata, ita etiam & angelus eſt alteritas, videlicet

delicet ex vniformi illus afflatu, & aere mundano compacta, hoc est, ex spiritu seu flatu increato, & aere seu vento creato, atque ita haud incongrue cecinit Psalmista: *Qui facit angelos ventos, & ministros suos ignem vrentem*, in quo sermone tam angelorum occultum quam manifestum explicare visus est.

Ad tertiam definitionis nostræ clausulam quod attinet, videlicet, quod depromatur ventus à thesauris suis, istud sancto testimonio antea allegato etiam confirmatum habemus: Nam dicit propheta Regius, *Depromit ventum è thesauris suis, Psal.* 135. 7. Porro etiam ipsius vsum in genere narrat propheta: *Ventus facit mandatum DEI: Baruch.* 1. 60. Et ille regius, *spiritus procellarum, qui faciunt verbum eius: Psal.* 148. & alibi. *Angeli validißimi robore, efficientes placitum suum: Psal.* 103. Et alibi, *Angelos fulgurantes & coruscantes ministros DEI esse asserit: Psal.* 104. Et in Iobo legimus, *Fulgura nunquid mittes & ibunt, & reuertentia tibi dicent adsumus, Iob.* 38. 35. intelligendo de angelis sua interiora manifestantibus. Denique ventus, turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuia & fulgur parata sunt. quodcunque enim præcepit DEVS istis faciendum, in superficie orbis in terra, siue ad flagellum siue ad terrorem siue ad faciendam beneficentiam, efficit vt præsto sint *Iob.* 38. 8.

In prædicta ergo definitione nostra inprimis qualis sit causa venti materialis expressimus, diximus nempe, esse aerem mediocris existentiæ: deinde eius formam notauimus internam, esse flatum DEI lucidum, materiam aeream animantem, agitantem, atque illuminantem, Locum etiam in quo reseruatur atque reserratur hæc creatura arcam DEI thesaurariam esse, cœlos nempe seu aera, indicauimus, vsumque tandem ipsius esse diximus, vt sui creatoris voluntatem siue sui occulti manifestatione, hoc est, in forma sua ignea seu coruscante, siue interni sui occultatione, hoc est, in forma aerea seu inuisibili (quæ est eius corpus) complere promptus sit atque paratus.

Ab his ergo fundamentis aliter ipsum ventum in hunc modum descripsimus.

Ventus est spiritus seu aer inuisibilis, luce diuina à facie seu conspectu Iehouæ, tanquam halitu è naribus eius exeunte, ad placitum suum tam in cœlis quam in terris exequendum animatus atque viuificatus.

Vel sic.

Ventus est spiritus quidam angelicus, seu aer subtilis igneo Iehouæ spiritu, quandoque visibili & manifesto, vt in fulgure & fulgetro, quandoque invisibili & occulto, vt illo qui auditur, sed minime videtur, inspiratus atque animatus, ad diuinam voluntatem, siue ad salutem & beneuolentiam, siue ad pœnam & maledictionem in terra exequendam, ab aliqua mundi plaga diuinitus & arcano more emissus.

Vel sic:

Ventus est spiritus invisibilis & occultus, anima ignea præditus, & more angeli à DEO inspiratus, qui hucatque illuc, pro inspirantis placito, alis quasi invisibilibus volans, inspiratorem etiam quandoque super pennas suas vehere gestit, Nam dictum est, *Iehoua ascendit super Cherubin, & volauit atque lapsus est super pennas venti. 2. Reg.* 22. 8.

Vel sic:

Ventus est creatura quædam angelica, ex aere tanquam materia agitata, & luce diuinitus inspirata, tanquam anima centrali mouente, à Iehoua creatore producta, ad cuius voluntatem à thesauris eius de promptus, huc atque illuc, siue ad beneficentiam & misericordiam, siue ad flagellum & punitionem emittitur.

Vel sic:

Ventus est spiritus angelicus, occulte atque invisibiliter huc atque illuc, pro abstruso creantis beneplacito, spirans, cuius strepitus licet audiatur, terminus tamen vnde veniat vel quo vadat à mortalibus ignoratur, *Iohan.* 3. 8. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audit homo, sed nescit vnde veniat aut quo vadat.* Porro & testantur scripta sacra DEI viam & locum esse ab hominibus incognitum.

Vel sic igitur ex ore Saluatoris.

Ventus est spiritus qui vbi vult spirat, vox licet cuius audiatur, tamen incognita est meta, & incertus locus vnde veniat, vel quo vadat.

Vel sic, quemadmodum ex locis superius allegatis percipimus, seu colligimus.

Venti sunt angeli DEI validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri eius flammantes, facientes placitum eius, *Psal.* 103. & 104.

Hic igitur videmus, quam illa Ethnica doctrina sit huic, à fonte totius veritatis extractæ, opposita, vnde factum est, vt qui firmiter doctrinæ Aristotelicæ adhæreat, in fide Christiana radicaliter versari nequeat. *Duobus dominis* (inquit noster Saluator) *fideliter inseruire minime potestis*, & D. Paulus nos haud inconsulte admonet, *vt à vana Philosophia abstineamus*: nam reuera illa est præcipuum Diaboli instrumentum seu organum ipsum quo mundanos à DEO distrahere, & ad antipatheticam suam harmoniam dolis sophisticis attrahere solet, suisque tentationibus alioquin vanis fidem dare incitat. Hoc ergo in causa est, quod homines huius seculi mentis diuinæ compotes, inclytæ suæ originis & nobilitatis obliti, vtpote præstigiis & tenebrarum lucibus ducti, tam in theosophia vera, quam in syncetis artibus adeo sint rudes & imperiti, vt neque DEVM prout reuera est, neque creaturas

eius rite cognoscere, & consequenter, nec cultu & ritu debito creatorem venerari, aut ipsum in creaturis cognoscere aut vsum de ipso habere possint, hinc ortum est, quod, vt Theologizantium, ita Philosophantium huius nostri seculi cognitio sit superficialis & in externis vt plurimum atque vmbris versata, ita etiam & gratia, quam à creatore accipiunt, est tam animalibus irrationabilibus quam hominibus communis, hoc est, superficialis, vtpote non à centro quæsita. Minime enim Saluatori nostro fidem aliquam præbere volunt, qui clamat, *pulsate & aperietur, quærite & inuenietis*. Tale ergo est donum illud iis, quale à DEO illud petunt, videlicet more Aristotelico, qui vento, nobilissimæ creaturæ, actum seu motorem aduentitium, & à principiis internis prouenientem ascribit, & non internum, qualiter à Biblio totius veritatis erudimur, videlicet superficiale & non centrale, hoc est, à litera & non à spiritu procreatum. *Litera interficit, spiritus viuificat*, inquit D. Paulus, hinc ergo est, quod in sapientia huiusmodi mundana penitus versati, tenebris obfuscantur, quod maior hominum pars ignorantiæ fluctibus est quasi obruta & profunde submersa.

Cap. V.

In quo probatur, quod mundus & omnia quæ in mundo continentur, sit originaliter ventus, & consequenter à vento, non minus quam principiatum à suo principio.

DEus optimus max. spiritus & quasi ventus increatus, spirituum & ventorum omnium fons primarius, mundum suo vitæ spiraculo inspirans, spiritum eiusdem vniuersalem, in potentia prius existentem, in aerem seu ventum viuum & actualem reduxit, vtpote cuius spiritus seu flatus lucidus ferebatur super omnes aquas spirituales, igneum iis vigorem seu vitam impertiens, atque ita integram aeris mundani congeriem suo afflatu animauit, inq; vẽtum creatæ naturæ redegit. Hinc spiritum seu ventum primarium, ab ore DEI Deorum & spiritu spirituum efflatum, à quo mundus & creaturæ eiusdem omnes sunt conflatæ, sacræ literæ vt in contextu Hebraico *Genes. 1.* exprimitur רוח אלהים id est, *Ruach Elohim* dicitur quasi ventus domini, quem alibi & חכמה *Hochma seu sapientiam* vocant, quam describunt esse spiritum intelligentiæ sanctum, & fluxum quendam seu emanationem claritatis, hoc est, spiritus seu spiraculi lucidi lucis æternæ, & speculum sine macula majestatis DEI: Hunc spiritum *Ruach* Cabalistæ haud inconsulte animam mundi dictitarunt, quam per angelum magnum Metattron intellexerunt, inde arguentes vniuersum mundi spiritum creatum, quem aerem generalem dicimus, à spiritu seu spiraculo & quasi halitu & emanatione diuina & increata animatum, vnde & hunc angelum fuisse illum existimauerunt, qui præcedebat Israelitis in deserto, de quo sic loquutus est Deus, *Ecce mitto angelum meum ante te, caue tibi à facie eius, quia nomen meũ est in eo, Ex. 23. 20.* Atq; hinc est, quod respectu spiritus creati, qui est eius externũ, dicitur Angelus, & creatura, primi gradus, sed respectu nominis Iehouæ ei inditi, quod est eius character centralis accipitur pro creatore; Vnde factum est, quod in eodem capitulo quandoque angelus, hoc est, respectu habito ad eius externum, quod est creatura, & nonnunquam Iehoua, quatenus eius diuinum atque internum respicitur, dictitetur; ad typum cuius factus est, quod Saluator noster tum DEVS, respectu istius spiritus interni & immortalis, seu nomen diuinum, tum & homo, respectu carnis ipsius mortalis est dictus. Hunc etiam spiritum Poetæ panem DEI nuncuparunt, quem pro spiritu seu natura mundi vniuersali intellexerunt, qui est ille spiritus seu spiraculum & afflatus seu ventus diuinus, *Ruach Elohim* ab ore altissimi prodiens, (iuxta illud Ecclesiastici, *Ego sapientia ab ore altißimi prodij*) quo inspirauit Deus spiritum mundi potentialem cum actuali vitæ spiritu, vnde inprimis spiritus seu ventus Empyreus omnium creaturarum tenuissimus, informatus atq; animatus est, atq; in morẽ aeris clemẽter exagitati motus est voluntate diuina. Aer ergo seu spiritus creatus in hoc cœlo leniter citatus est creatura, at anima mouens est *Elohim*, vnde & Angelica hæc compositio dicitur *Elohim Ruach*: quia est immediata illa forma, qua inspirat iatque animati sunt venti, iuxta illud à Dauide ante allegatum. Deinde ista angelica compositio est quasi forma, spiritum æthereum secundo creationis die productum informans, in cuius centro spiritus hic Dei formis posuit tabernaculum suum, videlicet in sole, atque ita vniuersa cælorum cauitas vento seu aere animato impletur, imo vero & ipsa sydera ventis animantur angelicis, & ab iisdem motu multiplici impelluntur. At vero quoniam ventus seu spiritus increatus supremi gradus in sole præcipue tabernaculum suum statuit, ideo omnes stellarum venti seu spiritus, ad eius thesaurum centralem habent respectum, eique reuerentiam præbent, non aliter quam subiecti suo regi atque imperatori. Hæc ergo est ratio cur Platonici animæ mundanæ sedem in sole esse existimauerint. Denique ventus cœlestis cum sua anima supercœlesti, quæ simul iuncta æther dicuntur, hoc est, igneus aer seu aer & ignis simul iuncti, est anima seu ventus formalis ab interno mouens, & centraliter suscitans ab interno aerem sublunarem, atque

ita

ita inspiratione tam supercælesti quam cælesti animatur ventus seu aer infimæ mundi regionis, non aliter quam corpus ab anima agitari cernimus: atque iterum ventus sic animatus, est anima meteororum omnium, vnde & à ventis seu aeris portionibus, virtutibus angelicis inspiratis, omnia mundi meteora, tam visibilia quam invisibilia procreantur, verbi gratia, videmus ex ventis non modo centraliter moueri, verum etiam & materialiter ab aere conflari nubes & alia meteora tam lucida quam tenebrosa.

Ex quibus videmus, diuinum spiraculum esse centrale atque internum cuiusque rei mundanæ principium, agens omnium simplicissimum, & primarium, iuxta illud sapientis: *Spiritus DEI incorruptibilis est in omni re, Sap.*2. huius afflatu mouetur & animatur spiritus seu ventus angelicus, & spiritus aereus iterum à vento angelico, & spiritus itidem elementaris seu æthereus à vento æthereo, & meteora seu imperfecte mista à vento aereo, qui etiam cum suis animabus, empyrea scilicet & ætherea, pellit & mouet composita omnia, quæ nihil sunt aliud, quam meteora spermatica, ad maturitatis perfectionem perducta, quorum est vel retrogredi in aerem, à quo fuerunt prius, hoc est, à mixtione imperfecta ad simplicitatem, vel ad compositionis perfectæ complementum pergere, mouentibus & mediantibus semper internis, qui secundum ipsorum naturam à voluntate diuina gubernatam, vel ad generationem maturando, vel ad destructionem putrefaciendo & corrumpendo operantur: Obseruamus autem quod spiritus seu ventus increatus spiret diuerse, licet sit spiritus vnus & idem, sic enim ignem eundem videmus agere vel benigniter atque naturaliter fouendo, vel maligniter, hocque aut præternaturaliter desiccando aut calefaciendo nimium, vel contranaturaliter, subiectum totaliter consumendo & comburendo, qui quidem effectus varii sunt, non respectu agentis sed resistentis potius atque male recipientis. Atque hinc est, quod sicut DEVS est primus & principalis in qualibet creatura actus, siue eius intentio sit ad destructionem, afflictionem, & passionum inflictionem, seu ad generationem & beneficentiam prona, ita etiam pro qualibet illarum proprietatum, nomen quidem in sacris literis varium ei attribuitur: Vnde & secundum variam decem sephirotarum Cabalisticarum dispositionem, decem DEO nomina ascribuntur, quæ nihilominus omnia ad duo tendere videntur, videlicet vel ad sæuitiam, quibus peccatores punire, & elementaria pro peccatis hominum corrumpere solet, vel ad benignitatem, vti in discursu nostro super efficientes meteororum causas latius dicetur.

Atque hæc erat causa, quod à sapientibus Græcis Dionysius sit dictus nocturno tempore, in quo dicitur septem compositi partes dilacerare: at vero diurno tempore ipsum Apollinem vocauerunt vtpote qui 7. illas partes iterum construere & generatione reædificare existimatur, quas nocturno tempore sub nomine Dionysii putrefactione defecit: Sed quoniam DEVS existimatur per ordinationem res agere, angeli vero (vtpote eius ministri) per executionem: ideo in profundiori Theosophiæ mysterio versati attribuunt seueritatis suæ executionem ad angelos, Gabrielem Ventis Septentrionalibus præsidentem, & Samuelem seu Vrielem illos meridionales gubernantem: Vnde fit, vt horum spiritibus effectus mundo præternaturales sæpicule produci soleant, quemadmodum in Tractatu nostro *de Anatomia mystica*, vbertim, & in causa meteororum efficiente copiosius explicatum habetis, Clementiæ vero & misericordiæ diuinæ argumenta præbent angeli, Michael in oriente dominium habens, & ab illa plaga spirans beneuolos vitæ & generationis afflatus, & Raphael, cui quartæ occidentalis præsidium attribuitur, vtpote qui in ventos illius plagæ dominium habet, nam Raphael ex sua denominatione denotat medicinam DEI. Ex his autem ventis omnia, dominantibus Archangelis, in mundo sublunari meteora procreantur, siue ad compositi generationis metam pertingant, siue ad simplicem corruptionis terminum retrogrediantur. Nam in centro cuiuslibet spermatis, ventus quidam animans massam spermaticam inflare & tumidam facere cernitur, experientia magistra, quoniam sperma est nihil aliud, quam nubes seu aer inspissatus, vtpote quod non aliter spiritu vitæ centraliter inspiratur atque animatur, atque ad perfectionis punctum mouetur, quam aerem à vento seu spiritu angelico in vaporem, à vapore in nebulam, & à nebula paulatim in densam nubem reduci cernimus, cuius anima coruscans nonnunquam oculis apparet, & quandoque occultatur, tandemque nubis substantia in lapidem durum, operante illo vento fulgureo & formali, migrare animaduertitur. Pari etiam more ad generationem hominis voluntas patris, quæ etiam est ventus, agitat animũ paternum, deinde ventus animalis, vitalis, & naturalis includuntur in spermate, & tres ampullas ex quib. cor, cerebrum & hepar, suis spirationibus eleuant, intra dies post eiusdem in matricẽ infusionem paucos, tum ipsum more vesicæ inflatæ paulatim in fœtus effigiem, ac tandem in speciem humanam conflare obseruantur. Imo vero & tota hominis vita est spiritus & ventus, cuius est omni momento & inspirare & exspirare officium. Nonne à sancta pagina dicitur spiraculũ vitæ? Atq; etiam omnis animæ passio, siue violenta & non naturalis, siue sit secundum naturæ leges, est à ventis exagitata; Sic ira, dementia, furor, timor, & huiusmodi alia sunt ventorum procellosorum ac tempestuosorum Microcosmicorum, & quasi Typhonis, Ecnephiæ & Presteris, atque etiam tonitruorum, & terræ motus effectus; huiusmodi etiam sunt inter morbos epilepsia, vertigo, suffocatio matricis, &c. Quod quidem & sapientis testimonio sic

confir-

confirmari videtur, *spiritus potentiæ stabit contra impios, & tanquam procella seu turbo venti iactabit eos, Sap.5.24.* Sic dictum est, *quod spiritus DEI malus Saulis spiritum affligeret; 1.Sam.16.* Et alibi, *spiritus potentiæ DEI ventilans, & iustitia persequens iniustos Sap.11.* Denique Quicquid agit aut patitur homo vel aliqua alia creatura, illud omne per ventum & à vento patitur, similiter à spiritu illo vitæ salubriter patitur, à quatuor ventis voluntas diuina exiliens, iuxta illud prophetæ: A quatuor *ventis adueni ô spiritus, & persuffla interfectos istos vt viuant, Ezech.37.9.* vnde liquet, quod ipse vitæ spiritus sit etiam ex 4. Ventis cardinalibus, qui & complexionem & dispositionem habet ab angelo, tunc temporis dominium in cœlo habente, est enim aer vniuersalis mundi Mercurius, mutans formalem suam conditionem pro ratione angeli seu stellæ erraticæ, in regione cælesti prædominantis. Sed de his magis exuberanter in causis meteora efficientibus, permissione & aspiratione spiritus *Elohim*, seu venti primarii, disceptabimus.

CAP. VI.

De ventorum Macrocosmicorum generibus & primum de ventis Cardinalibus.

Ventorum Macrocosmicorum duo sunt genera. Cum alij sint
- Cardinales qui numero sunt quatuor videlicet
  - Boreas, flans à polo tam cœli quam terræ Septentrionali.
  - Auster, spirans à polo tam cœli quam terræ Meridionali.
  - Subsolanus, exiliens ab orientali cœli & terræ æquinoctio.
  - Fauonius, flans ab occidentali tam cœli quam terræ æquinoctio.
- Collaterales. Vide G.

VEteres ex his ventorum generibus Cardinales solummodo cognouerunt, seu potius respexerunt, vtpote quod à qualibet distincta mundi plaga seu quarta flare soleant, in cuius potestate & denominatione omnes illi collaterales dicti continebantur. Cardinales ergo, principales, & primarij sunt dicti, tum ab officiis ab inuicem variantibus, quippe quorum quilibet flatum, situ & conditione inter se diuersum spirare animaduertitur, tum à situ & positione, quemadmodum infra suo loco ostendemus: Numerus autem cardinalis est quaternarius, secundum quatuor mundi plagas, à quibus flatus suos emittere obseruantur. Nam Boreas à polo arctico, videlicet à septem stellis septentrionalibus locum & dominiũ habet; vnde & Austro seu Noto omnino cum loco tum natura est contrarius; Vice versa Auster à polo Meridionali spirare dicitur, qui itidem naturæ seu conditioni & situi Boreæ opponitur. Subsolanus ab orientali lineæ æquinoctialis puncto, vt & Fauonius directe à puncto occidentis ei contrario halitum suum expirare solet. Hoc quidem à Biblio totius veritatis confirmatum habemus. Nam in propheta Ieremia hæc inuenimus. *Inducam super Elam quatuor ventos à quatuor plagis cœli, & ventilabo eos in omnes ventos istos; Ier.49.36.* Et ex Apoc. *Vidi quatuor Angelos super quatuor angulos terræ, tenentes ventos terræ, ne flarent super tertam, Apoc.7.1.* Et in Propheta Ezechiele, *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos. Ezek.37,* Et in Propheta Daniele, *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, Dan.7.* atq; etiam in multis aliis locis. In peculiari horũ ventorum denominatione aliquantulum videntur scripturæ sacræ discrepare à modernis scriptoribus, nam quem hi Boream, illæ Aquilonem vocant, sic & horum subsolanus est illarum Eurus, qui generaliter accipitur pro omni vento ab oriente spirante: qui si magis versus Meridiem inclinat, exprimat vim procellosam & furibundam vnde testatur Psalmista, Euro tempestates maris excitari, *Euro perfringis naues Oceani, Psal.48.8.* Et Iob. *Euro turbinem induxit more procellæ, Euro reduxit mare rubrum in siccitatem, Iob.27.2. Exod.14.21.* Si magis versus solstitium æstiuale, ei maiores caliditatis & siccitatis vires assignant, sic in Genesi inuenimus *Euro aduri fructus, Genes.41.* atque etiam herbas desiccari, vt in Propheta Iona habetur. Si in sua media dispositione, *Euro dispergitur lux super terrã & Euro apportauit Iehoua locustas, Iob.38. & Exod.10.* Sic & Aquilonem pro omni vento Septentrionali accipiunt, vbi dicitur à sapiente, *Aquilo pluuiã,* Et, *Aquilo producit frigus, Prou.25.31. Iob.37.9.* Et, *Surge Aquilo &c. veni Auster, perfla hortum meum, Cantic.4.* Denique Fauonium, & omnes alios ventos illius mundi plagæ sub


communi

communi hoc vocabulo comprehendere videntur: *Vento ab Occidente* (inquit Moyses) *in suo robore DEVS sustulit locustas, Exod.*10.

Nec quidem sine causa est, nos in ventorum Cardinalium diuisione, de polis & circulo æquinoctiali, atque consequenter de ventis, ab iis tam in terra quam cœlo spirantibus, mentionem fecisse, quoniam experientia lapidis magnetici (qui & terella dicitur) docemur, ipsam terram, optimam ad mundi cœlum atque circulos eiusdem proportionem habere, atque etiam spiritu quasi aereo cælorum ad imitationem suorum parentum viuere, & spirare mediante spiritu illo mundano à suis quartis, non aliter quam cælum, quem etiam in omni re videtur corpus hominis æmulari, vtpote qui & suos polos, circulos, & ventos cuilibet suæ quartæ proprios quatenus mundi filius, habet, quemadmodum in *Anatomia* nostra *mystica* explicatum est.

Experimentum de terella magnetica, cuius dispositione etiam & de terræ Macrocosmicæ atque etiam Microcosmicæ natura iudicare solemus, est huiusmodi.

In primis certum est, atque experientia comprobatum, quod terella magnetica, à centro in orbem vires suas emittat, atque hoc idem procul dubio in terra obseruatur, quippe cuius magnes est proles minuta, non aliter in se possidens dispositionem totius, quam quælibet aquæ gutta, illam magni maris; nam in terræ centro est Sol centralis, vim quidem exactè magneticam in se habens, qua suum simile ad se trahit, imo vero, vt in cælo mathematico binos obseruamus polos, etiam mundi machinam circum rotantes, ita quidem nos polos naturales, virtute Macrocosmica præditos, in terrestri globo inuenimus, vnum scilicet ad polum arcticum tendentem, alterum in aduersam mundi partem declinantem, quod quidem à magnetis rotundi (terræ non aliter portiunculæ quam gutta aquæ elementi aquei) natura quam facilime demonstrari potest: qui lapis in figuram ad instar terræ sphæricam redactus, non modo polos, sed & æquinoctialem, atque etiam alias lineas orbiculares, latitudine ab inuicem distantes, per effectum indicat; nam quo propiores fuerint partes spheræ magneticæ æquinoctiali eiusdem, eo magis oblique magnetica ferrea scilicet sibi attrahere atque allicere obseruabuntur; At vero corporis spherici partes ferrum seu acum eo magis directè, quo polo sunt propinquiores, sibi adducere obseruantur, Figuram lapidis sphærici cum varia sua sibi attrahendi formula in his expressimus.



Similis etiam adest corpori humano vis magnetica, quod & terella est, cuius spiritus magneticus obseruatur esse tam fortis, vt non modo elementares, verum etiam & cælestes virtutes, admirabi quadam ratione, allicere, & terrestria cum cælestibus, mediante hac spirituum facultate magnetica, coniungere minime ignorauerint sapientes. Imo quidem, & vt spiritus purus & mundus, munda sibi ex cælis & elementis allicere potens est, ita etiam malignus & impurus, ratione contraria, spiritus sibi similes à cœlis atque etiam terris, videlicet bonus diuinos, malus diabolicos, inspiratione attrahit: Atque in huiusmodi spirituum virtute magnetica res tam stupendas & vix imaginabiles proferre solent, non modo in magia naturali versatissimi, verum etiam & ipsæ veneficæ, qui occulto huiusmodi magisterio ad distans spiritus hominum maligniter inficere solent.

Relati-

Relatiuum seu applicatio prædictæ distinctionis Macrocosmicæ ad microcosmum humanum.

HOc idem etiam de ventis cardinalibus corporis seu terræ humanæ dicendum est, quod de illis Macrocosmi, ventos ergo Microcosmicos in hunc modum diuidimus.

Venti in Microcosmo cardinales seu principales, qui ad imitationem ventorum cardinalium, tam in cœlo quam in terra Macrocosmi spirant sunt vel

- Cardinales, qui in numero quaternario comprehenduntur sunt enim
  - Boreas, flans à regione lienis seu septentrione microcosmico.
  - Auster, spirans à regione hepatis: seu meridie microcosmica.
  - Subsolanus, à statione cordis & spiritualium sua vitæ spiracula emittens.
  - Fauonius, à vasis spermaticis visceribus & ventriculo spirans quasi ab occidente.
- Collaterales. I.

Quemadmodum videmus terram, exemplo terellæ magnetis, suas mundi quartas videlicet Polos, Æquinoctialem, Tropicos continere, ita quidem & terella corporis humani procul dubio & suas quartas, & plagas principales in se habet, quarum spiritus diuersi spiritum mundanum diuersimode magnetica virtute sibi attrahunt, vnde factum est, quod vt aliæ reperiuntur in ferro partes, quæ vel hanc vel illam magnetis partem ex proprietate essentiæ, & naturali quadam inclinatione petunt, vt in experimento supradicto aperte indicatur; ita etiam in spiritu mundano per inspirationem in corpus humanum attracto, varias reperire licet conditione & natura vel huic vel illius spiritui corporis humani portioni naturaliter magis adhærentes: Verbi gratia illa spiritus mundani portio, quæ per inspirationẽ in corpus humanum introducitur, habet partes nonnullas septentrionales, & nõnullas meridionales, & alias orientales, ac tandẽ quasdam occidentales. Sed in generali sua inclinatione magis de illo vento participat, cuius dominiũ erat fortius eo tempore, in quo inspirabatur, vnde fit, vt quidã spiritus seu ventus reddat hominũ spiritus magis fluxiles & catarrhis obnoxios, videl. Austrinus, atque sic in cæteris, etiam spiritus in primo ortu, seu potius vitæ fœtus hora attractus, eum cõplexionem phlegmaticam, melancholicã, sanguineam vel cholericam habere facit, secundum venti tunc temporis primitus inspirati rationem. Similiter spiritus vitæ naturalis ex omnibus ventis deriuatus, (vt Ezech. videtur asseuerare, qui prophetizauit ossibus dicendo *Adueni ô spiritus à quatuor ventis, & insuffla istos mortuos vt viuant,*) ex spiritu Macrocosmico inspirato illas diuidit partes cuilibet Macrocosmi vento proprias, & in suas in terella humana quartas magnetica virtute distribuit, hoc est, Septentrionalis Microcosmici spiritus pars attrahitur ab illa illius Macrocosmici, tam ad sustentationem eiusdem, quam ad illa præstanda officia in corpore humano, quæ à stiptica & frigida illius partis temperie præstari debent, videlicet Melancholicum humorem, Lienis pabulum reficere: Sic etiam eius portio meridionalis hoc idem in sanguineo officio ad hepatis sustentationem & sanguinis procreationẽ perficit: vt & portio ad vitam destinata hoc idem præstat in corde & arteriis: Nam similia similibus semper gaudent, magneticaque quadam attractione se inuicem arcte amoris vinculis complectuntur, quoniam natura naturâ lætatur & gestit. Nonne hoc idem in Tritici & Panis anatomia à nobis quam exactissime expertum atque probatum habemus? in qua illud in sua elementa distincta diuisimus, quæ quidem elementa nihil aliud esse inuenimus, ignis probamine examinata quam ventũ & aerem, vtpote quæ lentissimi caloris appositione in fumũ atomis simillimũ dissoluta sunt; Ex quib. arguere possumus, idq; aperte, quod compositum se habet ad spiritũ eius internum animantem, vt nubes ad ventũ, nã vt nubes erat prius aer, qui ventorum opposite flantium spiratione condensatur in nebulam & nubem; ita quidem compositum opacum nihil erat, nisi nubes in mixtionem perfectam beneuolo ventorum afflatu redacta: quod quidem hoc modo probatur; videlicet quia omnis res resoluitur in id, à quo primordialiter erat creata; at lignum, triticum, & corpus animale, ignis violentia in fumum seu vaporem grossum & quasi nubem rediguntur, qui etiam & paulatim in aerem inuisibilem dissipatur, à quo aere omnia migrare cernuntur. Vnde verificatur illud Platonis axioma, A quo dependet alicuius rei principium, in eodem erit suum incrementum; at nulla creatura aere priuata, aut vegetare aut viuere potest: dicimus ergo quod totum compositum sit nihil aliud quam aer, variæ conditionis, in id quod est

conflatus;

conflatus; aer inquam conditionis variæ, quatenus diuersorum ventorum spermata includit, videlicet cholerica à ventis Orientalibus, phlegmatica & aquea ab Occidentalibus, melancholica & terrestria à Borealibus, ac sanguinea cum putredine à Meridionalibus: atque hinc est quod oleagineitas tritici ignea, sit aer cum spermate venti Euri, ætherea subsolani, vtpote quæ est saluitæ centrale, eius menstruum aereum vegetationis instrumentum, aer cum spermate australium; eius terra omnia simul constringens, de septentrionalibus participat, vt & eius phlegma seu substantia aquea, ab occidentalibus nutritur. Atque hinc est, quod ex eodem subiecto oleum seu humor cholericus, chymia hominis naturali separatur, & in cistam fellis reconditur, pars aerea in hepate elaboratur, & in sanguinem mutatur, pars seu gluten terrestre ad Lienem, vtpote locum suum connaturalem, transportatur. Phlegma dulce in ventriculum atque occultos viscerum meatus fertur, at serositas salsa ad renes & vesicam mandatur: & tamen hæ omnes panis seu tritici partes, sunt nihil aliud, quam aer, diuersis naturis ventorum, à mundi quartis spirantium, infectus, quod quidem ex eo patet, quoniam leui, vti dictum est, igne, in aerem seu ventum gradatim conuertuntur.

His igitur aperte explicatur, quod in Liene sit vis magnetica ea ad se attrahenditam ex nutrimento quam ex aere per inspirationem attracto, quæ sunt de natura septentrionali, in hepate ea quæ participant de ventis australibus, in corde ea quæ ex potestate naturali vitæ sunt de æthere descendentia: in felle ea quæ à ventis biliosis, cuiusmodi sunt Eurus & cæcius, ac denique in ventriculo & visceribus ea, quæ vitam suam accipiunt à ventis occidentalibus. Ab huiusmodi igitur harum hominis partium effectibus, polorum atque æquinoctialis tam orientalis quam occidentalis puncta colligere possumus, non aliter quam effectu applicationis ferri ad magnetis partes, eiusdem æquinoctium, & polos, atq; axem verticalem, per experimentum antea descriptum colligimus. Nonne etiam simili ratione ex ventorum applicatione variorum aerem in nubem conuerti, corpora diuersæ naturæ in se continentem videlicet lapides, flammas, aquas &c. Constat?

Cap. VII.

De octo ventis Collateralibus in macrocosmo.

G.
Venti spiritibus cardinalibus tam cœli quam terræ in Macrocosmo collateraliter inseruientes sunt 8. Nam subiicitur

- Boreæ
  - Aquilo, à puncto orientali circuli arctici spirans.
  - Circius, flans à puncto occidentali eiusdem circuli.
- Austro
  - Euro-Auster, à puncto orientali circuli Arctici spirans.
  - Austro-Africus, à puncto eiusdem circuli occidentali flans.
- Subsolano
  - Cæcius, ab ortu Solstitii æstiualis spirans.
  - Eurus, ab ortu Solstitij hyemalis flans.
- Fauonio
  - Corus, ab occasu Solstitij æstiualis flatus suos emittens.
  - Africus ab occasu Solstitij hyemalis spirans.

Dicuntur venti isti collaterales, quia more alarum dextræ & sinistræ, in latere cuiuslibet venti principalis seu Cardinalis situs suos habent, imo vero & Cardinalibus illis, quibus astant, inseruire & subiici videntur, vtpote quorum naturis omnimodo quasi sunt perfusi atque animati;

Verbi gratia, Aquilo frigidam & ſiccam Boreæ ſeu venti directe polaris naturam omnimodo ſecum fert, præterquam in eo, quod quodammodo, quamuis vix perceptibiliter eius frigiditas per gradum vnicum mitigatur à loco ſolaris ortus, qui eſt calidus in intenſo gradu; atque hinc eſt, quod in quibuſdam à natura Boreæ ſeu venti ſeptentrionalis differre animaduertitur, cum huius ſit nubes denſas pellere: at Aquilo non pellit aut diſſipat, ſed potius conſtringit & coarctat eas, quod quidem ex nominis etymologia colligi poteſt. Nam vti Iſidorus, Conſtantius, & alii volunt, Aquilo dicitur, quaſi aquas & nubes ligans. Hic ventus in ſacris literis accipi videtur generaliter pro omni vento, à quarta ſeptentrionali flante. Ventus etiam alter Boreæ collateralis loco ſeu parti circuli arctici oppoſitus, circius appellatus, aliquantulum inclinat à Boreæ ſiccitate ad humiditatem Fauonii, vnde & obſeruatur parumper in ſua conditione à ſuo principali Borea differre. Sic etiam & Auſter in ſua parte dextra Euro Auſtrum habet, cuius humiditas aliquantulum à ſiccitate orientali mitigatur, vt in parte Cardinalis ſiniſtra, Auſtro-africi caliditas ab occidentali frigore aliquantulum, licet inſenſibiliter, obtunditur, vnde fit, vt effectus quodammodo differentes habeat, ab illis ſui Cardinalis.

Simili plane ratione differunt venti collaterales, tam ſubſolani quam Fauonij, nam ille Subſolani Borealis, Cæcius à prauitate, & Helleſponticus à terræ plaga, qua ſpirat, nuncupatus, multiplicat ſuam ſiccitatem, propter eius ad partem Borealem propinquitatem, in quo etiam reſpectu & quandoque frigidam induit veſtem, valde enim in ſua natura inconſtans eſt & mutabilis, non pellit nubes vt Boreas, ſed potius attrahit, propter ſuam ſiccitatem: hinc prouerbium de auaro, *attrahit ad ſe nummos, vt cæcius nubes*, in parte vero ſubſolani meridiana Eurum habet, qui quatenus meridianum reſpicit de eiuſdem humiditate parumper participat.

H c ventus, nomine Eurus, accipitur in ſacris ſcriptis generaliter pro omni vento, à quarta orientali flante.

Collateralium Fauonij illius ſeptentrionalis, Coridicti, humiditas à ſiccitate Boreali parumper alteratur, vnde & eius conditio ab illa ſui principis in quibuſdam variatur, Sic etiam venti Africi à regione ex qua flat ſic dicti frigus à calore auſtrali in nonnullis à Fauonij diſpoſitione variari cernitur. Sed de horum tam Cardinalium quam collateralium qualitatibus atque naturis variis, in cauſarum meteororum finalium tractatu inferius hocque copioſius diſcurremus.

Relatiuum ad Microcoſmum.

I.
Ventus in microcoſmo ſeu homine cuiuslibet Cardinalis collateralis videlicet

- Septentrionalis ſeu regionis Lienis
  - Orientalis eſt aquilonis proles, quæ à plaga lienis per vas breue, & alios inſenſibiles meatus, in ventriculum, & exinde atque etiam directe à liene, per ramos portæ, in reliqua viſcera, & præcipue in inteſtina ſpirare videtur.
  - Occidentalis eſt Circij ſoboles quæ ab infima lienis regione, & quaſi à rene ſiniſtro & regione ei contigua, partim in viſcera & ventriculum, ſed præcipue in hypochondrium dextrum, hoc eſt, in cauitatem qua ſitum eſt hepar, ſpirare animaduertitur.
- Meridionalis ſeu regionis Hepatis
  - Orientalis eſt Euro-auſtri proles, quæ à rene dextro & regione circa eum ſita, verſus illam hepatis caui partem ſpirat, vbi venulæ bilem ad veſicam fellis ab hepate conducunt, & exinde in ventriculum, inteſtina, & per totum Hypochondrium, mediantibus venis meſeraicis, aliiſque meatibus, tam occultis quam communi obſeruatione notatis, flare ſolet.
  - Occidentalis eſt de Auſtro Africi progenie, quæ à viſceribus dextris immediate ſub hepate ſitis, ad hypochondrium ſiniſtrum (in cuius cauitate ſitus eſt Lien) ſpirare obſeruatur.

Orientalis

Orientalis seu regionis cordis & spiritualium
- Meridionalis est Euri soboles, qui à cista fellis in intestina & venas, tam cauam quam portam: imo vero & in spiritus arteriales flatus suos igneos & sulphureos disseminare gestit.
- Septentrionalis est Cæcius, atque hic spirat à concauitate Diaphragmatis sinistra flatus seu ventos nonnunquam æstuosos & quandoque rigidos ad inferiora hypochondria.


Occidentalis seu regionis viscerum inferiorum atque vasorum spermaticorum
- Meridionalis est Africi proles, quæ à vasis seminariis dextris & visceribus circa ea sitis, nempe à regione intestini cæci & iliorum, sursum in ventriculum & sinistram Diaphragmatis regionem spirare videtur.
- Septentrionalis est Cori filius, qui spirat à regione vasorum seminariorum sinistrorum, & à visceribus circa ea positis, in ventriculum & dextram Diaphragmatis partem.

QVod tam in vento seu aere in hominem inspirato, quam in alimenti succo (quod etiam ex ventis erat) sit cuiuslibet venti tam cardinalis quam collateralis portio, antea sat vbertim est declaratum, atque etiam quod in spiritu humano sit vis quædam magnetica, ei à prima fætus inspiratione insita, quæ ad quamlibet mundi humani plagam, siue sit æquinoctialis seu polaris, naturali quodam instinctu attrahit sibi similia, ab aere mundi maioris, siue sit à mari aeris simplici, seu ab eius vndis in composito nutrimento scilicet extrahit, & cum sua substantia vnire à mente sana obseruatur; Sic Lienis vis interna est, humores stipticos & acidos, atque etiam limosam & terrestrem, sanguinis seu succi chilosi præparati substantiam, appetitu connaturali allicere & conseruare, sic Hepatis natura est, nubes chilosas congregare, & succum chilosum in naturam sanguinis calidi & humidi conuertere, & quandoque pluuias catarrhosas procreare, more Austri: Est etiam punctus magnetiæ attractionis in locis intermediis, cuius est & partes intermedias aeris, à ventis lateralibus infectas, ad se allicere, atque hac ratione integra spiritus humani portio, ex infinitis particulis fabricata, ab integra spiritus mundani massa ventorum omnium seminariis, sed inæquali respectu provenientis, in Macrocosmo flantis dominio perfunditur. Hæc ergo est causa, quod ab aere ambiente (juxta Galeni & Hippocratis regulas) necessario alterantur corpora hominum, atque aerei ipsorum spiritus, vnde medicorum peritissimi secundum ventorum malignorum dominium de morborum futurorum speciebus prognosticare minime dubitarunt. Dicimus ergo, quod ventorum mundi collateralium proles in aere humano non aliter exerceant vires & flatus ipsis appropriatos, quam eorum parentes in mundo maiori: atque ob hanc causam eos proles, filios, & soboles ventorum collateralium mundi vocamus, quippe qui ab ipsorum seminariis vbique in aere aperto, & per pulmones & poros attracto, dispersis & disseminatis in corpore humano procreantur, & vires suas exercent; Sed vt videmus in partu fœmineo, quod non omnes matrices ad propagationem sunt aptæ, sed quædam nimis frigidæ, & seminaria mortificantur, & ad optatam fætus metam non mouentur, aliæ sunt nimis calidæ, & seminaria vel adurunt, vel ipsorum humidum radicale absorbent, aliæ humorum superfluorum mole quasi suffocantur, & infinitis aliis obstaculis in suo motu generatiuo impediuntur, ita etiam & seminaria ventorum, tam maligna quam beneuola, vndique in aere dispersa, cum in corpus humanum tanquam matricem fuerint siue inspiratione siue alimento animalis aut vegetabilis attractæ, si materiam venti oppositi naturæ contrariam in materia reperiant, neq; maligniter neq; benigniter operari percipiuntur, quoniam seminorum huiusmodi incremẽta à qualitate venti cõtrarii, in eodẽ corpore prædominantis, impediuntur & quasi extinguũtur: verbi gratia non omnes videmus tempore pestifero plaga infectos, & tamen omnes percipimus eum aerem cõtagiosum inspirare, quare quorundã hominũ naturas ad huiusmodi seminaria in corpora sua recepta nutrienda minime aptas esse cernimus, quoniam in venti contrariæ conditionis dispositione abundant, verbi gratia, si cõstitutio spiritus in prima vitæ humanæ inspiratione sit septentrionalis, & in tali conditione fortiter persistat, contagiosi ventorum Australium flatus ei plurimum nocere non possunt; at si huiusmodi spiritus & ab aere inspirato, & alimento conflato, ex ventis oppositis d u flantibus debilitentur, tunc inficiuntur aut leuius aut grauius, proratione debilitatis spiritus septentrionalis: at vero, communiter ita sese habet, vt ille spiritus humanus, qui est de natura venti

conta-

contagiosi, facillime absorbeat & nutriat seminaria meteororum eiusdem venti, vnde & citius & magis letaliter inficiuntur huiusmodi peste vel morbis epidemicis, quam alii. Atque hæc nostra doctrina ab illa Galeni & Hippocratis non multum discrepare aut dissentire videtur, qui ambo in hanc incidunt sententiam, quod scilicet Biliosi calidam æstatis temperiem difficilius ferant, hyemalem & septentrionalem melius; viceuersa phlegmatici dispositionem Australem & pluuiosam atq; hyemalem difficilius tolerant, cum tamen illa æstiualis sit ipsis magis grata, verba eorum hæc sunt, *Æstate* (inquit Hipp. *Aphor. l. 3. 18.*) *saniores sunt senes, vtpote qui sunt frigidi*, Et Galenus super illum locum, *In senibus propter temperaturæ frigiditatem æstas vtilissima est*, Et alibi, *Pituitosiores æstate*, *biliosiores hyeme optime degunt.*


Nonne etiam habemus hoc confirmatum in ventorum mundanorum flatibus, in quibus illi Boreales videntur curare & extirpare australium effectus: nam vt Australis venti conditio est nubes procreare, res congelatas dissoluere, aerem inspissare, & pluuias producere, atque morbos etiam contagiosos generare; ita quidem & Boreæ spiritus dissipat nubes, vel dissolutas congelat, aera subtiliat, pluuias pellit, & pestis incremento opponitur. Sic etiam siccis Lienis flatibus prædominantibus, tenues vapores & Rheumata fluxibilia inspissantur & congelantur atque sistuntur: Similiter vapor ab Hepate emissus, à Lienis flatibus congelatos & condensatos dissoluit, & poros ab iis constrictos & obserratos aperit; atque ita in cæteris. Sed licet ab effectu & communi experientia docti hæc scribamus, tanquam demonstratione à posteriori, tamen huius rei ratio valde est occulta & mystica, quæ non nisi demonstratione à priori indicari potest; Sunt enim venti salubres & clementiæ, sunt etiam venti insalubres & seueritatis, sunt & angeli magni seu Archangeli, qui à Deo ordinati sunt, his ventis præsidere, suasque legiones vel ad vindictam & punitionem, vel ad beneficentiam secundum creatoris sui (cui astant) beneplacitum emittunt, estque & angelus quidam vniuersalis prima emanatio à claritate omnipotentis, sapientia ab Ecclesiastico dicta, Metattron à Cabalistis, Messias & Soter seu Saluator à mysticis, in cuius potestate est, homines à Cacodæmonum Ventosorum violentia præseruare. Ille inquam ipse solaris anima, vitæ & sanitatis præses, benigniter & non aliter ad sanitatem tuendam agens, quam Raphaelis officium ad morbos propulsandos ordinatum est (vt ex nominis sui etymologia patet) *qui ascendebat ab ortu Solis, habens sigillum DEI viui, & clamans voce magna quatuor angelis, qui stabant super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, quibus datum est nocere terræ, & dixit, ne noceatis terræ & mari, & arboribus, quousque obsignauimus seruos Dei nostri in frontib. suis; Apoc. 7.* Sed de mystica huiusmodi morbo afficiendi, aut sanitatis conseruandæ ratione, in tractatu nostro de Metaphysica meteororum tam salubrium quam insalubrium causa, DEO propitiante, fusius disceptabimus. At vero ventorum Microcosmicorum historiam in tractatu nostro de Anatomia Mystica plenius atque fusius descriptam & pertractatam inuenietis, cuius nihilominus ocularem demonstrationem hic depictam habetis.



A. Cor.
B. Vasa seminaria.
C. Aorta.
D. Hepar.
E. Lien.
F. Ventriculus.
G. Diaphragma.
H. Vesicula Fellis.

Sed jam ad meteororum compositorum ex ventis procreatorum descriptionem accedimus.

In quarum { Priori corpora in genere à ventis procreata simul atque partes in ipsorum compositione præcipuæ pertractantur. Media Meteora tenebrosa visibilia describuntur. Postrema illa inuisibilia formaliter depinguntur.



Caput I. Membri II.

Vbi de corporibus meteorologicis ex ventis procreatis in genere agitur.

Eadem est corporum meteorologicorum, tam in substantia quam forma, cum illa illorum perfecte mistorum conditio, quæ prius in ipsorum à simplicitate aerea motu fuerunt corpora imperfecte mista, in quo statu corporum meteorologicorum formam induebant, videlicet inter terminum à quo, qui est status simpliciter aereus, & illum ad quem, perfectam scilicet compositionem: quemadmodum in antecedentibus sufficienter demonstratum habetis. Ex quibus sat liquido constare videtur, quod omne quod est, non sit originaliter quod ad consistentiam nisi vnum & idem, videlicet aer, & quod nullum sit in mundo compositum, nisi quod sit vel meteorum, vel ex meteoro. Meteorum (inquam) si sit corpus imperfectum, & ex meteoro, vtpote per cuius naturam necesse est vt transitus fiat de natura simplici ad illam perfecte compositam. Nam impossibile est, vt progressio à termino à quo, ad illum ad quem, fiat, nisi interposito medio, nam in numero binario nulla inuenitur perfectio, quippe cui duo tantum adsunt termini, quare à Pythagoricis numerus confusus & imperfectus non absurde dicitur. Perfectionis igitur dignitatem quam rectissime numero ternario attribuerunt, quoniam in eo tres reperiuntur termini, videlicet principium, medium, & finis, qui termini in compositione sunt velut corpus imperfecte mistum seu meteorologicum. Sic ex farina impalpabili tanquam aere pastam conflari videmus, tanquam terminum medium seu compositionem in motu medio, inter panem & farinam, quæ deinde diminutione humiditatis & coctione & confirmatione compositi illius imperfecti in perfectam panis speciem reducitur. Nonne etiam in lignorum seu corporis animalis atque etiam metallici velut plumbi, ferri, cupri, &c. examine testæ seu cupellæ apparet, quod corpora illa ignis violentia in densum prius fumum seu nubis

consistentiam, tanquam imperfecte mistum resoluantur, actum postea in terminum suum à quo videlicet aerem retrogrediuntur: Quæ quidem materia nubeculosa in prima compositi constitutione ex ventis oppositis more nubis in aere erat conflata, videlicet compositione & inspissatione aeris in consistentiam nubis, hoc est, in mediam viam ad perfecte mistum: quæ quidem perfectio retentiua & constrictiua partium leuiter appositarum vnione, præcipue à ventorum septentrionalium natura fit, quorum est partim congelando & partim concoquendo perficere aerem à ventis inspissantibus, australibus nempe, congregatum.

Caput 2. Membr. 2.

De partibus in compositione præcipuis, ac primum de Luce.

QVum autem ad corporum tam meteorologici quam perfecte misti, quod etiam ex meteoro erat, constitutionem duo requiri certum sit, atque ab omni dubio procul, operæ pretium fore existimo, diligenter quænam sit istorum duorum natura inquirere: At quoniam est impossibile vt aliquid possit in rerum natura præstari absque actione, quæ est ex parte formæ, & passione, ex parte materiæ, necesse habemus horum in compositione duorũ naturas inspicere, vtpote sine quibus res nulla in mundo consistere queat. Formam autem inuenimus esse rem vnicam, simplicem, actum primum, centralem, agentem, lucis primariæ sobolem, omnia formantem efficientemque, origine supernaturalem, & increatam, effectu & spiritu naturali vestitam, naturalem atque creatam. Hinc dicit Ecclesiasticus; *Sapientia est prima creatura. Eccl.1.* & quod lux sit primo die creata, & sic in vno, respectu videlicet, vestimenti mundi spiritualis quod induit; dicitur angelus, respectu animæ simpliciter formalis seu nominis DEI magni in Angelo inscripti est Iehoua, seu immediata DEI seu fontis lucis emanatio in mundum, per quam eius spiritus in sola potentia existens erat informatus; Atque ita dictum est, quod lux creata erat primo die, hoc est, spiritus luce diuina resplendens, seu lux, seu actus diuinus, spirituali mundi substantia, sua præsentia illuminata, investitus. Vnde dictum est à Dauide, *DEVS vestitur lumine*, hoc est, spiritu illuminato, hoc est, gloria DEI in sua creatura resplendet. Sic etiam in ira sua dictus est *DEVS ignis consumens*; Et lux seu forma ista in forma quandoque vestimenti sui nomen assumit, vnde scriptum reperimus, *Sapientia fuit Israelitis tegumentum interdiu & lux stellaris nocte*, & alibi, *Ego sapientia ex ore altissimi prodij, & tanquam nebula cooperui terram, thronus meus columna nubis, &c. Sap.10.17. & Ecclesiastis 8.* Hæc ergo sapientia diuina est actus actionum, & motrix in qualibet creatura centralis, vnde dixit sapiens, *spiritus DEI incorruptibilis est in omni re, Sap.21.* Qui quidem spiritus DEI lucidus, est centralis ipsius virtus, sine qua neque viuere neque existere potest; Quod etiam spiritus hic sapientiæ sit intima meteororum lux atque anima animarum, imo vero cuiuslibet tã imperfecti quã perfecti mystica anima secreta, ex eo patet, primo quod in perfectione sua omnia superat, quatenus est diuina, incorruptibilis, & increata, secundo quod omnibus mobilibus mobilior est, omni spiritu simplicior & subtilior, omni actu potentior. Tertio quod sit in omni re, vti dictum est, h.e. in omni elemento & elemẽtato. Quod etiã ex his loci prædicti verbis facillime colligere possumus: *Ego sapientia cooperui terram tanquã nebula, thronus meus in columna nubis, rotunditatem cælorum circuiui sola, & in profundo abyssi ambulaui, in fluctu maris & in tota terra atq; in omni populo, ac gente acquieui:* Est ergo sapientia diuina, quã sapiens hisce verbis luculenter describit *esse intelligentiæ spiritũ sanctũ, vnicũ seu simplicem, multiplicẽ, subtilẽ, nõ coinquinatum, certum, suauẽ, passionis expertem, acutũ, benignum, humanũ, omnes habentem virtutes, omnia prospicientẽ, omnes spiritus intelligibiles capientẽ, omnibus mobilib. mobiliorẽ, vbiq; propter munditiem suam attingentem, vaporem seu emanationem virtutis seu claritatis Dei, quæ cum vna sit, omnia potest, & permanens in se omnia innouat, & per nationes singulas se transfert. Sap.7.* Hæc inquam centralis vita seu principium & esse, maxime internum, cuiuslibet rei in hoc mundo existit, & non forma illa fictitia seu imaginaria Aristotelis, quam quid facit imaginabile, omnia naturæ suæ & non immediate DEO attribuens. *Per verbum* inquit Euangelista, *omnia sunt facta, & sine eo nihil; In eo erat vita & illa erat lux hominum, mundus ab eo factus est, & non cognouit eum.* Quam stulta ergo est illa Philosophorum Christianorum distinctio, qua DEVM à sua potentia & virtute distinguere & separare voluerunt, dicentes, DEVM vbique esse virtualiter, sed minime essentialiter, ac si quis mente sanus aut sibi recte constans diceret, Virtutem DEI ab eius essentia separari aut diuidi posse, magis quam radios solares ab ipso sole, qui omnimodo sunt inseparabiles. Quod etiam Mercurius Trismegistus confirmare videtur *Pimand.12.* tali sermone. *Mens quidem est ex ipsa DEI essentia, si qua est eius essentia nascitur, quare ab essentia DEI nequaquam est diuisa, sed illi potius eo modo connexa, quo Solis corpori lumen.* Hæc ille. Est autem mens mundana emanatio illa immediata, seu candor lucis æternæ, seu speculum sine macula maiestatis diuinæ, & imago bonitatis illius, mediante qua DEVM à posteriori, hoc est, in creaturis suis cognoscimus, illa ipsa sapientia, quam superius sacri scripti testimonio descripsimus,

*Sap.*7. vti etiam eodem textu confirmatum habemus. De qua sic loquitur Trismegistus ex boni sui dæmonis reuelatione, *Mens anima DEI dominatur omnibus, tum etiam legi ac cæteris vniuersis, neque aliquid eorum quæ ad fatum pertinent, impossibile menti: Pimand.*12. Ideo humana mens fato superior, non tamen quæ fato subiecta sunt, negligit, Hæc ergo mens est illa, à qua omnes animæ totius mundi vitam & esse suum sortiuntur, non aliter quam ab vna candela candelæ innumeræ illuminantur, & vitam quasi suam accipiunt, vnde & dictus Antistes sic dicit: *Animæ vniuersæ per omnem mundum ab vnica totius mundi anima profluunt, tanquam distributæ circumcurrentes, harum autem animarum mutationes permultæ partim sane in melius feliciusque, partim autem in contrarium, Pim.*10. Atque hoc idem à literis sacris discrepare non videtur, vbi scriptum relinquitur: *Quod DEVS creauerit omnia per Iesum Christum, Ephes.* 3.9. & alibi, *ascendit ille qui prius descenderat ad profundas terræ partes, & ille qui descendit est ille ipse qui ascendit, supra omnes cœlos, vt possit omnia hoc modo implere, Ephes.*4.8. atque etiam *spiritus sapientiæ* (inquit Salomon) *implet orbem terrarum, Sap.*1. Porro dictum est, *DEVM fecisse densas nubes vehiculum & tugurium suum, Psal.*104.3. & *Iob.*22. Ergo vbique præsentialiter adest in aere lucidus huiusmodi DEI actus, tametsi nec oculo manifestetur. Sic etiam *in sole posuit tabernaculum suum*, Denique virtus seu essentia hæc diuina vbique adest, vt testatur Psalmista regius: *videlicet, in cœlo, in inferno, in extremis maris, in nocte, in tenebris, Psal.*139.7. Hinc dictum est, *scito ergo & reuocato in animam tuam Iehouam esse Deum ipsum in cœlis superne, & in terris inferne, nullum amplius esse, Deut.*4.39. Ex quibus colligimus lucem aliam esse supernaturalem, hoc est, in sola & absoluta sua essentia, absque vllo ad res creatas respectu, quæ & supercælestis, hoc est, extra naturæ limites exaltata est; & naturalem, quæ iterum ob loci varietatem, aut aeris subtilitatem, aut grossitiem, in cœlestem distinguitur & elementarem, cœlestem: quatenus lux ista posuit tabernaculum suum in cœli centro, videlicet in sole à quo de virtute & vita sua luminosa periferice impertit stellis & creaturis æthereis, cuiusmodi sunt dæmones, fati exequutioni ordinati: Elemētarem, vtpote in qua mundi regione omnia tam simplicia quam cōposita informat radicaliter: est enim verbum, in quo vita rerum est. Nam incorruptibilis Dei spiritus est in omni re, vtpote qui vbique propter suam munditiem attingit, atque cum sit in se permanens omnia innouat, hoc est, vigere, vegetare & multiplicare facit, *Sap.*7. vnde dictum est, *cœlum & terra transibunt, sed verbum DEI manebit in æternum*, est enim spiritus DEI incorruptibilis, & consequenter nulli corruptioni subiicitur, vnde & in æternum existit.

Cap. III.

De Aqua vniuersali & de eius speciebus, & quod sit materia cuiuslibet tam perfecti quam imperfecte misti passiua.

VT ergo forma rerum omnium, tam mixtarum quam simplicium, interna est lux quædam increata, seu spiritus quidam incorruptibilis, diuinitus iis à creatione insitus, sine cuius præsentia illæ viuere imo vero existere minime potuerunt, ita etiam ille spiritus vestimentum seu vehiculum huius lucis proximum est, à qua inuisibilis aer, ventus scilicet agitatur, ad nutum huius spiritus Deiformis in centro versantis, eius vero tegumentum remotum ac aeris eum vehentis proximum, est aqua inuisibilis, tam grossa quam tenuior, ex quibus creaturarum corpora conflantur: Vnde sequitur, quod omnia in mundo creata sint primario de aqua & per aquam, operante spiritu isto centrali, creata, at secundario à cœlo, tanquam interno & spirituali, & terra, tanquam externo & corporali, quoniam hæc duo sunt illa, quæ vastam mundi cauitatem implent & complent. Atque hoc à D. Petro confirmatur, loco multoties à nobis in præcedentibus citato, qui dicit, *Quod cœli essent prius, & terra de aqua & per aquam consistens verbo DEI*: Vnde sequitur, quod quæ immediate à cœlo & terra simul mixtis conflantur, illa originaliter ab aqua & per aquā fiant, non tamen à solis aquis, quæ partes sunt passiuæ in compositione, sed mediante verbo diuino agente, sine quo (teste Ioanne) nihil erat factum, vtpote in quo est creaturæ vita: vel vt antea dictum est mediante sapientia, *quæ erat candor lucis æternæ ab ore altissimi, primitus ante vllam creaturam emanans, quæ* (sapientis testimonio,) *erat patri suo assistens, in operibus suis, vel vt antistes Moyses vult, mediante spiritu Domini, qui vehebatur super aquas*, igneum iis vigorem seu vitam præbens.

Videmus ergo aquas primitus ex creaturis mundanis creatas, esse totum illud, quod cœlum & terra nuncupatur, & per consequens, quod vastam mundi concauitatem impleant, certum est. Vnde etiam, vt cœli seu aer vndique in sua natura spirituali expansus, est consistentiæ inuisibilis, terra autem tenuis est aqua visibilis, grossa vero seu fæx, & caput quasi mortuum totius, est ipsa terra opaca, tam humidioris substantiæ vt limus terræ & cænum, quam siccioris & durioris; sic etiam aquas in visibiles & inuisibiles à nobis distingui haud absurdum fore putamus, videlicet in cælestes & terrenas. At vero certum est, aquas inuisibiles tam tempore quam ordine visibilibus in creatione præcessisse, quippe in quibus cœlum erat constitutum, priusquam vlla terra aut mare apparebant;

cum

cum illud secundo hæ vero tertio creationis die sint productæ, Vnde colligimus, quod aquæ visibiles fuerint prius ab aquis inuisibilibus chymia diuina extractæ, videlicet separando, atque diuidendo superiora ab inferioribus, quemadmodum in doctrina Mosaica instruimur. Sic etiam nos experientia vulgari docti videmus ex aere nubem, & ex simplici nubis aqua vaporosa salia, lapides, fulgura, ranas, & huiusmodi alia procreata, quæ omnia corpora visibilia, videlicet aqua & terra, erant prius ab aere inuisibili, mediante verbo: Sed & hoc ab Apostolo loco superius explicato ad amussim deducitur. *Per fidem ita actum est cum mundo per verbum DEI, vt ex iis quæ videri non poterant fuerint ea quæ possunt videri, Heb.* 11. Quare sat liquido constat, aquas illas, super quibus ferebatur spiritus Domini, fuisse inuisibiles & increatas, ex quibus omnia tum postea visibilia sunt creata. Inspirauit ergo ad mundi creationem actiuus spiritus DEI patentis spiritum potentialem nondum informatum, sed in tenebris latentem, spiraculo vitæ, atque ille in formam aquarum subtilium est mutatus, ex quibus teste D. Petro, cœlum & terra & omnia consequenter mediante dicto spiritu increato sunt facta, quod etiam à Salomone sic confirmatum habeas; *Manus omnipotentis mundum ex informi materia effecit, Sap.* 11. *seu materia inuisa* vt Hieronymus interpretatur, hoc est, ex spiritu potentiali in Hylæ gremio abscondito & in DEI latentis potestate existente, per DEI patentis & actuosi splendorem illuminato & in actum redacto, qui tum postea nomine aquarum erat dictus, vnde non inepte à Philosopho dictum habemus, DEVM esse omne quod est, vtpote à quo omnia primordialiter procedunt, & in quem omnia finaliter reuertuntur. Hinc ergo oritur huiusmodi virorum mysticorum axioma, Vnum est omnia, & omnia sunt vnum, quod Cabalistæ per *Aleph magnum* & *Aleph paruum* significare voluerunt, & Iohannes in Apocal. per α. & ω.

Lib. 3. *Membrum* 1.

De

Meteoris tenebrosis omnibus.

Caput I.

De duplici meteororum ex ventis conflatorum specie.

F

Meteora tam microcosmica quam macrocosmica ex ventis inter se specie differunt, vtpote quorum alia sunt
- Simplicia, eaque vel
  - Tenebrosa: Vide H.
  - Lucida: Vide I.
- Ex simplicibus orta, quæ etiam duplicia sunt.
  - Tempestuosa: Vide K.
  - Pacifica: Vide N.

MEteora secundaria, seu ex ventis, hoc est, à meteoris primariis orta multis rationibus deriuari dicimus. Nam in primo loco venti externi seu mundani flatibus oppositis comprimunt aerem, vniuersam creaturarum materiam, & in creaturæ sperma illam condensant; vt autem cernimus experientia ducti, quod spermata rerum visibilia sua in se semina inuisibilia habent, quæ loco animarum centralium sunt illis spermatibus, ita quidem & dicti venti spiritualia sua seminaria inspirant corporibus aereis seu meteorologicis, non aliter quam seminaria spermatum creaturarum esse spiritus seu ventos in ipsis inclusos constat mediantibus quibus massa spermatis, cum additamento sui similis, in creaturæ speciem seu effigiem, cuius est sperma, flatu quodam interno extenditur, atque ita fœtus conflatur. Sic etiam in nube à ventis oppositis procreata, spiritum à ventis exilientem more animæ illis includi videmus, mediante quo vegetare, crescere, & in media aeris regione ab vna mundi plaga versus suum oppositum exagitari atque volare cernitur. Vnde concludimus, non modo corpora meteorologica, verum etiam ad compositionis perfectionem perducta, à vento seu spiritu ventoso, à mundi plagis emisso, vitam & animam recipere, in cuius centro inest spiritus DEI incorruptibilis, cum mundi tum ventorum eiusdem anima. Quod quidem ab hoc Prophetæ sermone quam aptissime colligere possumus, *A quatuor ventis* (inquit ille mandato diuino) *adueni ô spiritus, & perflato interfectos istos: Et ingressus est in illa ossa spiritus & reuixerunt, Ezech.* 37. 9. Quare haud improprie distingui putauimus meteora in ventos, qui sunt quasi angeli, in quibus nomen DEI, hoc est,

est, spiritus incorruptibilis essentia imprimitur. *Super alis enim venti mouebatur Iehoua*, teste Psalmista regio: & in illa quæ ex ventis tanquam composita ex simplicibus componuntur.

At vero, quoniam ex rebus compositis alia propinquius ad simplicitatem accedere videmus, & ob hanc causam respectiue simplicia nuncupantur. Similiter, quia vnicum cernimus meteoron ex multis, quasi totum ex suis partibus, conflatum, ideo meteora immediate ex ventis conflata, partim comparate simplicia, partim ex iisdem simplicibus composita, idque haud inconsulte fecimus: Quæ autem respectiue simplicia esse obseruauimus, iterum dupliciter distingui diximus, vtpote quæ sunt vel tenebrosa seu opaca, vel lucida & ignea. De genere tenebroso hac in particula atque etiam consequente; de illo lucido in particula tertia libro partis huius tertio copiose discurremus.

Cap. II.

De generali Meteororum tenebrosorum differentia.

H

Meteora in macrocosmo tenebrosa à ventis collecta animataque sunt duplicia videlicet
- Aquea: Vide M.
- Terrea: Vide N.

CVm omnia quæ in mundo sunt, ex tenebrosi Chaos medulla & fonte, tanquam materiali & lucida creatoris emanatione, in origine formali dictam materiem generalem velut informante procedant, non absurde à nobis factum putamus, differentiam immanem in discursu hoc nostro meteorologico, inter meteora tenebrosa & illa lucida facere; nec tamen per meteora tenebrosa tales finximus chimæras, in quibus nullæ insunt lucis primariæ portiones; nam sine lucis formalis participatione nihil, & plane potentialia essent meteora, sed ideo illa tenebrosa nuncupamus, vtpote in quibus lux formalis occultatur, & tota mixtio opaca & minime per se lucida oculis nostris apparet. Sic etiam testimonio sacri Biblij dictum est, *Tenebras fuisse super faciem abyssi Genes.*1. Et tamen *in abyssorum profunditatem ambulauit sapientia*, vt in Ecclesiaste habemus: *Eccles.*24. Nam *tenebræ* teste Psalmista regio *Deo non sunt tenebræ, Psal.*139. & vt alibi, *Densæ nubes sunt latibulum* DEI, *qui ambitum cælorum obambulat, Iob.*22.18. Et alibi, *Densæ nubes vehiculum* DEI *seu currus, qui itat super alas venti, Psal.*104. Imo vero DEVS ipse dixit *se habitare in tenebris seu sub caligine, Chron.*6.1. Et alibi. *Fecit tenebras locum suum secretum, & aquis nigerrimis ac tenebris densis circumsepiebat tabernaculum suum, vt velamenti loco ipsi inseruirent, Psal.*18.11. Nonne etiam dictum est, *quod tenebræ in Ægypto potentia diuina prouenientes fuerint tam magnæ, vt vnus alterum non videret? & tamen more nebulæ obscuræ palpabiles erant, Exod.*10. Atque hæ sunt tenebræ aqueæ seu madidæ conditione.

Porro etiam ipsa terra pro tenebris accipitur, quæ & tenebrosa dicitur, quemadmodum in multis Scripti Sacri locis videre licet, & consequenter omnia meteora compacta & opaca, seu consistentiæ terrestris, tenebrosa haud inepte aut temere diximus, cuiusmodi sunt lapis Ceraunius seu fulminaris, manna, corpora metallica, & huiusmodi alia.

Relatiuum ad Microcosmum.

Meteora in Microcosmo tenebrosa à ventis collecta animataque sunt vel
- Aquea: Vide 2.
- Terrea: Vide 3.

SImili plane ratione meteora in Microcosmo aut opaca sunt dicenda, aut ignea. Nam vt in magno mundo videmus, terram esse tenebrarum quasi fontem & originem, vnde dictum est, Terræ loca tenebrosa sunt & plena crudelium & violentorum, Ita etiam de terra seu corpore humano dicitur, *Corpus infestum corruptioni aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit mentē multis curis plenam, Sap.*9.15, & alibi: *Corpus est lutea domus hominis interni, qui terreum habet fundamentum, Iob.*4.9. Et alibi, *ô terra ne tegas sanguinem meum, Iob.*16.18. & sapiens dicit, *quod corpus sit locus luctus, Eccles.*7. Et alibi dicitur. *Impius projcietur in tenebras vbi est luctus & stridor dentium*: Et alibi respectu corporis *homo dicitur puluis & cinis: Genes.*18.17. Porro etiam dictum reperimus, quod caro corruperit viam suam coram DEO super terram, & alibi in eodem, *violentiæ & concupiscentiæ omnis author caro, Genes.*6. & alibi *Homo caro, spiritus*

 vadens

vadens & non rediens, Psal. 77.39. Hoc idem etiam de humorum atque vaporum tenebris dici potest, in homine, quod in mundo maiore: Nam quicquid (teste Pico Mirandulano) loquitur Moses de tenebris, luce, cœlo, terra & elementis Macrocosmi, omne id de Microcosmo intelligi pôt. quippe qui de Macrocosmi cœlo atque terra conflatur. Vnde etiam sequitur, quod eadem sit meteororum vtriusque speciei procreandorum in Microcosmo quæ in Macrocosmo ratio atque possibilitas.

CAP. III.

Particula prima, De meteoris in Macrocosmo tenebrosis aqueis.

Meteora in Macrocosmo tenebrosa consistentiæ æqueæ sunt vel
- Tenuia & vaporosa vt
  - Halo.
  - Nebula.
  - Nubes.
- Grossa. Vide O.

Meteora tenebrosa consistentiæ aqueæ sunt substantia vel tenuiora vel spissiora. Ea vero meteora tenuiora vocamus, quæ sunt magis dilatata, molliora, minusque in suis partibus compacta, cuiusmodi sunt, quæ in media quasi via se habent in motu ab aere simplici & inuisibili, ad aquam communiter sumptam: Grossa vero appellamus ea, quæ vel aqua liquida sunt vel congelata, aut quæ terra sunt compacta, de quibus infra. Meteora vero aquea tenuioris consistentiæ sunt varii vaporum seu fumorum gradus, quorum vnus est altero densior seu ponderosior, vel aquæ, ad quam tendunt propinquior, cuiusmodi sunt Halo, Nebula, & Nubes, de quibus hoc in loco particularius agemus, inprimis explicando, qualis sit Aristotelis de huiusmodi meteororum ortu seu generatione opinio, ac tum postea, quomodo illa cum sacræ scripturæ testimonio vel consonet vel dissentiat. Aristoteles cum Peripateticorum residuo, definit Halonem esse circulum albicantem in extremis circumposito nigro, circa Solem aut Lunam, aut stellam luminosam apparentem, ex vapore humido, à terra & aquis exurgente, in nubeculam seu nubem tenuiorem condensato, quæ sub sydere circularem figuram efficit in oculis spectantium. Hic solet esse pluuiæ signum, si paulatim nigrescat, & crassior totus sit, at si frangatur cum ingenti rima ex vna parte, ventos portendit ab ea regione, qua primum aperitur & disrumpitur. Hæc illi. Agnoscit etiam Plinius circulum Halonis quandoque esse sanguinei coloris, propter nubis soli circumfusæ densitatem, *Plin. c.* 2. *l.* 30.

Nebula ex Peripateticorum sententia, est nubes quædam quasi sterilis, id est, sine pluuia, quæ superest ex vaporis è terra & aquis scaturientis residuo, quod non potuit eleuari satis in altum, vel in nubem condensari; vel sic: Nebula est vapor, calore solis, ab aquis & terra in altum protractus, at vero, quoniam calor solaris non est satis fortis ad vaporem istum in mediam aeris regionem eleuandum, vt à loci frigore in nubem cõtrahatur, sed ipsum post paruam condensationem permittit paulatim descendere in terram.

Nubes (quæ est quasi genus ad reliqua prædicta generalissimum) est vapor è terris, & aquis in mediam aeris regionem vi caloris solaris eleuatus, ibique in nubis consistentiam virtute frigoris extremi contractus & quasi congelatus, quæ postea partim calore solis partimque vi ventorum huc atque illuc per mediam aeris regionem pellitur.

Nubeculam denique definiunt esse exiguam nubem in ingentem magnitudinem vaporum successiue in altum volantium vnione seu appositione contractam, vnde commune prouerbium est, *parua ex nubecula sæpe magnam tempestatem oriri posse.*

In conclusione ergo hæc omnia meteora non modo in causa materiali sed etiam in forma externa discrepare videntur, vtpote quorum alia aliis sunt magis aut minus compacta, aliaque aliorum quantitate aut diminutiora, aut tenuiora. Quare & materia & forma vnius diligenti intuitu perquisitis illa etiam ex cæterorum luce clarius se patefacient, quippe quæ omnia sunt eiusdem naturæ & conditionis.

In cuiuslibet igitur istiusmodi meteororum conditionis definitione tria veniunt obseruatione digna: videlicet materia, locus, & causa efficiens.

Materiam tam halonis quam nebulæ & nubis eandem facit Aristoteles: videlicet vaporem humidum à terra & aqua, tanquam locis ipsius generationi appropriatis, scaturientem. At audiamus quid sacra pagina de huiusmodi nubeculæ & nubis origine narret, vt totius veritatis testimonio videamus,

deamus,an Aristoteles ille Ethnicus sit mendax aut veridicus necne; In ea ergo scriptum inuenimus, *Quod DEVS aptet pondus aeri, & appendat aquas in mensura, faciat pluuiæ statutum, & viam fulgetro tonitruum, Iob. 28.25.* Ex quibus ordo seu gradus in meteororum humidorum procreatione colligitur, & consequenter ipsorum materia originalis expiscari potest: ordo est huiusmodi. Ab aere scilicet ad nebulas, nubeculas & nubes, & de nubibus ad pluuiam, & denique ad fulgura. In huiusmodi ergo descriptione causa materialis primaria declaratur esse aer, qui paulatim in vaporosam nubeculam, & exinde in nubem confirmatam conspissatur, cuius penetratione eius anima ignea quandoq; se prodit, & calore eiusdem materia illa contracta in pluuiam redigitur. Atque hæc est progressio in natura à termino à quo, videlicet ab aere seu aqua inuisibili, in terminum ad quem, videlicet in aquam visibilem, mediante fumo, nebula, nubecula, vel nube, tanquam compositionibus seu imperfecte mixtis in medietate, inter transitum vnius elementi in aliud necessario concurrentibus, atque etiam in elementi aquei in aerem retrogressione necesse est, vt eadem media seu imperfecte mista intercedant: quemadmodum in conuersione aquæ, virtute ignea, in aerem, primum vapor grossus interponitur inter aqueam consistentiam & illam aeream, qui paulatim in conditionem aeream attenuatur. Concludimus ergo, quod materia generalis omnium nubis specierum sit aer, vbique per mundum sublunarem expansus, & non vapor ex terra & aquis terrestribus calore solari eleuatus, quod etiam ex diluuio Noe facilius colligi potest, in quo aqua supereminens terram quantitate & dimensione, ipsam terram longe superabat. Porro etiam quænam fuerint illæ cæli fenestræ, quæ ad illud diluuium efficiendum fuerunt apertæ, videtur Aristoteles per hanc suam definitionem ignorare, atque etiam hodierno die dubitant huius seculi Christiani de ista quæstione, neque tali dubio respondere possunt. At vero, si sacra scripta attento animo inspiciant, percipient quidem aquas potentialiter & more occulto vbique in aere delitescere, quæ & pro voluntate diuina reuelantur, atq; hoc modo aer seu cœlum arca DEI thesauraria aperitur, & fenestræ cœli patefieri dicuntur. Atque hoc confirmatur per huiusmodi Biblij sacri testimonium, *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo: Deut.* 28.12. Vbi per cœlos intelligit aera: quoniam nubes in aere procreantur, similiter aer cœlum dicitur in multis scripti sancti locis, Hinc dictum est, *Volatilia cœli, &c. Gen.* 1. Similiter alibi legimus: *Propterea aperti sunt thesauri & euolarunt nubes & nebulæ sicut aues. In magnitudine sua posuit nubes &c. Eccles.* 43.17. Sed & hoc verbis apertissimis videtur Iob confirmare qui dicit, *Cap.* 37.21. *At nunc non vident lucem; subito aer cogetur in nubes & ventus transiens fugabit eas.* In quo sermone lucide declarare videtur, non tantum nubes ab aere procreari, verum etiam quod agens in istiusmodi creatione aliquid, etiam anima eas mouens sit ventus: quod & infra latius. Ex quibus manifestum est, ipsum Aristotelem in materiæ Halonis, nebulæ, & nubis origine materiali deceptum, & in asseueratione illa sua incongruum esse, quippe qui nubium causam materialem à posteriori, hoc est, à terra & aqua densa deduxit, ac si quis diceret, creationem, à composito & re visibili existentiam suam potius accepisse retrogrediendo, quam à simplici & inuisibili progrediendo, quod etiam falsissimum esse testimonio Apostoli antea multoties citato docemur: qui nobis indicat visibilia originaliter fuisse prius ex inuisibilibus & non è contra: Nam si causa materialis nubium, vti lib. 7. Physicæ nostræ de Macrocosmo historiæ cap. 4. est declaratum, esset vapor ex terra & aquis terrestribus versus mediam aeris regionem calore solis exaltatus, sequeretur, nubes æstiuo tempore frequentiores fore quam hyemali, tum quia æstate sol suis radiis directioribus vapores ab aquis & terris facilius in altum sublimare animaduertitur, tum etiam quoniam tempore calidiori pori terrestres huiusmodi vapores euomentes sine impedimento aliquo frigoris viam per antiperistasin obstruentis, fumos egredi sinunt. Videmus enim iuxta Peripateticorum doctrinam aerem æstiuo tempore esse spississimum, propter assiduos vapores è terra & aqua exurgentes, imo stagna, fontes & flumina, aut penitus aut secundum magnam ipsorum partem subtiliatione in aeris substātiam conuerti dicunt: quemadmodum viceuersa in hyeme inspissatione cum grossior aeris pars frigoris virtute condensatur, aer in nebulosam substantiam primum, deinde in nubem ac denique in pluuiam seu aquam commutari obseruatur: Vnde fontes stagna & flumina, aeris in aquam mutatione implentur tempore hyemali, torrentesque exurgunt; atque hinc vniuersa terræ superficies, æstate exiccata, hyeme humida atque lubrica redditur. Hæc est ipsorum doctrina, licet nos ab hac eorum opinione experientia docti dissentire cogamur; vti infra, vbi de fontium generatione agitur, latius dicemus. Vnde euidens est, iuxta huiusmodi ipsorum doctrinam, non vaporem in mediam aeris regionem eleuatum immediate, sed ipsum aerem condensatum esse nubis substantiæ causam & originem materialem, & quod in hyeme nubes magis producantur quam in æstate, tum propter ventorum oppositorum flatum contrarium, tum quia frequentiores sunt ventorum Borealium flatus, quorum est congelare, vt infra plenius explicabitur. Quare sequitur, falsam & mendacem esse hanc definitionis Aristotelicæ portionem, tam respectu causæ nubis materialis, quam quia in loco vbi oritur materia illa decipitur ipse. Porro etiam certissimum est nubes (contra illam Peripateticorum assertionem) tam in regione aeris inferiori procreari, hyemali præsertim tempore, vtpote in quo infra montium cacumina mouere animaduertuntur & non longe à terra; imo vero

& nonnunquam, quando tonitrua in æstate fiunt, nubes arborum procerarum summitates quasi tangere obseruantur; quare liquet nubes non esse ex vapore è terra aquisue vi caloris solaris, in mediam aeris regionem eleuato, atque vi frigoris intensi loci illius condensato atque congelato, vti Ethnici illi volunt.

Tum postea ad causam nubes efficientem & procreantem pergit, quam dicit esse calorem solarem, cuius virtute vapor talis non modo ex terra & aqua sublimatur, verum etiam, & partim ab eo, partimque à ventis huc atque illuc mouetur, causam vero vaporem constringentem mediæ aeris regionis frigora facit; vnde ad nubis complementum duo videntur agentia, natura & conditione contraria, concurrere, calor nempe solaris, & frigus mediæ aeris regionis: Causam autem nubes mouentem internam nullam facit, ac si in sua natura deformis esset & inanimata. In hac ergo definitionis particula multa occurrunt subtiliter intuenti dubia resoluenda, primum est, An solis calor sit causa materiam nubis in mediam aeris regionem à partibus inferioribus eleuans ad nubis complementum? Secundum; An frigus mediæ aeris regionis sit causa inspissationis seu condensationis vaporum in compactam nubis substantiam? Tertium, An nubes à ventis & calore solis solummodo, tanquam interno principio destituta, moueatur nec ne, seu potius à spiritu interno animetur, & centraliter seu naturaliter moueatur? quibus siquidem ordine in hunc modum respondere aggredior.

Ad primum ergo dicimus, Calorem Solarem non multum ad nubium (ratione Aristotelica) productionem, aut ad materiæ ipsarum eleuationem, seu à terra & aqua sublimationem conducere, quod quidem ex his quæ antea sunt dicta sufficienter declaratum habetis; est enim spiritus quidam diuinus & incorruptibilis atque Deiformis, vbique per aerem expansus, quem sapientiam superius nuncupauimus. Hic quidem spiritus diuinus vniuersaliter perfusus omnia operatur in cœlis atq; in terris, atque hic est ille qui omnia disponit, atque in natura humida mundana tot arcana & miracula in dies præstare solet; de quo sic loquitur Iehoua, audaces mundi Philosophos & figmenta eorum deridens: *Quis saphireas nubes effecit sapientia? & vtres cœli quis prosternat*, *Iob*.28.37. Cui respondere videtur Aristoteles; (virtutem & efficaciam creatoris creaturis impudenter attribuens;) Calor solis cum frigore mediæ aeris regionis: Sed videamus parumper, An hoc bene vel potius erronice ab ipso sit prolatum. Fontis totius veritatis testimonio habemus, *quod DEVS aquas appendat in mensura, & ponat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus*: *Iob*.28.25. Non dicit, solis calorem nubibus suppeditare materiam aut ipsas mouere, nec de frigoris condensatione mentionem facit. Sed ipsum DEVM nubes appendere in aere; & viam ipsis facere, & pro placito suo huc atque illuc mouere verbo seu sapientia sua. Hoc etiam sapiens in his verbis confirmat, *Cum fortificaret Iehoua superiores nubes, cum roboraret fontes abyssi, cum imponeret mari statutum suum ego sapientia fui apud ipsum velut alumnus*, *Prou*.4.27. quo quidem sermone docemur; quod Iehoua sit author nubium, & sustentator ipsarum, mediante & assistente sapientia seu emanatione illa diuina, quæ etiam est indiuisibilis diuinitatis candor. Sic etiam Dauid agnoscit verbis expressis, *Ipsum Iehouam nubibus obtexisse cœlos, quæ comparet terræ, pluuiam quæ faciat vt proferant montes fœnum, & quod ipso emittente sermonem suum in terram, quam celerrime excurrat verbum eius, qui edit niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem dispergit*, *Psal*.147. At vero in his locis omnibus mentio nulla facta est, aut de solis calore aut de frigoris conditione, quippe quæ creaturæ sunt causæ instrumentales & non efficientes: Sed primum & principale agens ponit quod hæc mirabilia immediate operatur, videlicet DEVM, per verbum seu spiritum disciplinæ sanctum vbique præsentem, vbiq; ad voluntatem patris complendam tã occulte quam manifeste agentem, quare Ethnico more loquutus est Aristoteles, & Ethnicis cordibus prædicti ipsius sectatores Christiani, qui naturæ creatæ & minime creatori hæc omnia idque immediate ascribere nolunt, seu potius nesciunt. Nam cum cuncta à DEO ordinata, ab angelo isto magno, tanquam ministro DEI potentissimo & validissimo robore (vtpote ab eius ore primum ante omnia prodeunte *Eccl*.1.) ab anima hac mundi immensa, à fluxu hoc claritatis æternæ, omnia sua bonitate lucida implente, *Sap*.7. à verbo hoc diuino & sapientia DEI primogenita sint facta, & sine qua nihil, quippe quæ omnia tam imperfecte quam perfecte mista informat, *Ioan*.1. omniaque permeare entia ex officio solet, sequitur exinde errorem esse haud exiguum, & ignorantiæ flagello seueriter coercendum; præcipue iis qui Christianorum nomen sibi vsurpare volunt; ea creaturis attribuere quæ immediato creatoris actui attribuenda sunt. Imo quidem si quædam blasphemiæ non sit portio, est certe manifesta & apparens Idololatriæ species, Solem, Lunam, stellarum & elementorum effectus illis reuera, idque immediate à DEO prouenientibus, præponere. Quid enim aliud fecerunt illi qui soli, Lunæ, astris, & exercitui cœlesti sacrificia sua, debito Iehouæ DEI DEORVM cultu obliuioni mandato, præbuerunt?

Ad secundi dubii resolutionem quod attinet: Dicimus quod alia sit substantiæ seu consistentiæ nubis vaporosæ constringendi & componendi ratio, quam illa ab Aristotele prolata, videlicet quod sit à frigore mediæ aeris regionis; in capite autem prædicto quarto lib.7. Physicæ nostræ historiæ, veraciter modum & gradus in nubis procreatione, experientia oculari instructus expressi.

Experientia erat huiusmodi. Ego Venetiis versus Augustam Germaniæ inter montes & scopulos Alpinos iter faciens, in summitate scopuli cuiusdam immensæ altitudinis, quem radii solares strenue feriebant, nebulam subtilissimam primo & quasi vaporem vix visibilem ex anteriori illius parte apparere percepi, qui magis magisque se inspissando, & gradatim à vaporis vix visibilis ad nebulæ ac tandem in nubis consistentiam est redactus, anteriori montis seu scopuli fronti seu vertici adhærens, cæteræ vero scopuli atque etiam aeris circumstantis partes nubibus immunes, temporisque serenissimi vestibus quasi indutas, hoc est, radiis solaribus circumquaque splendentes prospexi. Huiusmodi igitur meteori subitanei apparitionis causam subito perquirendæ cum essem paulo curiosior, equo descendo, graminibusque abreptis & in aerem conspersis, ventum contra illud scopuli seu montis fastigii latus satis strenue flantem huiusce meteori aduentitij esse causam animaduerti, vtpote qui aerem tenuiorem suo flatu ante se depellens, illum taliter contra resistentem scopuli seu montis perpendiculariter erecti substantiam comprimebat, vt aer successiue propter duram scopuli resistentiam vlterius fugere nequiens retineretur, vniretur, & congregaretur, hoc est, partis aeris sequentes venti impetu protrusæ illis præcedentibus apponebantur, atque ita compressione huiusmodi gradatim atque paulatim in nubis densæ consistentiam euadebant atque transmutabantur; quam radij solares, scopuli verticem ferientes, tandem in guttas pluuiam inducentes dissoluebant; Ex quibus colligere possumus, substantiam nubis nihil esse aliud, quam aerem, in mediocri & inuisibili sua substantia in meteorum, gradatim magis magisque visibile appositione & compressione transmutatum. Sed obiiciet fortasse aliquis, nubes prouenire vbi montes & scopuli minime inueniuntur: Cui respondendum est, aeris condensationem simili compressione licet dissimilibus causis efficientibus produci, nam duo venti oppositi flantes, licet vnus propter suam inaere prædominationem alio sit fortior, aerem tenuiorem sæpissime comprimere atq; condensare solent in nubis cuiuslibet consistentiæ speciem: qui venti, si fortissime inter se agant & patiantur, similem producunt in aere strepitum illi quem duo flumina, violenter in eundem sinum vel abyssum motu contrario incidentia. At nonnulli replicabunt sine dubio, duos ventos minime eodem tempore flare: illud vetus Philosophorum minime sibi consistentium axioma futiliter reuoluendo; Quod omne magis contineat in se minus, & maior vis repellat & vincat minorem: At nihilominus videmus experientia docti, quod parua vis pro sua mole vi fortiori resistat, nec enim sua virtute ideo priuatur Candela, quippe solis lumine & claritati inferior, & ad oculum humanum in nihilum redacta. Memini enim me in naue mare sulcante, velis extensis & fortiori flante vento viam & iter versus Angliam, atque etiam Massiliâ Italiam versus facientem, vento prædominante & itineri nostro inseruiente, aliquantulum remissius spirante, viæ nostrę ventū oppositum vela retro agere obseruasse, quousq; iterum ventus ille nauigationi nostræ propitius illū nobis aduersum superando, nos tandē ad metam optatā fæliciter deuexit: interea igitur nubes varias in aere collectas, & pluuias quandoq; exsudantes percepi. Nonne etiam oculo vulgari apparens est, nubem fulgure armatā in vltimo Horizontis margine apparentem, contra venti illius Horizontis motum moueri? Vnde fit, vt ex duarū nubium opposite sic mouentium concursu tonitru & tempestas procreetur. Quemadmodum in dicto capitulo clarius ostenditur. Sed ne quis credat hæc à nobis futiliter atque mendaciter esse relata, sacri totius veritatis fontis testimonio hanc nostram assertionem sic statuminare aggrediemur: Nonne iussu diuino inuocauit Ezechiel spiritum, vt eodem tempore adueniret *à quatuor ventis cœli, ac insufflaret interfectos quo reuiuiscerent? Ezech.37.* Et Propheta Daniel dixit. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, Daniel.7.* Et in Zacharia habemus, *Isti quatuor equi sunt 4. Venti cœli, qui egrediuntur & stant coram dominatore omnis carnis, Zach.6.1.* Porro etiam in Ieremia habemus. *Et inducam super Elam quatuor ventos à quatuor plagis cœli, & ventilabo eos in omnes ventos istos, Ierem.49.36.* Ex quibus sat liquido constat, non ventum vnum atque alterum, verum etiam & omnibus quatuor simul datum quandoque esse eodem tempore flare, quibus nubes & tempestates, turbines & tonitrua, atque huiusmodi ad impiorum destructionem excitantur. Hoc etiam idem diuinus ille poeta Homerus in his carminibus arguere videtur, vbi per DEOS spiritus in aere luctantes (vti dixit Daniel) ac inter se pugnantes in mare aereo intelligens interpretatione sic canere videtur.

Tantus cœlesti rumor percrebuit aula
Cum sæva alterni ruerent in prælia diui
Neptunum contra bellabat Phœbus Apollo,
Aduersus Martem certabat Pallas Athene, &c.

Vbi per Neptunum ventum occidentalem qui est frigidus & humidus, per Phæbum ventum orientalem seu spiritum ipsi præsidentem arguere videtur; Similiter Ouidius certamen inter Boream & cæteros ventos huiusmodi versibus aperire gestit, loquendo in persona venti Borealis,

Idem ego quum fratres cœlo sum nactus aperto
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor,
Vt medius nostris concußibus insonet æther,
Exiliantq; cauis elisi nubibus ignes.

Vbi per fratres Auſtrum atque cæteros ventos cardinales intelligit, quibus in aere occurrens Boreas tempeſtates vtputa tonitrua, turbines, & huiuſmodi alia procelloſa exagitare ſolet. Quare minime eſt dubium duos pluresue ventos eadem tempeſtate, vel oppoſite vel tranſuerſaliter, in aere aperto flatus ſuos emittere, quorum compreſſione à ventis nubes in aere generantur ex aere, & à ventis huc atque illuc pelluntur vti antea declaratum eſt iuxta illud, *Iob.* 37. 21. ſubito aer cogitur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas. Quare ſequitur quod falſiſſima eſt illa Ariſtotelis aſſertio, videlicet vaporoſam nubis ſubſtantiam in nubem frigoris mediæ aeris regionis conſtrictione formari. Quod etiam & ex eo liquere poteſt, quoniam venti meridionales (qui præcipui ſunt nubium & pluuiarum parentes) admodum ſunt calidi, & conſequenter vapores ab ea plaga emiſſi, debent potius frigoris virtutem mediæ illius regionis obtundere, & per conſequens aut nullas aut tenuiores ſaltem nubes producere, quam venti cæteri: atque etiam Euri flatus qui ſunt calidiſſimi, quod tamen longe aliter habere ſe nos docet experientia, quippe illi venti aerem incraſſare, & nubes longe ſpiſſiores & madidiores, quam cæteri proferre notantur, imo vero hi venti medium aerem ita incraſſant, vt obiecta oculis grandiora facere ſoleant quam venti cæteri. Vt Iſidorus teſtatur.

Ad dubij vltimi reſolutionem vt jam perueniamus, videlicet, An nubes externo motu à ventis nempe & ſole, & ſuperficialiter, non ab interno aliquo principio præcipue huc atque illuc, hoc eſt, à centro moueantur? Cui dubio reſpondemus Halonem, nebulam, nubeculam atque nubem, (quæ omnia meteora neque materia neque forma interna differunt, ſed ſolummodo figura) ſuis principiis internis & à centro mouentibus gaudere, mediantibus quibus pro creatoris voluntate huc atque illuc mouent; nam cum ſpiritui mundano adſit ſpiritus ille diuinus (quem ſapientiam vocant) mediante quo mundus animatur, neceſſe eſt, vt anima illa lucida vbique ſit per aerem diſperſa, non aliter quam animam per minima in ſpiritum & corpus humanum expanſam eſſe obſeruamus videlicet in toto & in qualibet parte vt docent Philoſophi. Hinc igitur eſt, quod cum animæ iſtius lucidæ conditio ſit circa centrum cuiuslibet mixti verſari, & non in circumferentia (licet radios etiam ſuos à centro ad circumferentiam emittat, quomodo dicitur eſſe in toto & in qualibet parte) tota illius animæ mundanæ portio (ſi ipſam diuiſibilem eſſe fas ſit cogitare) quæ in aere ante ipſius contractionem eum informandi cauſa mouebat, iam in aeris in nubem conuerſi centrum ſeu meditullium ſe reflectit & contrahit, vbi ſpirat mediantibus angelis ſuis ſeu ſpiritibus, à ventorum plagis ad voluntatem ſpiritus iſtius incorruptibilis exequendam emiſſis, vbi vult, & huc atque illuc ſecundum voluntatem regis, in throno eius centrali inſidentis, vel ad beneficentiam vel ad maledictionem terræ & habitatorum ipſius. Quare ſpiritus hic æternus in tugurio ſuo nigro ſic voluntate ſua circumſeptus, partim virtute magnetica aerem à centro ad ſuam circumferentiam attrahit, partimque angeli, qui ſunt miniſtri eius ventoſi, vndique aerem ſpiraculis ſuis apponunt, quo ſubito & quaſi in momento tugurium creatori ſuo ædificent, quod pro imperatoris placito huc atque illuc vehere non deſiſtunt. Nonne etiam hoc idem luculenter à pagina ſancta in his expreſſis verbis depictum habemus? *Inclinauit cœlos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius, & aſcendit ſuper cherubin, & volauit, & lapſus eſt ſuper pennas venti. Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum, præ fulgore in conſpectu eius nubes accenſæ ſunt, &c.* 2. *Reg.* 22. 8. Et à Pſalmiſta ſcriptum habemus, *Nubes denſæ vehiculum ſeu currus* DEI, *qui itat ſuper alas venti*, *Pſal.* 104. & alibi dicit, *Nubem expandit Iehoua pro tegumento*, *Pſal.* 105. 39. Et in Iobo reperimus, *Nubes denſæ latibulum* DEI, *qui ambitum cœlorum obambulat.* Imo vero & ipſe Iehoua affirmauit *ſe habitare ſub caligine*, Nonne etiam dixit ſpiritus hic ſapientiæ, *Ex ore altiſsimi prodij, & tanquam nebula cooperui terram, thronus meus in columna nubis, rotunditatem cœlorum circumiui ſola, in profundo abyſsi ambulaui, &c. Eccleſiaſtici* 24. Eſt ergo hic ſpiritus incorruptibilis in nubis meditullio ſedens, qui dat terræ pluuiam quando vult, atque iterum cohibet pro placito ſuo, iuxta illud, *Aquas ita cohibet vt areſcant, & ita eas emittit vt ſubuertant terram, Iob.* 12. 15. Vel illud, *nubibus interdicam ne dimittant in terrā pluuiā*, *Ieſa.* 5. Et alibi, *Cæli ſuper caput erunt ænei, Deut.* 28. & alibi, *Iehoua ita accenſus eſt ira in vos, ita claudit cælos, vt non ſit pluuia, & terra non edat prouentum ſuum, Deut.* 11. 17. & alibi: *Nubibus denſis obtegit* DEVS *cœlos quæ compareant terræ pluuiam quo proferant montes fœnum, Pſal.* 147. 8. Hic inquam eſt ille diuinitatis ſpiritus, qui centraliter nubibus ineſt, ſed non incluſiue, vtpote qui vbique adeſt, vbi vult ſpirat, cuius gloria quandoque in fulgore ex eliſa nube ſe prodit, quandoque & nubem in ſua eſſentia inuiſibili huc atque illuc ducit, cuius voluntatem ſeu appetitum miniſtri eius ventoſi ſequuntur, quippe qui egrediuntur & ſtant coram dominatore totius terræ, vti teſtatur propheta, *Zachar.* 6. Hinc dictum eſt; fuit illis ſapientia tegumentum interdiu, hoc eſt, nubes ſeu nebula interdiu & lux ſtellaris nocte, nam vt ſapientia accipitur in angelica ſua natura, quatenus eſt alteritas, hoc eſt, ſpiritu creato induta, ita dicta eſt creatura ab Eccleſiaſtico, & Angelus Mitattron à Cabaliſtis, & α. & ω. & angelus ille magnus aſpectum ſolis habens, & 7. ſtellas in manu tenens, voceque inſtar murmuris aquarum ſeu ventorum loquens, cui 4. angeli ventis præſidentes obediebant, vt habetur in Apocal. & ille qui Iſraelitis anteiuit in quo nomen DEI inerat. At vero, vt in ſe ipſa conſideratur, dicta eſt candor maieſtatis diuinæ, emanatio ſeu fluxus lucis

æternæ,

æternæ,& ipſe DEVS,quare ſapientia reſpectu indumenti ſui angelici ſeu aeris contracti dici poteſt nebula,columna nubis,ſic etiam ſpiritus igneus,ſeu lux exiliens à nube ſeu tegumento Iehouæ, atque etiam fumus dicitur,è naribus & ore Iehouæ, hoc eſt,ex nube,qua (vt anima corpore) veſtitur. *Aſcendit*,inquit pagina ſacra,*fumus è naribus,ignis de ore eius volauit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo,tonabat de cœlo dominus,&c.2.Reg.22.* Hic ſpiritus eſt prima illa à patre emanatio,*Sap.*10.17. vbique præſens, qui eſt ſpiritus ſpirituum,quatenus ab eius aſpectu omnes ſpiritus qualeſcunq;, ſiue angelici ſiue alii informantur,& conſequenter,cui omnes ſpiritus mundani obedientiam præbent. Eſt ventus ventorum,quippe qui ſpirat vbi vult,& cuius mandata omnes venti, ab ipſius afflatu inſpirati, tanquam imperatoris primarij perficere geſtiunt. Nec quiſquam mente ſanus negare poteſt,eum ventorum principem eſſe,vtpote qui in ventoſa ſua natura Apoſtolis apparebat,cuius præſentia ſeu afflatu potentiſſimo ipſis datum eſt,non modo ventis creatis imperare,verum etiam maria tempeſtuoſa pacificare,veneni rabiem extinguere,morbos ſolo contactu aut dicto propulſare, & multa alia miracula ſtupenda ad exitum perducere.Hiſtoria autem in his verbis ſe dilatat, *Et factus eſt repente è cœlis ſonitus tanquam ruentis flatus,ſeu venti violenti,qui repleuit totam domum vbi erant ſedentes &c. Act.2. A flatu narium tuarum inquit Moyſes coaceruatæ ſunt aquæ,Exod.*15.Et alibi,*Flante DEO concreſcit gelu, & niues eduntur ſicut lana,Iob.*37. Hic erat ſpiritus ille,virtute cuius Elias nubem paruulam,ſicut volam manus, à mari exurgentem produxit: Vnde fuit ſtatim, vt cœli nubibus & vento virtute ſpiritus iſtius immenſæ fortitudinis in nubeculæ centro inſidentis, aeremque vndique ad ſe contrahentis obſcurarentur,1.*Reg.*18.de quo etiam ſpiritu ſic loquitur Salomon:*Sapientia eius abyſſi ruperunt ſeſe, & cœli diſtillant rorem:Prou.*3.20.

Concludimus ergo contra Ariſtotelis & cæterorum Ethnicorum doctrinam,quod neque terra aut aqua ſint meteororum aqueorum fontes, ſed ipſe aer ſeu cœlum, quod eſt arca DEI theſauraria, neque eſt mediæ aeris regionis frigus cauſa compreſſionis ſubſtantiæ vaporoſæ in ſubſtantiam nubis, ſed ſpiritus centralis in nube natans, qui pro placito ſuo, mediantibus miniſtris ſuis ventoſis, expandit nubem pro tegumento: quo ſub caligine habitet, nec à calore ſeu actu ſolari, ſed à luce diuina iis centraliter inſita, quæ tanquam imperator inſidet cherubinis, qui ſunt angeli aerei & ventoſi, & volat ſuper pennas ventorum, quos ſpiritus ille inſpirat ſuo afflatu primario, mediante quo mouentur & ſpirant vbi ipſa vult; Eſt (inquam) ſpiritus ſapientiæ, qui ſole longe nobilior, vtpote ſolis anima, & luce præſtantior, qui eſt præcipuus in huiuſmodi negotio actor,& non ſol aut vlla alia de exercitu cœli: eſt inquam ſpiritus creans,non creatus,qui eſt in meteororum motu actus primus,cui aſſiſtunt miniſtri eius angelici in mundo ſpirantes,ad placitum eius exequendum. Eſt (dico) ventus à centro nubis flans, qui originaliter flat,& non venti creati,qui mouentur ad motum ſpiraculi primarij, qui eſt ſpirituum princeps; vnde dixit ſpiritus hic loco antea allegato,*Ego ſapientia ex ore altiſſimi prodii, & tanquam nebula cooperui terram,thronus meus in columna nubis,rotunditatem cœlorum circuiui ſola,in profundo abyſſi ambulaui, &c.*Non dixit: rotunditatem cœlorum circuiui ventorum violentia impulſa, ſed voluntarie hoc præſtitit, & ex ſuo proprio velle,vtpote ad cuius nutum venti ſunt ſemper parati, nam ſola præſentia diuina, tanquam interno agente mouentur nubes,ac ipſa terra, quod etiam in his verbis confirmare videtur Dauid, *Aquæ videntes DEVM formidarunt, etiam commotæ ſunt abyſſi, exudarunt nubes aquas, & ſonos ediderunt ſuperiores nubes,Pſal.*77.17. Et alibi dictum eſt,*Iehoua emittente ſermonem ſuum in terram quam celerrime excurrit verbum eius,qui edit niuem ſicut lanam,Pſal.*147.15. Vnde patet, quod principium motus nubium ſit in meditullio nubis,in quo ſpiritus hic ſuum habet thronum, hoc eſt, à vento principe interno,& non ab externo agente, quamuis etiam & venti externi ſemper ſint parati mouere & ſpirare ſecundum ſpiritus vniuerſalis diſpoſitionem,ſed vt omnis Chriſtianus omne in huiuſmodi controuerſia dubium ſeponat,conſideret in primis verba diui Iohannis, videlicet, *quod verbo facta ſeu creata ſint omnia, & ſine eo nihil*: Cum ergo quæſtio iam eſt de nubium creatione quotidiana,indicetis nobis velim ſerio,an huiuſmodi meteori creatio ſit à verbo increato,vti ſacrum ſcriptum nos docet,vel à creaturis, Sole videlicet & frigore mediæ aeris regionis comprimente & conſtituente? quo modo inconſulte nubis conſtitutionis rationem ad accidens externum & non ad internum & centrale principium referetis? Si igitur cum Ethnico conueniamus,ſacræ paginæ doctrina eſt reſpuenda,atque ita falſitas pro veritate amplectenda.

Hic igitur apertis oculis videre licet, quam ſit illa Ethnicorum de nubibus doctrina inconſtans,quamque fragiles & cænoſæ eorum baſes,qui neglecto ſpiritu ſancto vbique centraliter mouente,meteororum motibus actus externos aſcribunt, & non principiis internis,vnde eas res plane contingenter & minime naturaliter aut ſupranaturaliter & diuinitus prouenientes facere videntur,imo vero creaturis falſo ea attribuunt,quæ proxime & immediate à creatore deriuari ſacra nos docet ſcriptura. At nihilominus Chriſtiani ipſorum diſcipuli adeo iſtiuſmodi illorum doctrinæ erroneæ viſco compacti ſunt atq; inuoluti,vt quæ ab iis prolata ſunt,pro oraculis diuinitus & è cælis quaſi emiſſis habere non hæſitent; Vnde fit,vt ipſi præſtigioſis iſtiuſmodi Ethnicorum figmentis intoxicati in nulla ſcientia,imo vero ne in theologia quidem ſacra recte verſari,aut DEVM in creaturis

turis

turis suis comprehendere queant, imo vero confidenter credunt, & audacter pronuntiare minime erubescunt: DEVM esse solummodo in cœlis, hoc est, in cœlo Empyræo, quod est super sphæram stellatam secundum essentiam suam: at vero in cæteris locis eum esse volunt nonnisi virtualiter. Quasi vero virtus diuina ab essentia seu spiritu diuino magis diuidi aut separari possit, quam radius solis à sole. At si paulo rectius atque accuratius rem considerare vellent, perciperent quidem DEVM secundum suam essentiam, hoc est, præsentialiter esse vbique, videlicet in terra, in mari, in aere, in cœlo, & in qualibet creatura, vti in sacra pagina latius & apertius legitur: Nam DEVS est in cœlo cælorum, hoc est, in tertio & intimo cœlo, vel in tertia & digniori tabernaculi regione, in sancto videlicet sanctorum: at vero DEVS vbique adest, in cœlo communiter intellecto, in inferno, in extremis maris, & in nocte, in tenebris, iuxta illud Psalmistæ, *Psal.* 139. 7. vel vt Moyses testatur, in cœlis superne & in terra inferne, *Deut.* 4. 39. Quare sequitur, quod cœlum etiam cælorum, quod est cælum mysticum sit vbique vtpote diuinitatis sedes. Nec quidem credendum est, Paulum in cælum mundi empyreum, hoc est, super omnes stellarum ordines fuisse raptum, sed quod ipse in terra manens fuerit in cælum tertium à terra minime distans in suo spiritu raptus atque sublimatus, in quo mirabilia, lingua minime proferenda vidisse se asseuerauit. Nonne fatetur sapiens, spiritum DEI incorruptibilem esse in omni re? *Sap.* 21. nonne etiam narrat alibi spiritum disciplinæ sanctum implere orbem terrarum? Et tamen isti porci, Christianorum tantummodo nomine, sed non virtute insigniti, sapientia Ethnica, quæ est mundana & Philosophia vana, incrassati nubium & cæterorum corporum meteorologicorum vitam, quæ in verbo est, teste Iohanne, auferre non dubitant. O vanitas vanitatum, quanta est hæc vanitas!

At si tandem dicant, quod si huiusmodi definitio Peripateticorum sit falsa & erronea, ostendas nobis Halonis nebulæ, ac nubis definitionem magis congruam & cum veritate consentientem.

Respondeo igitur, me pro captus mei exilitate, & id quidem non sine sacrorum scriptorum approbatione, rem quam quærunt perficere paratum esse, Sic igitur comiter exordiar.

CAP. IV.

In quo Halo ex sacrarum literarum testimonio, & nubes describuntur.

HAlo est aer inuisibilis, in nubis tenuioris & pellucidæ consistentiam, magnetica sapientiæ diuinæ, ei centraliter præsidentis, attractione, ministrorumq; ipsius ventosorum compressione coarctatus, per quam radii Lunares, Solares, Iouis seu Veneris, ad huiusmodi receptionem præparati & adaptati, circulariter penetrantes, coronam quasi seu varii coloris circulum in ea præfigurare solent. Vel sic:

Halo est directa & voluntaria spiritus sapientiæ incorruptibilis, thronum suum in nebulæ, tanquam tegumenti seu vestimenti sui vaporosi, meditullio habentis, ad huius vel illius creaturæ stellaris radios orbiculariter perfusos applicatio: seu periferica receptio.

In quibus quidem Halonis atque etiam aliarum eiusdem specierum definitionibus inprimis qualis sit materia eorum primaria intelligimus, videlicet aer inuisibilis. Hinc dictum est, (vt in præcedentibus relatum habetis) *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum, cœlos, dando pluuiam terræ tuæ, Deut.* 28. 12. Hoc est ex aere, qui est cœlum seu expansum, nubes cuiuslibet consistentiæ procreantur, ex quibus resolutione procreantur pluuiæ: Hinc etiam erat, quod Elias strepitum multitudinis pluuiæ audiuerit, priusquam vlla nubes appareret, 1. *Reg.* 18. 41. hoc est, motionem spirituum in aere inuisibilium, ventosorum sapientiæ ministrorum, quorum agitatione aer in nubeculam primo ad magnitudinem volæ manus hominis cogebatur, & tum incontinenter postea cæli ventis agitabantur, & nubibus obscurabantur, vnde necesse erat, vt venti præcederent nubium apparitionem, vtpote quæ ventorum flatu fuerunt congregandæ: nam ventus seu motio spirituum in aere incepit prius more strepitus, cuius agitatione nubecula procreata est, & deinde creuerunt venti, & nubecula illa in immensam magnitudinem est aucta. Hæc autem omnia facta sunt à sapientia, centraliter & primario in aeris prius inuisibilis, & tum postea in nubes contracti meditullio, tanquam suo throno delitescente, omnia pro placito perficiente, quod etiam generaliter confiteri videtur Psalmista sic loquens, *Opera tua sunt mirabilia & ampla quæ fecisti in sapientia, Psal.* 103. 24. Et Iob dicit, *DEVS sapientia sua aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum, Iob.* 28. 25. Hoc est sapientia diuina quandoque aerem conuertit in consistentiam vel Halonis, vel nebulæ, vel nubis, vel alicuius alterius meteori: Nam hic spiritus est vbique, licet inuisibiliter, in aere dispersus, ei loco formæ primariæ inseruiens. Nam vt humida mundi natura (quam aerem vniuersalem vocamus) est passiuum vniuersale primi-

tus creatum, ita lux æterna à Deo emanans, & ab eius quasi ore prodiens, est actus increatus, illum spiritum creatum seu passiuum informans, quod etiam in hoc confirmatur, quia teste pagina sancta, *Spiritu suo cœlos* (hoc est vniuersum aera) *ornauit, Iob.* 26.13. Hic autem spiritus est lux centralis, in luce inaccessibili inhabitans, Vnde scriptum est, *DEVS vestitur lumine tanquam vestimento.* Hæc autem lux cum suo vestimento quandoque apparens est, vti in fulgure & sole, quare, nonnunquam dicitur *ignis consumens, ignis DEI, &c.* Hic est igitur spiritus ille occultus, qui omnia facit in cœlis & in terris, in cuius potestate est (vti antea) thesaurum suum optimum cœlos pro placito aperire, hoc est, ex arca sua thesauraria nebulas, & nubes, & omnia alia meteora proferre. Vnde & alibi dictum est, *Ianuas cælorum aperuit depluens mannam, Psal.* 78.25. Concludimus igitur, aerem esse primam Halonis vt & cæterorum meteororum materiam, de qua latius in nebulæ & nubis descriptione: Sapientiam autem causam efficientem primariam, eius ministros secundariam, seu potius causas instrumentales, vti infra latius.

Quod ad Halonis consistentiam attinet, est in forma nebulæ diaphanæ, hoc est, per cuius substantiam vaporosam radii stellares facillime penetrare possunt: quæ quidem consistentia in densiori vel tenuiori mensura ei adhibetur, pro voluntate diuinæ sapientiæ in cuius potestate est *aptare pondus aeri, & appendere aquas seu vapores in mensura, Iob.* 28.25. vnde factum est, vt pro diuersitate quantitatis in densitate & tenuitate varios pro velle creatoris producere soleat effectus, quemadmodum in tractatu nostro de causa finali luculentius explicabitur. Necesse ergo est, quod consistentia istiusmodi meteori, non sit plane constitutionis aeris naturalis, vtpote qui est inuisibilis, & consequenter tales impressiones visibiliter recipere nequit, nec illius densæ nebulæ aut nubis, quoniam corpus stellare per huiusmodi corpora vix & ne vix quidem videri, & consequenter nec suam iconem coronalem in eam imprimere potuit, sed media potius inter caliginem corpoream & illam incorpoream, in qua aer inuisibilis redditur, & lumen non ita obscuritate obfuscat, vt non sit quid perspicuum, nec certe debet ista perspicuitas esse sine aliqua obscuritate, quia aliter speciei reflexio fieri nequit, & consequenter radiorum seu imaginis receptæ nulla erit impressio visibilis, quemadmodum in vitro clare, atque in ipso aere videre licet. Hinc recte dicit Algazel De natura speculi. *Quod stellæ orbis pars nulla visiuæ potentiæ obiecta, luminisque solis receptiua & retentiua sit præter eius partem densiorem, quam ipsam stellam appellamus, quia,* inquit, *ille orbis eius in aliis partibus, cum sit rarior lumen versus ipso proiecto non est lucidus, quoniam colori non subiicitur, quippe non est visibilis.* Quod etiam & Haten lib. 1. de aspectibus confirmare videtur dicens, illud visibile non esse quod colorem non habet, quoniam (inquit ille) res visibilis non est, nisi secundum lucem in re visa; lux enim visibilis coloratum tantummodo occupat. Hinc ergo liquet, substantiam Halonis debere esse nebulosam, & consistentiæ mediæ inter spiritum inuisibilem, & corpus omnino opacum, quo stellarum formas melius in se recipiat; vnde ait Albertus, quod corporum imagines facillime possint in aere humido exprimi, non aliter quam in speculo seu in speciebus eius: Vnde etiam traditur cuidam accidisse, vt propter visus sui debilitatem aer proximus in tempore humido ei loco speculi inseruiret, vtpote per quem radii perfecte penetrare non potuerunt, sed in parte reflectebantur, idem quod etiam in ægritudinibus perniciosissimis & periculosis, & febribus pestilentialibus affectis contingere solet, qui facies proprias in aere ob visiuæ facultatis debilitatem atque inopiam respicientes, dæmones & formas fædas se pauore percussi intueri existimant. Sed ad Nebulæ descriptionem accedam.

Cap. V.

De Nebulæ descriptione.

NEbula est aeris à naturali & inuisibili sua consistentia, in substantiam visibilem & spisse vaporosam, luce sapientiæ centraliter, hoc est, ab interno sibi vndique ipsum contrahente, suisque ventosis ministris ab externo flatibus contrariis leuiter comprimente, transmutatio:

Vel sic.

Nebula est primaria species meteororum tenebrosorum visibilium, ex primo aeris in vaporem contracti gradu, voluntate diuina centraliter & circumferenter operante, constituta atque procreata.

Vel sic:

Nebula est vaporosum sapientiæ Deiformis diuersorium, ex aere, magnetica domini illud centraliter inhabitantis attractione, & externa ventorum ipsius compressione conflatum atque contractum.

Est ergo Nebula de eadem materia, qua eius corpus: & ex eadem forma cum illa Halonis, sola differentia est in tenuitate & densitate, hoc est, in compositionis formula.

De materia autem huius, quamuis in præcedentibus satis abunde loquuti sumus, tamen ali-
quid restat hoc in loco explicandum, quod in præcedentibus plene non est demonstratum: Dixi-
mus ergo aerem esse immediatam originem primi meteororum gradus, videlicet vaporis, qui se
magis magisque inspissans, in nubis consistentiam redigitur, qui quidem spiritus inuisibilis est ille,
ex quo omnia visibilia sunt facta, iuxta illud multoties antea allegatum, *per fidem semper ita actum est*
cum mundo per verbum, vt ex iis quæ videri non poterant, fierent ea quæ possunt videri; Hebr. 11. Ac si diceret, ex
nihilo quasi videlicet spiritu imperceptibili aliquid, seu res sensui subiecta, creata est; sic mundus ex
nihilo, sicque creaturæ eiusdem ex re quasi minime, quo ad nostram exilem capacitatem, existente,
sed sola fide commemoranda productæ sunt: quæ res in potentia quasi mediante verbo seu spiritu
sapientiæ, quæ primum ante omnia effulsit, in actum quoad nos reducitur: Nonne etiam hoc idem
agnoscere videtur D. Paulus in his verbis; *Quæ ignobilia sunt in hoc mundo, & pro nihilo habita eligit Deus,*
& ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt aboleret, vt ne gloriaretur vlla caro coram eo, 1. *Corint.* 28. 29. Quibus arguere
videtur, res nullius valoris aut existentiæ quasi esse causam, mediante sapientia, tam existentiæ quam
illarum rerum abolitionis quæ existunt. Omnis enim generatio & regeneratio, omnisque cor-
ruptio, & à corruptione resurrectio est ab eo fonte inuisibili, mediante Christo illo, qui ab Aposto-
lo dicitur *DEI virtus & DEI sapientia*; vnde sequitur versu sequenti, *Christus Iesus factus est nobis sapientia*
à DEO, iustitiaque & sanctificatio & redemptio, 1. *Corinth.* 1. 23. Propterea & alibi dicit Apostolus, *Ex eo*
in eo & per eum sunt res omnes, ei sit laus & honor, vers. 36. Sed & hoc idem à Doctoribus mysticis & Ca-
balistis optime exprimitur. Nam Rabbi Bahir dicit, Quod nihil sit principium nisi sapientia: quæ
in tenebris seu inuisibiliter, seu in spiritu inuisibili contracta (iuxta illud Mercurii Trismegisti, Mo-
nas generat monadem & in seipsam reflexit ardorem (hoc est, sibi ipsi reluxit) otiosa quasi actione
destituta mansit, hoc est, respectum habens ad nihil, atque in tali ipsius statu ab Hebræis אין Ein
hoc est, nihil dicitur, seu non ens, & non finis, tam sterilis est apprehensio nostra, & tam exilis atque
impotens in obiectorum diuinorum contemplatione capacitas, vt ea quæ minime apparent, ac si o-
mnino non existerent iudicamus. At vero cum realiter in forma vel subsistentia aliqua apparet,
tunc dicunt Cabalistæ, quod *Aleph tenebrosum* in *Aleph lucidum* conuertatur, ac vt *Aleph* ab ipsis pro Dei
hieroglyphico vtpote vnitate & simplicitate habetur, sic etiam per illud tenebrosum, DEVM la-
tentem, vt per illud lucidum, DEVM patentem intelligunt; vnde etiam vocant Aleph lucidum
Beth, quod est secunda litera in Alphabetico Hebræorum ordine, vti Aleph est prima, quare si Beth
addatur literæ Aleph legitur AB, quod interpretatur pater, qui semper habet relationem ad filium,
vnde אב AB, denotat patrem omnis generationis, vbi Aleph est indicium patris, & Beth filij, à pa-
tre diuina emanatione procedentis. Atque hic ordo à Cabalistis æstimatur pro prima deductione
in diuinitate, & initio primordiali omnis alterationis, quam Moyses vocauit Bereschit, hoc est,
Principium, seu immediata emanatio lucis ab infinitudine, quæ est secunda Cabalistæ numeratio
Hochma seu sapientia dicta, cui nomen DEI beneuolum, IAH præsidet, mediante cuius DEI pro-
prietate omnia ex nihilo, hoc est, à materia incognita, seu inuisa, seu informi, facta sunt, iuxta illud sa-
pientiæ; *Manus omnipotentis mundum ex informi materia effecit* iuxta Pagnini interpretationem, vel, vt
Tremellius habet, *creauit mundum ex informi materia*, vel vt Hieronymus vult, *creauit orbem terrarum ex*
materia inuisa, Sap. 11. 18. Qui locus conuenit cum illo Apostoli ex Hebr. 11. citato, vbi inuenimus,
res visibiles, cuiusmodi sunt corpora omnia, esse ex re inuisibili seu inuisa, seu informi, seu incogni-
ta, videlicet à spiritu mundano, qui cœli & aer dicitur, eum à rebus corporeis visibilibus & terre-
stris compositionis distinguendo: Hinc dictum est, *Aperiet Iehoua thesaurum suum optimum, cœlos, dan-*
do pluuiam terræ; non dicit aperiet thesaurum suum terras & aquas, vt Aristoteles vult; Sed cœlos: atq;
hoc mediante sapientia sua. Nonne etiam inter vaporem terræ & nubem cæli differentiam facit
Moyses, vbi dicit, *Non enim pluuiam dimiserat super terram Iehoua, aut vapor vllus ascenderat à terra, vt irriga-*
ret superficiem terræ, Genes. 2. v. 5. 6. Porro dictum est; *peruenisti in thesauros niuis? aut in thesauros grandinis*
inspectionem habes? Iob. 38. 22. Et alibi, *Depromit ventum è thesauris suis, Psal.* 148. & alibi, *Ianuas cœlorum &*
quasi aeris aperuit, depluens mannam &c. Vnde locus in genere elicitur ex sacræ scripturæ verbis. At ve-
ro, quidnam sit illud, quod in istius arcæ DEI thesaurariæ inuisibilis reconditis inclusum est, supra
captum hominis communis est intelligere, præterquam, quod in potestate sit diuinæ sapientiæ, res
in ea arcana modo reseruatas & occultas, in suo beneplacito detegere atque reuelare, seminaria
(inquam) in aere abscondita, & in sola potentia, quo ad nos, in actum visibilem producere. nam
mediante verbo omnia mirabiliter ex nihilo quasi sunt creata, iuxta illud Dauidis regis: *Opera DEI*
mirabilia & ampla, quæ omnia fecisti in sapientia, Psal. 103. 24. Et alibi, Recordemini (inquit) mirabilium
eius quæ fecit, prodigiorum eius & iudiciorum oris eius: *Psal.* 105. 5. Hinc dicitur, *Auribus percipe illud*
Iob, consiste & considera mirabilia DEI fortis, nostine cum disponit DEVS de illis, cum splendeat lux nubis suæ? no-
stine de libramentis densæ nubis mirabilia DEI perfecti scientiis? An expanderes cum eo cœlos iunctos superioribus
nubibus firmos, vt speculum fusum? Quænam est via qua in partes dissilit lux, cuius vtero egressa est glacies? aut
pruinam cœli quis genuit? qua nam via itur vbi habitat lux? & tenebrarum vbi est locus? Iob. 38. At vero, Peri-
patetici vano more hæc omnia se scire gloriantur, Et tamen nihilominus omnium sapientissimus sic
loqui-

loquitur. *Animaduerti totum opus DEI non posse hominem assequi illud opus, quod sit sub sole, quam laboriose ho-
mo quærat, non tamen assequuturum esse, quin etiam si cogitet sapientissimus cognoscere, non tamen posse assequi,
Eccles. 9.2.* Per quod intelligit Salomon de hominis conamine, per se sine sapientiæ diuinæ assequu-
tione, quod quidem alibi sic verificare videtur, *Quis hominum cognoscat consilium DEI, nam ratiocinatio-
nes mortalium sunt timidæ, & instabiles cogitationes eorum, Sap. 9. Infestum enim corruptioni corpus aggrauat ani-
mam, & deprimit terrena habitatio mentem plenam curis multis, Et vix conijcimus ea quæ in terra sunt, quæ autem
in cœlis sunt quis inuestigauit, & consilium tuum quis nouerit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris sanctum spiri-
tum tuum è locis altissimis, sic enim correctæ sunt eorum qui in terra versantur semitæ, itaq; sapientia fuerunt serua-
ti.* Hæc ille, Ex quibus euidens est, quod sapientia humana seu mundana vana sit; quare vt à vana
Ethnicorum Philosophia caueamus docet Apostolus, & vt fontem totius veritatis sedulo intro-
spiciamus. Et à Propheta Baruch docemur, minime de ferendum esse totius sapientiæ fontem, vt
in regionibus extraneis, hoc est, ab Ethnicis, artem quæramus & scientiam atque intellectum, vti
faciebant Agareni, & qui erant in Theman, Baruch. 3. quippe qui viam veræ sapientiæ nunquam
agnouerunt, sapientia ergo prius est acquirenda, atque tunc per ipsam omnia intelligemus. *Quærite*
(inquit Christus) *regnum DEI & cætera adijcientur vobis.* Hinc ergo fatetur Salomon, fruitione sapi-
entiæ se peruenisse ad certam cognitionem constitutionis mundi & virium elementorum &
principii, finis atque medii temporum, solstitiorum mutationum, & varietatum temporum atque
tempestatum, Anni circuituum, & stellarum situum, & naturarum animantium, & ira-
rum bestiarum, & virium ventorum, & cogitationum hominum, & differentiarum plantarum,
& radicum difficultatum, & ad intellectum rerum omnium tam occultarum quam manifestarum,
Sap. 7.17. Quo quidem videre liceat quod licet spiritus humanus per se meteororum mysteria eli-
cere nequeat, mysteriaque diuina perscrutari nesciat, tamen hoc omne præstare posse hominem in
lumine sapientiæ, sed ad propositum redeamus.

Quod nebulæ materia sit aer, in vaporem densum condensatus, ex præcedentibus liquet; Et
quamuis aliquis obijcere possit, quod vapor ex terræ superficie exiliens sit nebulæ causa: tamen in
superioribus à nobis declaratum est, ipsam terram aere non aliter necessario repletam esse quam
hominem siue aliquod aliud corpus, siue animale, siue minerale, siue vegetabile, quem assidue per
poros suos more animalis vel vegetabilis ad sustentationem sui inspirat; est enim in aere occultus
cuiuslibet creaturæ cibus & alimentum spirituale, Hic etiam quandoque operante sapientia cum
suis ministris in terra: (*spiritus enim disciplinæ implet orbem terrarum, & spiritus DEI incorruptibilis est in om-
ni re Sap. 1. & Sap. 12. 1.*) in terra per varios condensationis gradus, fumos, vapores, nubes & aquas
quandoque procreare cernitur. *Nam sapientia aptat pondus aeri pro appetitu suo & appendit aquas in men-
sura, tam in terra, quam in cœlo, Iob. 28. 25.* Vnde & meteoris suis omnibus fruitur terra, at-
que etiam corpus humanum, non aliter quam cœlum Macrocosmicum, vtpote in quibus adest
aer, qui homogeneus est cum aere mundano, vti plenius in præcedentibus à nobis disputatum est.
Hinc ergo discernimus, aliam esse nebulæ speciem, præter illam e lacubus & fluminibus atque et-
iam vallibus exurgentem, videlicet quæ subito ex aeris vniuersalis coagulatione more mirabili &
occulto operante sapientia fit, quæ vniuersam infimi aeris regionem implet. Hinc in fonte sacro
scribitur. *Ex ore altissimi prodij, & tanquam nebula cooperui terram, Ego in excelsis locis tentorium habui, & fu-
it thronus meus in columna nubis, rotunditatem cœlorum circuiui sola, & in profunditatem abyssi ambulaui, in flu-
ctu maris, atque in tota terra, & in omni populo ac terra acquieui, Ecclesiast. 24. 3.* Porro etiam sapi-
entia, quæ nubem fecit tabernaculum suum, (non aliter quam corpus pro animæ tabernacu-
lo habetur, vnde homo accipitur pro anima & corpore, & in sacra pagina quandoque anima vi-
uens pro toto composito sumitur,) quandoque nubes nuncupatur. Vnde dicitur, *sapientia erat Israeli-
tis tegumentum,* (hoc est nubis columna) *& lux stellaris nocte, Sap. 10.17.* At in Psalmis dicitur, *Quod Deus
deduxerit Israelitas nube interdiu & per totem noctem lucente igne, Psal. 73.15.* Et in Exodo. *DEVS præcedebat
Israelitas in columna nubis interdiu, Exod. 13. 21.* Et tamen dixit DEVS, *Ego mitto angelum meum ante te: caue
tibi à facie eius, & ausculta voci eius, quia non feret defectionem tuam, quia nomen meum est in eo, Exod. 23. 20.*
Hoc est virtus mea essentialis. Dicunt ergo in mysteriis angelicis versati, angelum ex aere & luce
ignea conflari, vnde & dualitas dicitur, vtpote ad cuius cōpositionem concurrunt, spiritus creatus,
qui est eius externū ei loco corporis inseruiens, & lux increata, quæ est eius internū, & loco mentis
se habet; vnde respectu sui externi in eodem capite angelus seu creatura, at vero ratione ad eius in-
ternum centrale habita ibidem vocatur Iehoua. Hic angelus ergo à Cabalistis Metattron, à Plato-
nistis Anima mundi vocatus erat illa sapientia ab ore patris prodiens: quæ quidem emanatio in-
creata, quatenus cum spiritu mundano erat mixta, creatura dicitur. Verba sunt huiusmodi. *Sapien-
tiam creauit creator ante seculum in principio, & in secula minime defectura est, in tentorio Sancto coram illo mini-
strat, Eccles. 24. 10.* At vero, hæc emanatio in sua simplicitate dicitur creator, & verbum; vnde dixit
D. Ioannes, *verbo omnia facta sunt, & sine eo nihil factum est, in eo enim est vita.* Atque hæc est ratio, quod
diuinus Plato illud haud inconsulte animam seu vitam mundi nuncupauit, & Psalmista regius, *Psal.
33. Verbo Domini firmati sunt cœli & spiritu ab ore eius omnis virtus illorum. Ex eo in eo & per eum sunt res omnes,*

ei sit laus & honor, vti testatur D. Paulus. Hic (inquam) spiritus administrantibus angelis, ex thesauro suo optimo, cælis, seu arca sua thesauraria, aere, extrahit materiam nebulæ vel densiorem vel tenuiorem, pro suo beneplacito, illamque expandit pro tegumento, iuxta illud Psalmistæ regii. *Nubem expandit DEVS pro tegumento, Psal.* 105.39. *Et tanquam nebula cooperit terram: Eccl.* 24.10. Et alibi. *Sub nubibus continet superficiem solij, expandit ad illud nubem suam, Iob.* 26.9. Et alibi, *Ego sapientia in excelsis locis tentorium habui, & fuit thronus meus in columna nubis, Eccles.* 24.3. Concludimus ergo, quod vt lux increata in angelo (quæ erat essentiale Iehouæ Nomen, quod erat in angelo) erat punctus in compositione angelica centralis, & primus motor in illa, (vnde dicta est sapientia omnia facere pro beneplacito patris) quæque est anima seu mens ad eius externum, ita quidem hic spiritus DEI bonus & incorruptibilis, sit motor & actor internus nubis & cuiuslibet meteori, id quocunque vult dirigens; vnde dicit Iob, *Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis tendit, ad omne quod præceperat illis super faciem orbis terrarũ, Iob.* 37.12. siue ad flagellũ siue ad faciendam beneficẽtiã & misericordiam. Deniq; nebula est nihil aliud, nisi nubes mediocris consistentiæ, inter substantiam vaporosam Halonis, atq; illam nubis densæ; Ad nubis ergo densæ descriptionem jam peruenimus.

Cap. VI.

De Christiana nubis descriptione.

NVbes est aer, in vaporis densi seu nebulosæ gradum prius, atque ab illo paulatim in spissiorem atque obscuriorem consistentiam, duorum ventorum, siue oppositorum, siue transuersalium flatibus, DEO sic volente, & centraliter ad suam voluntatem complendam operante, compressus atque condensatus. Vel sic:

Nubes est spiritus mundani in arca DEI thesauraria, hoc est, in eius cœlis occultati sapientia diuina centraliter operante, ministrisque eius ventosis extrinsecus DEI nutu comprimentibus, reuelatio: hoc est in cumulum nebulosum flatu diuino coaceruatio, quam Iehoua pro tegumento suo expandit, & pro tugurio seu vehiculo ad voluntatem suam tam in cælis quam in terris complendam habet. Vel sic:

Nubes est vaporosa atq; densa aeris congeries, quam sapientia diuina vbiq; per mundi spiritum expansa, ex nihilo quasi fecit, hoc est, ex inuiso & incognito aeris sacrario seu arca thesauraria, ad suam voluntatem, tam in cælis quam terris exequendam, in lucem vulgarem produxit, & publice mundo reuelauit.

In huiusmodi ergo definitionibus, seu potius descriptionibus, habemus causam materialem: videlicet densam & vaporosam aeris congeriem, seu cumulum nebulosum, in qua etiam & causa formalis depingitur: habemus etiam causam eius efficientem, tam centralem, primitus suo velle agentem, videlicet Sapientiam diuinam, quam externam & superficialem, videlicet ministros sapientiæ, comprimentes & mouentes. Habemus & minieram, seu arcam thesaurariam, ex qua materia compositionis elicitur, videlicet cælos, qui sunt thesaurus DEI: Denique causa finalis in loco vltimo exprimitur, effectus nempe voluntatis creatoris, siue salubres & ad clementiam inclinantes, siue insalubres, destructiui, & ad seueritatis diuinæ proprietatem tendentes.

Ad primam ergo definitionis nostræ partem defendendam, habemus paginæ sanctæ testimonia nonnulla, vtpote in qua inuenimus, quod *DEVS sapientia sua aptet pondus aeri, & appendat aquas in mensura, faciat pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum, Iob.* 28.25. hoc est, secundum voluntatem & ordinationem spiritus diuini, aer mutatur à statu seu pondere leuiori in densius, seu grauius, cuius quidem mutationis gradus in sequentibus explicantur, videlicet ad nubes, quas aquas vocat, & à nubibus ad pluuiam seu aquam vulgarem, fulgura autem facit internam nubis lucem formalem quæ non reuelatur nisi dissolutione compositi, hoc est, tenebrarum ablatione, quod fit mediante ventorum flatu: vnde dicitur, *simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, Psal.* 147.18. hoc est pluit, vel dissoluuntur niues, & nubes, & glacies, Et alibi, *Iam non respiciunt homines lucem cum nitida est in superioribus nubibus, quas ventus transiens purgauit, hoc est, ab aquis seu nubibus densis separauit, Iob.* 37.20.

Causa etiam nubis in definitione efficiens, authoritate fontis totius veritatis confirmatur, in quo scriptum est, *appendit DEVS aquas, hoc est, nubes in mensura, Iob.* 28. Et aliter ibidem, *Quis sapphirinas effecit nubes sapientia.* Et alibi, *Nubibus densis obtegit Deus cœlos, Psal.* 147.8. Et alibi. *Deus expandit nubem pro tegumento, Psal.* 105.39.

Miniera autem seu arca thesauraria, ex qua materia nubis elicitur, exprimitur in hoc Biblij sancti loco, *Aperiet Iehoua thesaurum suum optimum cœlos,* (seu aera) *dando pluuiam terræ tuæ suo tempore, &c. Deut.* 28. Vt etiam de ventorum miniera dicitur, *De promit ventum è thesauris suis, Psal.* 135.6. Et de illa niuium & grandinum dicitur, *Peruenistine in thesaurum niuis? & in thesaurum grandinis inspectionem habes?* Horum autem omnium promptuarium seu myrothecium sacrarium est vnicum, in quo generalis mundi materia primordialiter erat extracta, videlicet spiritus seu Mercurius mundi vniuersalis, qui imperante Deo, & assistente eius sapientia more Prothei, est in speciem quamlibet transmutabilis; vnde à

Philo-

Philosopho verè Christiano definitur hic spiritus generaliter sumptus, & sapientię virtute præditus esse natura infinita, ex similib. similia procreans, res cũctas generans augensq;, rerum omniũ nomina in se habens, vtpote qui animal est à natura, lapis, lignum, arbor, & omniũ quæ videntur corpora, tam imperfecte quam perfecte mista, sunt ab huiusmodi spiritu sapientia diuina animata, eiusq; retinaculo stabilita: Est ligamentum elementorum, virtusq; commiscendi, quæ mediante sua anima centrali in qualibet huius mundi re, elementorum mixtiones efficit, formamq; suæ speciei congruã imprimit, per quam ea res a quauis alia re distinguitur & segregatur: nec tamen est huiusmodi natura occulta alicuius coloris, omnium tamen colorum particeps & effectrix, nullius etiam ponderis & qualitatis, omnium deniq; ponderum & qualitatũ, rerumq; fæcunda genitrix. Hinc ergo erat, quod Anaximenes aerem rerum omnium causam esse audacter asseuerauit, atq; Anaximander ipsum pro Deo vtpote primo rerum omnium authore haberi voluit. At iste vir bonus emanationis diuinæ & deiformis vehiculum & receptaculum, spiritum istum vniuersalem esse minime animaduertebat, ad cuius nutum spiritus hic in hanc vel illam speciẽ transformari solet. Quare more Ethnico & Idololatrarum, circumferentiam respiciendo, & centrum ignorando, creaturam loco creatoris insipienter habuit, & corpori externo vice animæ internæ cultum diuinum erroneè præbuit. Finalis deniq; causa in definitionibus nostris proposita, literarum etiam sanctarum authoritate statuminatur. Nam in iis legimus, *pro irrigatione fatigat densam nubem, & dispergit lucem nubis suæ, quodcunque præcipit illis faciendum in terra siue ad flagellum, siue ad faciendam beneficentiam efficit, vt præsto sit, Iob. 37. 40.* Et in Propheta Baruch legimus. *Cum nubibus mandatum est à Deo vt obeant totum orbem habitabilem, perficiunt quod imperatum est, Baruch. 6. 60.*

At vero aliquis procul dubio, imo vero & quam plurimi Deum atq; eius sapientiam non semper, sed quandoq; idq; more prodigioso atq; miraculoso in nubibus, nebulis & aliis meteoris infuisse, nunc vero temporis (cessantibus omnib. miraculis) imo vero & in ipsis illis temporibus, à mundi origine ad mundi saluatoris natiuitatem, Deum aut diuinitatẽ nubibus non nisi more extraordinario infuisse obiicient. & aliis tempestatibus nubes ordine & dispositione naturæ esse procreatas, & naturali progressu effectus suos fructiferos produxisse.

Quibus certe respondemus in primo loco, quod miracula (vtcunq; nonnulli aperto ore blaterare, & profano spiritu ea cessasse perhibere soleant) tam diu in efficacia sua manebunt, quam diu Deus miraculorum author virtutem agendi in hoc mundo habebit, verbum enim Dei (mediante quo miracula omnia perficiuntur) in suo vigore permanebit in æternum: Sed legant isti infideles, qui miraculis finem imponere sunt ausi, legant (inquam) prophetas, interq; illos Ioelem inprimis, legãt Apocalypsin ac tum postea videamus, qua fronte aut quali audacia tanti momenti errorem defendere audeant. At inquisitionem magis peculiarem in sacro scripto jam faciamus, quo perspicuius appareat, an Deus immediate per sapientiam suam ad nubium & cæterorum meteororum productionem agat nec ne? Inuenimus ergo loco antea citato: *Quod Deus aperit thesaurum suum optimum cœlos, ad dandam pluuiam terræ suo tempore, & benedicendo cuique operi manus iusti, Deut. 28. 12.* Et alibi dicitur, *quod nubibus densis, obtegit Deus cœlos, quæ comparent terræ pluuiam, quæ faciat vt proferant montes fœnum, & dent iumentis cibum*, Et alibi, *sapientia eius abyssi ruperunt sese, & cœli stillant rorem. Prou. 3. 20.* Et alibi, *Aquas ita cohibet Deus vt arescant, & ita emittit eas vt subuertant terram, Iob. 12. 15.* Et alibi. *Qui dat niuem sicut lanam, & nebulam sicut cinerem dispergit, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Ps. 147. 5.* Et alibi. *Ligat aquas in densis nubibus suis, adeo vt non fundatur nubes sub iis. continet superficiem solij, expandit ad illud nubem suam, Iob. 26. 9.* qui loci non intelligendi sunt de rebus miraculosis, sed quatenus Deus agit communiter per sapientiam suam ad nubium in hoc mundo productionem. Vnde alibi, *Quis sapphiricas nubes effecit sapientia? & vtres cœli quis prosternit? Iob. 38. 37.* Cui quæstioni alibi sic respondetur. *Deus sapientia sua aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta. &c.* Et alibi super hoc quærit, *Nostine de libramentis densæ nubis mirabilia Dei perfecti scientiis? Iob. 37.* Ex quibus locis sat liquido explicatur, hæc omnia mirabilia non centraliter à natura vlla creata prouenire, sed à creatoris magni sapientia ab origine fuisse, & quotidie in tempore præsente esse, & in futurum vsq; ad vltimum Pereat fore facta atq; procreata: iuxta illud Psalmistæ regii, *Opera tua mirabilia & ampla sunt quæ fecisti in sapientia, Psal. 103. 24.* Et alibi, *Ne iota verbi Dei cadet in terram.* Nec quidem mirum est, hæc atq; alia omnia in sapientia hac diuina esse effecta, vtpote cuius spiritu, omni re efficaciori, animatur & viuificatur spiritus ille mundanus, sine cuius præsentia in nihilum euanesceret, in quo statu erat ante mundi creationem: At vero hic *verbi domini præsentia manebit in æternum.* Hinc dicitur, *spiritu suo ornauit*, hoc est, *decore formauit cœlos, &c. Iob. 26. 13.* Concludimus ergo impossibile esse, quod aliquod meteoron, siue sit visibile siue inuisibile, possit sine creatoris præsentia atq; assistentia procreari, quippe qui à centro principaliter & primario agit in hoc mundo; nam incorruptibilis Dei spiritus (teste sapiente) est in omni re *Sap. 12. 1.* & consequenter in meteoris, quæ sunt rerum spermata: qui spiritus definitur ab illo alibi esse spiritus scilicet omnem in se habens virtutem, omnes spiritus intelligibiles capiens: *Sap. 9.* vtpote omnibus mobilibus mobilior, & vbique propter munditiam suam attingens, quatenus est vapor virtutis DEI, seu emanatio claritatis omnipotentis DEI syncera, & candor lucis æternæ, & speculum sine macula

DEI maiestatis omnia potens, omniaque innouans, quatenus in seipso permanens: Quomodo autem & qua ratione magis particulariter agat hic spiritus, ad nubis cuiuslibet consistentiæ productionem luculenter tractatu nostro de Causis meteororum finalibus disceptabimus.

Cap. VII.

De nubium differentia, tam secundum Philosophorum, Ethnicorum, atque Christianorum ipsorum sectatorum quam literarum sanctarum testimonium.

QVi in Philosophia Aristotelica fuerunt versati, permultas posuerunt nubium differentias: Vtpote quarum alias ab aliis generali differentia inprimis discrepare fecerunt, videl. substantia & quantitate: deinde horum membrorum quodlibet in suas diuiserunt species: Nam earum substantiam in densam ac raram distribuerunt, quatenus ex ea nubes densæ & spissæ atque tenues & subtiles in & ex medio spirituali mundi infimi procreantur: quarũ illas ex multis & grossis fumis terrestribus, has vero à vapore subtiliori & minime denso, comparatas & conflatas esse volunt: in qua quidem ipsorum opinione, quoad nubium in densitate & tenuitate differentiam, minime errauerunt, vtpote experientia vulgari in varia nubium consistentia versati: At vero quod densitatis nubium causa materialis sit grossus & terrestris fumus, in eo omnimodo decipiuntur, quoniam eius cõsistentia, tam in raritate quam in densitate, est aer homogeneus, aut maiori aut minori mole accumulatus, & ordine compactiori constrictus. Nonne enim videmus aquam plunialem nubis nigerrimæ & densissimæ, eiusdem esse homogeneitatis & limpiditatis, cum illa nubis tenuioris, & albicantis, quare terrea fumi dispositio non est in causa densitatis aut caliginis nubis, sed densitas ipsius aeris, seu potius consistentiæ ipsius vaporosæ in massam profundam congregatio; nam in nebula videmus materiam nebulæ esse eandem, videlicet aerem condensatum: sed diuersitas ipsius est in compositionis ipsius profunditate atque compacta vnione. Sed pergamus. Nubes secundum qualitatem coloratam etiam distinguere solebant; vnde nubes nigras à fumo terrestri ortas dixere, vel de reserrato & compacto. Nos fatemur eas ab aere fortiter & profunde inspissato ortas, illas vero rubescentes vel flauescentes cum nigredine, partim à lumine stellari seu exhalatione ignea, partimque à fumo spisso & terrestri ortas dixerunt: nos vero à vario ventorum spiritu aerem simul atque seminaria luminosa seu ignea vndiq; per aerem expansa comprimente eas esse factas affirmamus, sine vlla ex terra exhalatione: Porro illi rubras eas cum nigredine viridescentes, ex exhalationibus cum vapore spisso & copioso, simul atque magna aquarum atque humiditatum quantitate procreatas dicunt: nos vero illas genitas asserimus ex vapore seu aere vario, secundum variam ventorum ex diuersis mundi quartis ad ipsarum procreationem flantium, in vnam massam congregato. Hinc enim videmus quod venti oppositi nubes & fulgura varii coloris producere soleant: Denique nubes albas à vaporis paucitate factas esse dicunt, vnde fit, vt præter tenuitatem subiecti lux stellaris facillime penetret massam, illamque candidam efficiat.

Habent etiam & aliam nubium differentiam, quippe quarum alias faciunt vacuas & quasi inanes, eas scilicet, quæ per cœlum ad instar floccorum lanæ disperguntur, quas Aristotelici magis ex exhalationibus calidis & siccis, quam vaporibus humidis seu madore perfusis conflatas esse volunt. Nos vero cum sacris literis nubes luminosas à vento prætereunte à liquida sua substantia expurgatas dicimus, Nam de his sic loquitur pagina sancta, *Iam vero non respiciunt homines lucem, cum nitida est in superioribus nubibus, quas ventus transiens purgauit. Iob. 37. 38.* Ex quo etiam loco refutatur illa Aristotelis de ventis opinio superius allata, videlicet quod materia ventorum, quam exhalationem vocat, non penetret mediam aeris regionem: at vero huiusmodi testimonio videtur in suprema medii aeris regione spirare, ibi nimirum, vbi nubes superiores positiones suas habent. Alias vero aquis exuberantes, illas nempe quæ in pluuiosam materiam dissoluuntur. Sed nos Biblij sancti vestigiis inhærentes nubes diuidimus inprimis à diuersa ipsarum positione in superiores & inferiores; vnde dictum est. *Non respiciunt homines lucem cum nitida est in superioribus nubibus. Iob. 37. 38.* Et alibi, *sonum ediderunt superiores nubes, Psal. 77. 17.* Et alibi. *Nubibus superioribus cœli præciperet, & ianuas cœlorum aperuit.* Et alibi. *Nubes superiores superne fortificatæ Psal. 78. 23. & Prov. 8. 28.* & in multis aliis locis. Inde significando, quod etiam & nubes sunt inferiores quæ grossiores sunt & densiores in sua substantia.

Porro etiam nubes autoritate sacra, respectu ipsarum substantiæ ab inuicem distingui videntur, videlicet in densas & tenues; In densas, (inquam) quia ibi loci scriptum inuenimus. *Nubibus densis obtegit DEVS cœlos, quæ compararent terræ pluuiam, &c. Psal. 147. 8.* Et alibi. Densæ nubes tugurium eius. *Iob. 22. 15.* Et alibi. *Densæ nubes vehiculum DEI, Psal. 104.* Et alibi. *Iehoua ligat aquas in densis nubibus, adeo vt non findatur nubes sub eis, Iob. 26. 9.* Porro nubis tenuitatem arguit hic locus, Ecce dominus ascendit super

per

per nubem leuem & ingreditur Ægyptum, *Isai.19.1.&c.* Similiter distinguit pagina sancta, nubem per colores, vnde dictum est, *posuit caliginem inter vos & Ægyptios Iob.24.7.* Et alibi, *E medio nubis & caliginis edixit Iehoua, Deut.5.28.* & alibi, *posuit tenebras in circuitu suo latibulum cribrans aquas de nubibus cœlorum, 2.Reg.22.* Porro & Iehoua dixit *se habitare sub caligine, 2.Chron.6.1.* Vnde patet, è testimonio sacro, nubes esse nigras seu tenebrosas. Sunt etiam & nubes liuidæ seu Cæruleæ, vnde scriptum est, Quis *sapphirinas nubes effecit in sapientia? Iob.38.37.* Sunt etiam & nubes lucidæ & albicantes splendore, de quibus scribitur, lux est nitida in superioribus nubibus; Et alibi. *Nostine cum disponit DEVS de illis cum splendeat lux nubis suæ? Iob.37.ibid.*

Sic etiam distinguuntur nubes in humidas & siccas, vnde ex testimonio sacro habemus; *Aquas ita cohibet DEVS vt arescant, & ita emittit eas vt subuertant terram, Iob.12.11.* Et alibi. *Nubibus interdicam ne dimittant in eam pluuiam. Isai.5.* Et alibi, *Cœli super caput erunt ænei. Deuter.28.* Et alibi, *Iehoua ita accensus est ira in vos, ita claudit cœlos. &c.* Denique eas differre faciunt scripta sancta in quantitate, in nubeculam & nebulam, vnde dictum est: *Ecce nubes parua sicut vola manus hominis ascendit è mari & fuit statim, quod cœli nubibus obscurarentur. 1.Reg.18.41.* Atque sic in cæteris.

Relatiuum ad Microcosmum.

2. Meteora in Microcosmo tenebrosa consistentiæ æqueæ sunt vel
- Tenuia & vaporosa consistentiam habētia quasi
  - Halonis
  - Nebulæ,
  - Nubis.
- Grossa. Vide 4.

IN præcedentibus demonstratum est, quam necessaria sit inter Macrocosmum & Microcosmum humanum relatio; quia nimirum hic ad illius exemplar, vt ille ad imaginē Creatoris est conformatus, ambo hi ad imaginem diuinā creati à peritioribus, tam in theosophia quā Philosophia dicuntur; n. sic mundus à Deo ex nihilo tenebroso creatus, in cœlum & terrā, mediante spiritu Dei, qui ferebatur super aquas, diuiditur, & in elementa quatuor distinguitur, ac tandem inspiratione illius spiritus vniuersaliter spirantis & agentis, meteora cuiuslibet conditionis, tam in cœlo quam in terra procreantur, similiter homo à DEO ad imaginem mundi, & consequenter ipsius DEI ex limo terræ formatus, ab ipso Creatore inspiratur, in cœlum atque terram, hoc est, in corpus atque spiritum diuiditur, quæ iterum in sua elementa particularia distinguuntur, in quibus meteora tam mala, hoc est, ad punitionem, quam bona & salutifera producuntur, videlicet tam in eius cœlo aereo quam in eius terra seu corpore.

Vt igitur meteora tam humida quam sicca in medio aereo tam terræ in Macrocosmo, quam in cœlo eius infimo inueniuntur; ita etiam similia tam in corpore quam spiritu seu cœlo aereo in Microcosmo reperiuntur atque procreantur: At vero, quoniam homo in sua integritate consideratus, est compositus de composito, hoc est, de partibus mundi compositi, sequitur ipsum hominem profundius mundo in compositionis multitudinem se immersisse, vnde fit, vt eius elementa simul atque meteora sint longe densiora, & magis in substantia glutinosa compacta, quam illa mundi, quæ sunt magis simplicia: Verbi gratia, sanguis, qui est aereum hominis elementum, in quo delitescit mundanus ille, est ob densitatem suam visibilis, simul atque humor ille biliosus qui igni refertur, ignisque mundani est receptaculum connaturale: Nam (vti antea dictum est) spiritus mundanus inest in homine tanquam eius cælum, in cuius centro nihilominus habitat spiritus diuinus, qui homini rationem præbet, & intellectum, quod spiritus mundanus per se perficere nequit, vnde scriptum est, *In homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis intelligere facit; Iob.9.* Quibus videmus, spiritum diuinum esse tam in spiritu mundano, quam humano actorem centralem, qui spirat, atque incitat spiritus vtriusque creatos vbi vult, facitque eos in perpetuum ad placita sua obeunda paratos atque promptos, & non calor aut frigus creaturarum, qui actionis seu spirationis diuinæ sunt tantummodo effectus, vti alibi declarabitur.

Distinctionem igitur præcedentem ad vsum Microcosmicum seu humanum ad hunc modum contrahimus.

Rela-

Relatiuum Microcosmicum.

Meteora in Microcosmo seu homine tenebrosa, consistentiæ aqueæ tenuia & vaporosa, observantur reperiri vel in eius

- Oculo sub forma
  - Nebulæ, Haloni seu nebulæ macrocosmi similis,
  - Albuginis, nubi comparatæ,
  - Suffusionis, nubeculæ relatæ & nubi.
- Capite seu cerebro more vaporis grossi in
  - Vertigine, fumo grosso æquiparanda,
  - Scotomia, nubi fuliginosæ simili,
  - Grauedine catarrhali, fumo nebiloso simillima.
- Ventriculo, quando partes in alimento aereæ concoctionis assiduitate extractæ sunt, & in ventriculi summitate circulando in vaporem densum, ac tanquam consistentiam nubis coagulatam reducuntur, qui vapores tum postea ad chili & sanguinis, ac tandem ad carnis procreationem vlteriori coagulatione pergunt.
- Cordis sinu
  - Sinistro, in quo aer per asperam arteriam attractus reducitur prius in nebulam vaporosam, quæ tum postea in massam sanguinis arterialis, spiritu vitali ditissimam, concrescit.
  - Dextro, vbi viceuersa sanguis grossus in nebulosam materiam conuersus in liquorem dissoluitur tenuiorem ac subtiliorem, quam fuit antea, hocque secunda elementorum rotatione.
  - Hepatis cauo, in quo vapor chilosus in nebulosam secundi ordinis substantiam redactus, in sanguinis guttas tanquam nubis consistentia in pluuiam protinus coalescit.
  - Vasis spermaticis, in quibus vapor totius corporis spermaticus & aereus in densam nubis spermaticæ substantiam conuertitur, quæ ad perfectionis metam progrediendo, ab imperfecte misto spermatico, ad corpus eiusdem speciei perfecte mistum pergere obseruatur.
  - Vniuerso corpore, vti in vaporibus diaphoretice ad corporis superficiem per poros expulsis.

Cap. VIII.

De Halone Nebula atque Nube.

CVm aer sit medium, in quo meteora aquea, tam in cœlo macrocosmico, quam vbique in eius terra procreantur, necesse est, vt huiusmodi etiam meteora in qualibet aeris humani parte, tam solida quam fluxili, procreentur, videlicet quilibet nubis gradus. At vero, quoniam oculi in cœlo summo seu capite Microcosmi stricta se habent ratione ad duo mundi maioris luminaria, vtpote per quos radii spiritus humani suos emittunt aspectus, ideo in ipsis quælibet nubis species, videlicet Halo, nebula, nubecula &c. ab effectu facilime discerni possunt. Nam vti in mundo maiori inter oculum nostrum & solem vel lunam quandoque Halonem seu nebulam tenuissimam interponi videmus, nonnunquam densiorem, & quandoque crassissimam, & nubem minime à radiis solaribus penetrabilem, ita etiam in medio oculari, videlicet tam in humoribus quam in tunicis vel inter tunicas ipsius oculi, huiusmodi inter radios visuales & obiecta visa meteora nonnunquam intermixta videmus, videlicet, nebulas, albugines, & suffusiones seu cataractas: nam nebulæ in oculo dicuntur esse tenues & superficiariæ albedines, seu caligines vtriusque oculi membranæ, & dicitur huiusmodi morbus nubecula, quia tenuis quidam humor, more tenuis & paruulæ nubis in aere impressæ existit, corneæ inhærens membranæ, ratione cuius putat laborans per nebulam aut vaporem aut fumum res se omnes videre. At vero, si humor seu vapor hic magis adhuc crassescat, in secundum nubis gradum coalescit & tunc vocatur Albugo, in qua omnis manifesta videndi acies perstringitur, & tanquam in vmbra obscura videtur, quemadmodum in nebula mundi maioris densissima obiecti olim visi simulachrum omnimodo à visu tolli cernimus. Porro etiam quandoque propter nimiam corneæ tunicæ densitatem visio redditur tenebrosa, vnde & caligo huiusmodi nuncupatur accidens. Est etiam & alia nubis species in loco profundiori procreata, videlicet in crystalloide seu humore vitreo, ratione cuius humor ille in colorem glaucum seu fuscum commutatur; vnde huiusmodi homines sic affecti, per fumum seu nebulam se videre arbitrantur, diciturq; talis visionis alteratio *Glaucoma*. Denique habemus & aliam huiusmodi meteororum speciem, mediante qua ille in oculo producitur effectus, quem suffusionem seu cataractam vocant, quæ procreatur ab aeris nebulosæ concretione facta, vel in pupillæ sede, vel inter Rhagoidem tunicam, vel crystallinum humorem, hocque sensim & paulatim, adeo vt ne vix ac ne vix quidem in principio discerni queat. Sic etiam in nubis cœlestis procreatione gradus varios obseruamus, videlicet ab aere in vaporem vix perceptibilem progressum, & ab illa in nebulam tenuissimam, à qua in illam densiorem, quæ tandem in nubem densam concrescit. Porro etiam, quando aer condensatus est in primum gradum, & circa pupillæ circumferentiam centro intacto, vel non nisi tenuissimo fumo obfuscato remanente, tunc Halonis speciem præ se ferre obseruatur. Vtcunque ergo res sese habet, videmus hic eandem esse aeris in nebulam tenuem, & densam, & ad nubis consistentiam conuertendi rationem, quam in aere mundano habemus, imo vero & tali etiam aere in vaporem densum compacto & in rorem concrescente ipsum humorem aqueum oculi decrescentem nutriri, & in pleno suo statu præseruare obseruauimus: Quod autem concreata huiusmodi substantia vaporosa fuerit prius aer, duplici respectu instruimur, videlicet quoniam gradatim pergit ab inuisibilitate ad visibilitatem intuentis, ac tum postea quoniam per spongiosam & porosam nerui optici substantiam nisi in aerea & spirituali conditione penetrare minime potuit. Causa autem cur substantia huiusmodi aerea quandoque in locis prædictis concrescere soleat, est ob variam aeris in sedem illam penetrantis rationem, videlicet propter vim eius centralem, in dispositionem variam conuertibilem, quam ab aliquo vento constrictiuo accepit, qua mediante paulatim se in massam contrahit, at vero aer ex vento oppositæ naturæ in natura sua dissolutus manet, quo melius secundum Naturæ leges in humoris aquei vices & officia agat.

In cerebri etiam ventriculis aerei turbines, vapores, nebulæ, & nubes, vel via naturali, vel præter naturæ leges generantur. Nam vti in cerebri cellulis vapores aeris per nares attracti incitatione boni atque salutari naturæ spiritus, in suauem nebulam & naturalem circulando concrescunt, & leuiter condensando partim in roridum ventriculorum anteriorum madorem, partimque in inuisibilem spiritum per plexus choroidis meatus disperguntur, qui animales dicuntur, eorum vero pars superflua in aquæ densæ dispositionem contrahitur, quæ per peluim seu infundibulum & glandem pituitariam, ac tandem per cunei foramina excernitur, in palatum distillando, ita quidem & huiusmodi aer seminariis meteororum præternaturalium refertus, inspiratione & expiratione per processus mammillares factis, ratione quandoque præternaturali, in substantiam nebulosam seu nubilosam reducianimaduertitur, vnde Catarrhus, Scotomia, Vertigo, & alij istiusmodi meteororum effectus in cerebri ventriculis procreari solent, quæ quidem cum suis affectibus pro substantiæ aereæ & qualitatum ventorum in ea prædominantium, simul etiam pro situ & loco in quo forman-

tur huiusmodi meteora variare notantur. Hinc ergo est, quod aer venti turbulenti seminariis plenus ita semel attractus disponatur, vt centralis eius motor calore naturali incitatus, ipsum in gyrum more turbinis aut nubium effectus aliis nubibus aut fluminis flumini fortiter occurrentis, in anterioribus cerebri ventriculis circumrotet, vnde omnia imaginatiuæ facultati apparent, ac si instar rotæ in orbem gyrarentur, atque ob hanc rationem hæc affectio vertigo dicitur. At vero si aer attractus propter differentem seminariorum dispositionem, in materiam nebulosam, adhuc magis obscuram & grossiorem redigitur, & in parte cerebri anteriori magis stabilis restat, quam ille vertiginem gignens, tunc res obscuræ aut more muscarum ac cimicum apparent, propter incompactam atque disiunctam nubis, ita sensui imaginatiuo apparentis, constitutionem, nam omnes medici huiusmodi affectionem vel effectum à vaporibus tenebrosis in cerebro existentibus generari agnoscunt & ingenue fatentur, at vero vnde oriatur, vel plane ignorant fere omnes, & non nisi de longe percipiunt nonnulli: Sed de huiusmodi meteori præternaturalis causa efficiente alibi latius discurremus. Talis etiam est catarrhi seu Rheumatis vt plurimum origo : quod etiam ex hoc facillime discerni potest, quoniam ex nubilosorum ventorum flatibus aerem spissum ex marmoris lachrymis & capitis grauedine percipimus. Vnde fit, vt nisi natura hominis fortis, aeris ita in dispositionem madidam alterati impressionibus resistat, eiusque naturam vincat: facillime similibus cum aere opprimatur impressionibus : Hinc Hippocrates *Aphor.* 5. 3. & Galenus in sententiam istam coincidunt; videlicet, quod flatu Australi diuturno cum dominio, auditus hebetetur, caligo efficiatur visus, caput grauetur, oculorum & cerebri vertigines, ingenii grauedo, morbus caducus atque huiusmodi genera in hominibus procreentur, vtpote cuius spiritu madido, nubes grossæ & obscuræ inducuntur, quatenus eius officium est, aerem grossum & spissum facere, illumque propter seminariorum ab ipso in aerem vniuersalem emissorum prauitatem, corruptionem producere, & putredines facere. At vero, quoniam ventus hic humiditates calidas producit, ergo omnia meteora eiusdem conditionis humida producere aptus est, tam ad perniciem quam ad beneuolentiam secundum ordinatoris dispositionem inclinantia.

Porro etiam tales impressiones meteorologicæ, tam naturales quam præternaturales in ventriculo generantur, vtpote qui locos præcipue mediæ aeris regionis vices in corpore humano gerit: at vero seminaria huiusmodi meteororum, tam à ventis terrestribus quã ab illis cœli elementaris in hunc modum deriuantur. Nam vti videmus, quod meteororum mundi seminaria per inspirationem ad læuum cordis thalamum attrahantur, & exinde per vasa arterialia in vniuersi corporis membra spargantur, atque etiam mediantibus processibus mammillaribus per vasa cerebri vndiq; dispensentur: ita quidem vapores, nebulæ & nubes in ventriculo, siue salubriter, siue insalubriter in quacunque dimensione generatæ, ex fructuum, ciborum seu alimenti, tam liquidæ quam solidæ substantiæ natura varia, pro varia dispositione ventorum aeri magis seu diutius prædominantium, in tempore vegetationis, incrementi, seu nutritionis animalium, atque etiam vegetabilium oriuntur.

Hinc igitur fit, quod venti Australes in tempore incrementi seu vegetationis vegetabilium, videlicet frumenti, herbarum, fructuum, & radicum præsidentes aeri, eiusdem temperiem secundum suam dispositionem ordinantes, ipsas reddant ad suam naturam procliues, easque seminariis putridis impleant, quippe quæ vegetabilia ab aere omni momento recipiunt occultum vitæ suæ pabulum; est enim in aere tam cælesti quam terrestri occultus cuiuslibet rei vitæ cibus. Habent enim plantæ magneticam virtutem ipsis centraliter insitam, mediante qua vitam aeream ipsis similem sibi assidue alliciunt; vtque in historia nostra de Anatomia Panis & Tritici explicatum est, facultate & successione cuius vegetationem & incrementum, tam in ipsarum spiritu quam mole, quotidie magis magisque acquirunt, Similiter huiusmodi vegetabilia, videlicet gramina, fructus, grana frumenti &c. talia reddunt animalia, tam terrestria quam volatilia qualia ipsa sunt, cum nutriti temperies sequatur illam nutrimenti; nam quod facit tale est magis tale: Hinc ergo est; quod aer qui concurrit ad ipsorum nutrimentum & vegetationem, & in ipsorum consistentiam condensatur, quando dissolutione & subtiliatione sua in libertatem pristinam restituitur, semper seminaria venti prædominantis in incremento nutrimenti in suo ventre habet, quare & ille aer vaporosus in ventriculo circulatione primæ concoctionis ex alimento extractus, & iterum in chilum, & tum postea in sanguinem compressione redactus, semper pro suo interno habet venti ei præsidentis spiritum, & consequenter vniuersum corpus quod nutrit, à præcedenti sua constitutione in suam conditionem paulatim reducit. Atque ob hanc causam morbi Epidemici & populariter grassantes sunt in succedentibus annis tam varii atque diuersi, secundum diuersam ventorum in iis flantium dispositionem. Vnde si venti in illis mundi quartis frequentiores sunt salutares & vitæ animalium conuenientes, vtpote septentrionales & Orientales, annum salutarem denuntiant, quoniam tali aere & talibus ventorum seminariis vegetabilia, & per vegetabilia animalia nutriuntur, atque etiam ipsorum animalium cerebra atque corda per inspirationem rectificantur. At vero vice versa meridionales venti propter corruptam suam dispositioné, malo halitu diuturnis suis spirationibus fructus & gra-

mina & grana afficiunt, vnde & pestes sequuntur, & morbi pestilentiales: quemadmodum ex Galeni libro 1. de morbis Epidemicis & in multis aliis locis colligere possumus. Ratio autem in promptu est, quoniam scilicet venti Australes putredines & corrupta seminaria per aerem dispergunt, res firmas relaxant & dissoluunt, vti etiam ipse Hippocrat. & Galenus confitentur, At vero inquit Galenus Febres omnes pestilentiales à putredine habent ortum suum. *Galen. diff. Feb. li.c.5.* Quare sequitur, quod vegetabilia & animalia aerem longo tempore à ventis meridionalibus corruptum haurientia, eumque in præcipuam suam substantiam conuertentia, sint de natura putrida, atque consequenter corruptioni admodum obnoxia. Hic autem notari dignum, secundum ea quæ in ventosis meteoris sunt antea dicta, quod venti natura, qui dominium principale habet, in annonis seu cibis inclinat ad partem illam corporis, quæ naturaliter spectat ad quartam illam, à qua ventus ille macrocosmicus flaret: vnde & pars illa corporis præcipue afficitur, eiusque spiritus naturalis virtute spiritus alieni, per alimentum in corpus introducti, exagitatur atque excitatur in sua spiratione, siue ad salutem tendat, siue ad infirmitates. Sed de ventorum atque etiam spirituum in alimentis mysteriis atque de rationibus ipsorum in causis meteorum efficientibus simul atque finalibus, plenius DEO auspicante discurremus.

Pari etiam ratione istiusmodi generis metora in vtrisq; cordis finibus seu cameris, tametsi vario respectu atque alterandi opere, procreantur; nam in læuo seu sinistro cordis thalamo vapores, nebulæ, atque quodammodo nubes, immediate ex aeris per pulmones inspirati condensatione atque contractione generantur, nam in huiusmodi operatione vltima nubis consistentia totiusque actionis naturæ effectus est sanguis arterialis, quem viuifica aeris seminaria animant, quæ seminaria spiritus vitalis, in vehiculo sanguinis arterialis, tanquam anima in corpore natant; Vnde operatio hæc ad aerem in substantiam nebulosam ad vitæ reductionem est via à priori; At vero ad nubilosam seu nebulosam substantiam in dextro cordis thalamo procreandam, contraria est operatio, vtpote quæ à posteriori progreditur, videlicet à sanguinis grossi in hepatis officina completi (præparatione & circulatione mediante) reductione & resolutione in vaporosam substantiam, & ab illa condensatione in liquorem seu sanguinem subtiliorem longe, quam fuit ante (quoad leuis & delicatæ pulmonum substantiæ nutritionē melius adaptetur,) tandem condensaretur; Vnde patet, quod prior circulatio seu elementorū rotatio in ventriculo sinistro cōpleta esset progressione ab aere simplici cælesti condensando, posterior ab aere terrestri seu elementi in sanguinem grossum prius, & postea in subtiliorem chimia naturæ alterando, qui etiam vlteriori Alchimiæ gradu in spiritum inuisibilem simul cum aeris per nares attracti quinta essentia redigitur ex quibus spiritus animales tum postea sunt conformati, tanquam aptissimi intellectus atque rationis seu mentis humanæ ministri. De huiusmodi in natura humana progressu, copiosiora in Anatomiæ nostræ mysticæ tractatu, de sanguinis mysteriis, eo capite vbi de Naturæ in corpore humano Alchimia agitur, verba fecimus.

Præter hæc omnia omnes nubilosi gradus sunt in Hepate inueniendi; nam attracta per venas mesaraicas subtilissima chyli substantia ab intestinis, in hepatis officina seu laboratorio à sua candida seu stannea substantia in aureum & rubicundum colorem circulando, & in vaporosam nebulam subtiliando transmutatur. Nam in omni Naturæ opere hoc in primis est considerandum, quod in eius ad perfectionem seminis semper pergit purificando, & purificat subtiliando, & subtiliat dissoluendo, & dissoluit concoquendo, & coquit leui atq; naturali circulatione ac tandem circulatum atque concoctum iterum appositione, vnione, atque assimulatione redit ad perfectionem seu præseruationem partium illarum, quibus ab ipsa natura appropriatur, verbi gratia, perficitur natura sanguinea in Hepate, in quo complemento nebulosa rei subtiliatæ substantia in sanguinem fibrosum coagulatur, vt & ille vlteriori in natura progressu in carnes & partes solidas condensatione transmutatur. Hic igitur considerare debemus, quod aer præcipue in massam terrestrem coagulatus, dissolutione factus est magis ad corporum solidorum rectificationem & nutritionem idoneus & aptus, videlicet ille nutrimentorum, at vero vice versa illa cælestis & ab omni compositione libera, ad spirituum animalium vitaliumque rectificationem & refectionem inprimis confert: Hinc ergo facillimum est cognoscere, qualis sit ille aer, qui spiritum humanum inficere morbis sit aptus, & qualis iterum ille, qui partes solummodo solidas spiritualibus bene se habentibus corrumpere solet.

Denique omnia nubilosorum meteororum genera ad spermatis in vasis seminaris contenti complementum concurrunt; nam ex parte vasorum arterialium, in quibus semen seu spermatis internum (quod est ex sanguinis arterialis quinta essentia, occultum totius speciei simulachrum in se, licet inuisibiliter, continens) tanquam anima in corpore delitescit, aeris coagulati quinta essentia in fumum inuisibilem, sanguini arteriali immersum, contrahitur, estque in forma venti inuisibilis, qui non aliter inspirat & animat fumum illum grossum, & elementarem in visibilem spermatis consistentiam, quam spiritus ventorum mundanorum vices animæ in nubibus agunt. Vnde scriptum est, *quod DEVS in densa nube vehatur super alas venti*; sic etiam & spermatis substantia agitatur &

mouetur ad fœtus complementum, quousque species, cuius est sperma, depingatur de nouo in suo spermate, & sperma in animal rationale conuertatur. Progressio autem est talis: A terra carnosa purior aer virtute magnetica, tanquam spiritus elementaris extrahitur, videlicet æquali attractione ab omni membro, qui aer subito & in momento, inclinatione naturæ seu potius sapientia actione voluntaria & principali centraliter mouente, allicitur in vasa seminaria iam inania, vbi primum in vaporem (in qua forma per plexus vasorum seminariorum admirabilem anastosmosin facientes, à sanguine cribratur quasi atque segregatur,) conuertitur, tum vero in nebulosam & mucilaginosam substantiam coalescit, vbi tum postea in nubis grossæ consistentiam, mediantibus vasis concoquentibus, coagulando redigitur, tum corpus hoc meteorologicum seu imperfecte mistum ad corporis perfecte misti complementum, (vtpote quod est meteorum generationis) progreditur, videlicet in massam carneam, cuius tum postea partem in ossa, cartilagines, tendines & membranas, atque ad completam hominis externi fabricam migrare & conuerti cernimus. Atque hoc quidem omne fit à sapientia diuina centraliter ad voluntatem suam exequendam agente, quod etiam ex huiusmodi sacrarum literarum locis confirmatum habemus. *Nonne* (inquit Iob Iehouam alloquendo) *sicut lac fudisti me, & tanquam caseum coagulasti me, cum vita benignitatem exercuisti erga me, & visitatio tua conseruauit spiritum meum?* *Iob.*10. Quibus exacte declarari videtur, quod spiritus diuini visitatio atque realis præsentia sit in reductione consistentiæ corporis, seu terræ humanæ ab aere elementari inuisibili via & gradibus condensationis, hoc est, per vaporem tenuẽ in nebulosam substantiam candidam, & ab illa in nubem spermaticam, & ab hac coagulatione (more lactis in caseum) in carnes & ossa; imo vero adest semper visitando quamlibet creaturam, licet inuisibiliter, vtpote sine cuius præsentia conseruari nequit. Hinc etiam dicitur, *quod DEO emittente spiritum suum creaturæ recreentur, abscondente faciem suam conturbentur, recipiente spiritum suum expirent:* *Psal.*104.29. Sed & præcedens nostra assertio hoç modo ex verbis Psalmistæ regii alibi sic statuminatur, *Tu es qui eduxisti me ex vtero, faciens vt considerem ad vbera matris meæ, in te reiectus sum ex vulua, inde ab vtero matris meæ DEVS fortis meus sis,* *Psal.*22.10. Et alibi, *Tu possides renes meos, ex quo obtegebas me in vtero matris meæ: Non celata est vis mea tibi, ex quo factus sum in abdito, velut in imis partibus terræ, massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia scripta sunt ex quibus diebus formabantur, cum nondum vllum ex iis extaret,* *Psal.*139.13. Quibus inprimis arguere videtur hominis actum centralem à puncto generationis suæ, vsque ad complementum ipsius, DEO & spiritui ipsius sancto intrinsecus agenti esse referendum, ac tum postea, quod motus in generatione humana sit quasi ex nihilo, hoc est, à re minime apparente, hoc est, de natura aeris. Denique dicit Iob: *spiritus DEI fortis fecit me, Et spiraculum omnipotentis viuificauit me,* *Iob.*33.4. Et alibi: *Hominem DEI manus aptauerunt.* *Psal.*119.73.

Ex his ergo concludere possumus, quod vt aer est principium à quo fit generatio, ita quidem medium in motu sit meteoron nebulosum, ex cuius manifesto cum sui similis additione fit geniti externum seu Corpus, ex nubis vero spermatici spiritu seu vento interno fit geniti internum seu Anima: quod quidem medium progrediendo ad misti perfecti metam, creaturam paternæ speciei similem varia elementorum rotatione, aeris nimirum in nebulam vaporosam, nebulæ in nubem compactam, huius in aquam densam, quæ iterum sicut lac in carnes & ossa more casei coagulatur. Talis etiam erit motus retrograde progrediendo à perfecte misto ad meteoron nebulosum, & ab illo in aerem, qui est vltima in dissolutione meta. Nam quale erat principium in generatione, talis erit eiusdem in corruptione finis. Hinc haud inconsultè dixit rex. *Homo caro, spiritus vadens & non rediens, Recordans* (*inquit ille*) *carnem esse eos, ventum abeuntem qui non reuertitur,* *Psal.*78.39. Et alibi. *Homo natus muliere fugit velut vmbra, neque consistit.* Sed & hoc experientia communi docetur; nam omnis caro simul atque ossa ignis violentia in fumum, & ab illo in nihilum quasi, seu aerem inuisibilem resoluuntur. Quibus videre fas erit, meteora esse media, tam ad dissolutionem quam ad generationem, tam ad morbos quã ad sanitatem, atque super hæc omnia considerare possumus, quod seminaria infirmorũ meteororum per aeris in corpus, mediante inspiratione, vel alimenti in quo delitescunt, attractionem, spiritũ vel corpus ad corruptionem aptum, facillime ad suam naturam infirmam, occulta quadam malitia conuertunt, & more veneni vniuersam compositionem humanam vel partem eiusdem inficiunt, hoc est, vel perturbant morbis, vel spiritus vitales à sanitatis statu in limites infirmitatis, ac tandem ad vltimam corruptionis metam distrahere tentant.

Cap. IX.

De meteoris macrocosmi tenebrosis grossis, consistentiæ aqueæ in genere.

O.
Meteora aquea consistentiæ grossæ sunt vel
- A cœlo descendentia, vide P.
- E terra scaturientia, vide Q.
- Ab vtraque procedentia, vide R.

Cap. X.

De meteoris aqueis à cœlo descendentibus. Ac primum de illis consistentiæ liquidioris.

P.
Meteora aquea à cœlo descendentia sunt vel
- liquida vt
  - Ros.
  - Pluuia
- Congelata: Vide S.

Meteora illa aquea, quæ sunt consistentiæ grossæ & magis compactæ, quam sunt vel nubilosa vel nebulosa, respectu loci seu sedis à qua oriuntur, sunt ab inuicem differentia, quippe quorum quædam à cœlo descendunt, nonnulla à terræ gremio exurgunt, atque alia ab vtriusque sacrario, videlicet tam cœli quam terræ suam originem atque incrementum ducunt.

Quæ autem à cœlo descendunt, in sua consistentia euidenter discrepare animaduertuntur, vtpote quorum alia formam liquidam & fluxilem induunt, alia frigore Septentrionali congelantur, & quasi fixa & minime fluida efficiuntur, Quæ autem in forma fluida & liquida à cœlo impluuntur, sunt Ros & Pluuia, de quibus hoc in membro præcipue tractare nobis propositum est. In primo igitur loco Aristotelis atque sectæ Peripateticæ de horum duorum meteororum dispositione sententiam exprimemus; ac tum postea quænam sit paginæ sanctæ de ipsis opinio, paucis declarabimus.

Secundum Peripateticorum ergo sententiam Ros definitur esse vapor, cum terrestri modico, in infima aeris regione condensatus, quem in aquam mox cum resìdat dissolui asseueranter dicunt. Vel ipsum definiunt sic:

Ros est vapor qui statu vernali & autumnali, virtute solari, tempore diurno, in altum attrahitur, at vero quoniam ad mediam aeris regionem non attigit, à frigore nocturno congelatur in infima aeris regione, & in forma guttarum aquæ descendere cogitur. Vel sic: Qui generatur ex vapore debiliter calido, grosso, & humido, non multum à terra in infima aeris parte eleuato, per frigus nocturnum condensato & in aquam resoluto. Pluuiam autem definiunt esse nubem liquefactam, resolutam in aquam, guttatim destillantem. Vel aliter sic: Pluuia (inquiunt) est vapor calidus, fumosus & crassus, eleuatus de corporibus humidis per calorem solis & aliorum astrorum, vsque ad mediam aeris regionem, à cuius regionis frigore ibi condensatur & conuertitur in nubem, quæ nubes rursum liquescit resoluta in aquam decidentem in terras, ad salutem animantium & crescentium.

Pluuiam cum impetu copiosius decidentem Imbrem nuncupant.

Ex Roris ergo definitionibus videntur Aristotelici nihil inter materiam nubis atque roris ponere differentiæ: nam ad compositionem vtriusque vaporem calidum, humidum, atque satis compactum assignant, à terra, & aqua exurgentem, sursumque vi caloris solaris attractum, vnde & idem agens ambobus attribuere minime hæsitauerunt. Totam ergo differentiam, quam faciunt inter vtriusque constitutionem, in locorum diuersitate posuerunt, videlicet in dispositione frigoris varia, quæ in iis reperitur, quoniam si vapor ille fuisset in mediam aeris regionem eleuatus, ex ipsorum doctrina sequeretur, quod in nubis consistentiam vehementi loci

frigore condensaretur; ast vero, quoniam vltra mediæ aeris regionis verticem non est sublimatus,
igitur à leui loci illius atq; temporis nocturni frigore non nisi suaui constrictione eleuatur, & deor-
sum paulatim sua grauitate decidens, in guttas herbis cohærentes transmutatur. Hinc ergo rorem
fecerunt nihil aliud quam paruam pluuiam, sed sine nubibus.

Certe perpulchram assignant isti, & primo intuitu admodum probabilem meteoro roris descri-
ptionem. At vero si rem aliquantulum profundius inspiciamus, eam aliter, idque quam longissime
se habere percipiemus, ac ipsi existimauerunt. Nam primo ea respicimus, quæ de nubis origine
sunt dicta, atque rem ab origine omnem, quæ à Philosophis est prolata, externæ probabilitati quam
veritati centrali propinquiorem discernemus. Porro etiam hoc in loco addimus quod causa roris
non sit originaliter à terra, sed à cœlo seu infima aeris parte, & si quis aer vel vapor a terra exhaletur,
illud est solummodo per viam expirationis, post inspirationem aeris communis: non autem sequi-
tur, quod aer ab animali expiratus debeat nocturno tempore in substantiam roscidam condensari
frigore nocturno, tametsi flatu gelido seu septentrionali hoc quandoq; accidere soleat. Pari autem
ratione affirmamus, quod licet vapor quandoque è terræ visceribus exhalans in guttas congeletur
roscidas, non tamen sequatur inde, quod omnis ros sit à vaporibus è terra exurgentibus procreatus.
Nam vt aer vndique vsque ad terræ meditullium penetrare solet, quippe qui vitam & spiritum
præbet, ita necesse est, vt cum sit ille homogeneus cum illo mundi vniuersalis, facultatem habeat,
tam ab illo maris aerei condensari quam subtiliari; at vero arcam substantiæ roscidæ thesaurariam
audacter affirmemus esse vniuersum aeris mare, vnde non opus est vt necessitate à terræ cauitati-
bus expiretur, cum omne magis in se contineat minus, vti infra sacri fontis testimonio confirma-
tum habebitis; ratio condensationis ipsius est sapientiæ centraliter mouentis & contrahentis vo-
luntas, ad cuius nutum venti, Septentrionalis scilicet & Australis suauissime & leuiter, hic fortius
ille debilius flantes, leui compressione aerem nocturnum facillime condensant, qui aerita conden-
satus à terræ poris per inspirationem attractus, adhæret herbis & graminibus, & in forma guttula-
rum apparet. Nonne videtur Aristoteles contra descriptionis suæ roscidæ metam agnoscere rem
magnam, licet occulte, in ventorum Australium flatu existentem concurrere ad roris constitutio-
nem? vbi dicit experientia doctus, quod nullus sit ros nisi flante vento Australi, super quæ Philoso-
phi verba Bartholomæus sic concludit: *Quoniam* (inquit ille) *ros est paruula pluuia, & pluuia est magnus ros*
atq; in hoc respectu concludit ventum meridionalem generare rorem ob humiditatẽ suam, vti vice
versa ventus septentrionalis sua siccitate lambit & consumit rores, vel condensat & congelat eorum
substantiam, mediante suo frigore: Porro in dubia hac resolutione, quęnam sit nimirum roris origo?
multi multa & ratione contraria scripserunt. Nam Ambrosius roris super terrã generationem humi-
dæ lunæ constitutioni attribuit, *quoniam* (inquit ille) *Luna est roris mater*; In quib. videre liceat Philoso-
phos de roris procreatione minime sibiipsis constare, vtpote quoniã varii de ipsa varie sunt loquuti.

Quid ergo sacræ scripturæ de rore & de origine ipsius sentiant, iam paucis ostendemus, scripturas
ergo sacras de rore in genere hæc loquentes in persona DEI homini inuenimus, *Accinge nunc vt vir*
lumbos tuos (inquit Iehoua in turbine Iobum alloquendo) *& quod interrogabo te notum facito mihi &c. Est-*
ne pluuiæ pater? aut quis genuit guttas roris? E cuius vtero egressa est glacies? aut pruinam cœli quis genuit? inde ar-
guendo, esse vltra captum humanum, talia mysteria absq; spiritus diuini reuelatione enucleare; &
tamen Iehouæ obiectioni nihilominus audacter respondere videntur Peripatetici, asserentes, vte-
rum seu matricem roris esse terram cum aqua: ipsius genitorem esse radios solares, mediantibus
frigiditate & humiditate nocturnis. At ad magis particularem huiusce rei explicationẽ accedemus:
Nos ex duplici literarum sanctarum consideratione obseruauimus, duplicem in mundo esse roris
differentiam, videlicet alium à terra scaturientem colligimus, vnde dictum est, *Nullus vapor ascende-*
rat à terra vt irrigaret vniuersam superficiem terræ; *Gen. 2.* At Hieronymus habet, *Fons ascendebat à terra qui*
irrigabat vniuersam superficiem terræ, sed fiat more sequenti textus expositio: dicimus (vt in præceden-
tibus) quod meteora non aliter in spiritu seu aere in terra concluso, quam in illo aperto generentur,
diximus etiam sapientiam esse vbique in cœlo, in terra, in profundo maris &c. dicimusque quod
terra ad nutũ illius sapientiæ terrestris (quæ est vnicus & simplex spiritus, vbiq; per mundũ existens,
nullibi inclusus,) suas expirationes & inspirationes habeat, quas vapores dicimus: Attamen ꝙ huius-
modi vapores in rores condensentur, mysticum est, atq; arcanum diuinæ sapientiæ opus, non quod
requirat materiã à terra; nam in eius manibus sunt vniuersalis mundi spiritus, omniaq; corpora quæ
ab eo animantur, vnde dictum est, *DEVS animæ & corporis*, *DEVS fortis spirituum*, *DEVS omnis carnis*,
Num. 16. 22. Sed quoniam ad nutum & afflatum ipsius aer tam cælestis quam terrestris mutatur in
hanc vel illam dispositionem: at vero dicimus, cœlum esse terræ patrem, vtpote à quo procreata est
ab origine, vnde dictum est, *DEVM creasse cœlum & terram* & non terram & cœlum, inde arguendo,
Cœlorum post perfectionem, terram esse creatam. At vero vt DEVS dicitur esse in cœlo, ita cum
in terra esse agnoscimus, & consequenter cœlum in terra obscura reperiri certum est, quod est Dei
etiam tabernaculum. Concludimus igitur, quod materia roris sit à spiritu cælesti principaliter,
quamuis ille etiam spiritus à terra ad eius viuificationẽ inspiretur & exspiretur, Est ergo aer arca Dei
thesau-

thesauraria, è cuius vtero tam ros quam glacies & pruina more admodum secreto generantur, & licet vapores è terra expiratione exurgentes sint quandoque causa maioris in rore spissitudinis, tamen & materia, & occulta dispositio roris à superis præcipue impluuntur. Sapientiæ voluntate intrinsecus agente, & aerem in densiorem & visibilem substantiam contrahente. Hinc scriptum est, *ex ore altissimi prodii, & tanquam nebula cooperui terram, rotunditatem cœlorum circumiui sola, in profunditate abyssi ambulaui Ecclesi.24.* Atque etiam, *Sapientia nubes superiores stillant rorem, Prov.3.* Quare liquet, quod rores è cœlis seu aere superiori impluantur, & non à terræ exhalationibus debiliter eleuatis fiant; quod etiam & alibi sic confirmatum habemus. *Nubibus superioribus superne præcepit & ianuas cœlorum aperuit, depluens mannam, Psal.78.23.* Quod autem manna fuerit nihil aliud, quam ros liquidus congelatus in formam seminum coriandrorum explicat Moyses *Exod.16.14.* Quod etiam ab ore Iehouæ processerit alibi narrat, dicens: *Cibauit te cum manna, vt notum faceret tibi, non solo pane viuere hominem, sed omni eo quod prodit ab ore Iehouæ, Deut.8.3.* Vnde à loco generationis suæ dicitur panis cælestis, vt & panis communis dicitur panis terrestris; Et tamen vobis notum fieri velim, quod cœlum est in terra, & DEVS in cœlo tam terrestri quam cælesti, est ergo Sol cælestis, & Sol terrestris, est aer cælestis, & aer terrestris, est denique cœlum in terra, & terra in cœlo; nam *quod est superius est sicut & illud quod est inferius.* Habemus ergo internum agens tam in rore quam in pruina, videlicet sapientiam, cuius nutu aer ad roris procreationem, tenui flatu Australi prædominante & septentrionali debilius in aduersum flante in liquidum rorem vndique dispergitur, at tenui seu fortiori septentrionalis flatu, Austro etiam debiliter & occulte in oppositum flante, pruina sicut cineres vndique super terram impluitur, id quod etiam à Psalmista regio sic confirmatur, *DEVS pruinam quasi cineres dispergit, coram frigore eius quis consistat? emittens verbum suum & liquosa facit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, Psal.147.*

His ergo denotare videtur, quod flatu septentrionali pruina & gelu efficiatur (vnde & alibi dicit) *flante DEO concrescit gelu.* Et alibi. *A flatu suo DEVS fortis edit glaciem, etiam pro irrigatione fatigat densam nubem, Iob.37.*

Quibus videre liquet, quod roris generatio fit longe alia, quam profitetur Aristotelica illa descriptio, & quod materia eiusdem extrahatur ex thesauro suo optimo cœlis, seu vniuersali spiritu aereo, forma à spiritu incorruptibili intrinsecus in aere contracto agente, ministris placitum diuinum exequentibus ventis, in quibus etiam DEVS fortis spirituum secundum velle suum operatur: Sic ergo rorem Biblij sancti testimonio stipatí describimus.

Ros est aeris Vaporosi, flante DEO eiusue sapientia operante, à cœlo in terram descensio, atque ibidem in guttas seu stillas liquidas conglomeratio.

Vel sic:

Ros est aeris aliquantulum nebulosi, è cœlis deorsum in terræ superficiem emissi, in formam guttularum limpidarum atque sphæricarum, operante sapientia, nul aque pluuia manifeste præeunte, condensatio seu transmutatio.

Causam ergo materialem aerem fecimus, locum etiam in quo præparatur cœlum seu medium aerem posuimus, authorem primarium Spiritum sapientiæ sanctum, vbique primitus agentem esse diximus, cuius ministri sunt venti. Atque quodlibet harum descriptionum membrum à pagina sancta confirmatum habetis. Ad pluuiæ descriptionem jam peruenimus, quæ ab illa roris non multum materia differre potest, quoniam obseruarunt veteres rorem esse quasi paruulam pluuiam, & pluuiam esse quasi magnum rorem. Pluuiam definiunt Peripatetici esse nubem liquefactam, & in aquam stillantem guttatim resolutam.

Vel aliter sic:

Pluuia est vapor calidus fumosus & crassus eleuatus de corporibus humidis, siue terreis siue aqueis, per calorem solis & aliorum astrorum, ad mediam vsque aeris regionem, à cuius regionis frigore ibi in nubis consistentiam condensatur, quæ nubes rursum liquescit, resoluta in aquam, decidentem in terras, ad salutem animantium & crescentium.

Quod ad primam definitionem attinet, illa quidem non multum à sacrarum literarum doctrina aberrare videtur, vbi dicitur: *Exudarunt aquas nubes, sonum ediderunt superiores nubes, Psal.77.17.* Et tamen alibi reperimus; *Quod DEVS ligauerit aquas densis nubibus, adeo vt non findantur nubes sub iis, Iob. 26.9.* Ac si intelligeret, nubem fuisse aquarum seu materiæ pluuiarum receptaculum: Vnde & alibi. *DEVS sapientia sua aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, Iob.28.25.* quibus animaduertere fas est, aquas grossas etiam in nubibus contineri, quæ prius erant nebulosa aeris substantia, quas *aquas retinet DEVS sapientia sua, vt arescant, & ita emittit eas vt subuertant terram. Iob.12.15.* cohibet inquam flatu septentrionali, & emittit illo Australi: Vnde dictum est, *Qui dat niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem spargit, emittit glaciem suam sicut frusta, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emittit verbum suum ac liquefacit ea, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ, Psal.147.* Quibus liquido explicatur, quo modo nubes constringantur, & quomodo liquidæ & fluxiles fiant, videlicet mediante verbo vel sapientia DEI. Hinc dicitur, *Nubes superiores sapientia stillant rorem, Prou.3.* Et alibi, *DEVS sapientia sua appendit a-*

quas

quas in mensura, & facit pluuiæ statuta, Iob. 28.25. Et alibi, *Non est futurus annis istis ros aut pluuia nisi ex verbo*. 1. Reg. 17. Et alibi, *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum*, 2. Reg. 22. Et alibi, *Nubes videntes DEVM formidarunt & exudarunt aquas*, Psal. 77.17. Et alibi, *Edit DEVS pluuias in superficie terræ*, Iob. 5.10. Vnde certum est, pluuias è nubibus cælorum emitti in terram mediante verbo seu sapientia; At vero quomodo hoc fieri soleat superat captum humanum intelligere, qui à spiritu sapientiæ in huiusmodi mysterio non instruitur. Hinc in huiusmodi sermone alloquitur Iehoua Iobum, *Quis sapphirinas nubes effecit sapientia? & vtres cœli quis prosternit? Nostine de libramentis densæ nubis mirabilia DEI perfecti scientiis, peruenistine in thesauros niuis? aut in thesauros grandinis inspectionem habes?* Iob. 38. v. 37. Ad eorum vero pluuiæ descriptionem quod attinet, in qua nō modo pluuiæ sed & nubis descriptionem habetis, satis superque in capite nostro de eo disputatum est, vbi eam non modo esse erroneam, verum etiam probabilitati vix proximam demonstrauimus. Ad nostram ergo pluuiæ definitionem iuxta sacri Biblii sententiam sic progredimur.

Pluuia est substantiæ nubeculosæ in guttas seu stillas aqueas ac roscidas, virtute sapientiæ diuinæ, per dissolutionem contractio, quas DEVS tanquam cœli vtres prosternit, vel in mortalium pœnam, vel ad eorum commodum.

In pœnam (inquam) vnde dictum est, *Ita emittit DEVS aquas vt subuertant terram*, Iob. 12.15. In beneficentiam etiam emittitur in terram: nam scriptis mandatur. *Quod aperiet iusto Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ eius tempore suo, & benedicendo cuique operi manus eius*, Deut. 28.12. Denique in Iobo legitur, *Quod nubes pluuia, fulgura, quodcunque præcepit DEVS istis faciendum in superficie orbis in terra siue ad flagellum siue ad faciendam beneficentiam, efficiunt vt præsto sit*. Iob 37.

Vel definitur sic.

Pluuia est quædam aquarum de nubibus quasi cribratio, vtpote quas nubes Iehoua verbo seu sapientia sua in aquarum guttas seu stillas liquefacit, easque flatu seu venti sui spiritu ad voluntatem diuinam perficiendam deorsum fluere seu distillare facit.

In quibus quidem pluuiæ descriptionibus habemus in primis patefactum locum seu vtrem, ex quo pluuia tanquam à fonte suo connaturali scaturire solet: deinde eius substantia describitur, esse ex nubis densæ consistentia in formam aqueam redacta; Tum postea causam præcipue agentem, verbum seu sapientiam diuinam quæ (teste Apostolo 1. Corinth.) est DEI virtus, ac tandem in vltimo loco causa finalis exprimitur, hoc est, ad voluntatem diuinam, vel ad flagellum, vel ad beneficentiam hic in terris complendam.

Quare si Peripatetici causam pluuiæ materialem, aut vaporibus terræ aut aquæ, aut efficientem calori cœlesti sublimanti, aut frigori condensanti, atque calori stellari dissoluenti, ac tandem finalem ad solam salutem & vegetationem animantium & plantarum referunt, in his omnibus errare videntur. Nam causa nubis materialis est aer condensatus, efficiens sapientia, cum ministris suis ventosis aerem condensans, & pro placito suo resoluens, ac tandem finis est tam ad pœnam & ruinam, quam ad vtilitatem & beneficium humanum.

Cap. XI.

Vbi agitur de meteoris aqueis à cælo descendentibus in forma congelata.

S.

Meteora à cœlo in forma congelata descendentia sunt 4.	Nix, Grando, Pruina, Glacies.

Peripatetici definiunt Niuem esse vaporem, paulo infra mediam aeris regionem à frigore resolutum, & mox inde ad instar lanæ carminatæ molliter conglobatum & congelatum.

Vel sic:

Nix est nubes magno frigore congelata, quæ priusquam à dispositione vaporosa in aquam perfecte dissoluatur, in niueam migrare substantiam cernitur.

Hæc etiam Aristotelica opinio à testimonio oculari deriuari videtur, tametsi reuera difficillimum est, nubis rationem in materia & forma oculis humanis intueri, & tum postea niuis conficiendi, atque ipsius in candorem promouendi ratio occulta atque abdita est, hominibus sapientiæ doctrina minime instructis. Ad nubis ergo constituendæ rationem quod spectat, Aristotelem omnimodo

modo in ea fuisse deceptum, in præcedẽtibus explicatum est. quare ignorato niuis principio, de ipsa ab effectu iudicare difficillimum imo vero impossibile est. Videamus ergo quid hac in re veritatis ex literis sanctis sit hauriendum, vt de prædicta Peripateticorum descriptione melius & rectius iudicemus. Prophetæ regii testimonio confirmatum habemus, quod *DEO emittente sermonem suum in terram, quam celerrime excurrat verbum, qui niues dispergit sicut lanam, & pruinam quasi cineres, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Psal.*147.16. Ex quibus verbis colligimus, niuem atque cætera congelata meteora ex frigore, mediante verbo DEI seu sapientia eius procreata esse. Hinc dicitur alibi, quod frigus proueniat à ventis Aquilonaribus, Et alibi, *Flante Deo concrescit gelu, & quod glacies Deus fortis edat flatu suo, Iob.*27. hoc est, Deus à centro seu interno mouet & agitat ministros suos angelicos ventosos seu ventis præsidentes, & permiscentes se ad eius voluntatem in mari aereo, vel congelando, vel resoluendo perficiendam; nam omne quod in hoc mundo est actum, Deo primo motori, more sacræ paginæ, & non creaturæ (more Philosophorum Ethnicorum) quæ à DEO primitus mouetur, rite attribui debet. Sic dictum est, *flante DEO, tonante DEO, percutiente Deo, trascente Deo, miserescente Deo, ducente Deo, plaga afficiente Deo, pluuias distillante Deo &c.* At vero, quomodo Deus flatus suos emittat, aut qua ratione, aut quo ex loco niues & cætera meteora frigore coarctata veniant, difficile est admodum, imo vero impossibile captui humano cognoscere, si non sit ex sapientiæ diuinæ documentis insignitus. Hinc à Iehoua ipso rem istam cum Iobo expostulante dictum est, *Peruenistine in thesauros niuis? aut in thesauros grandinis inspectionem habes? Iob.*38.22. Quibus innuere videtur, quam arcanum absconditumq; sit ipsarum mysterium. Non enim sufficiens est cum Aristotele affirmare, quod niuis causa sit frigus condensans vaporem. Sed cætera etiam maioris momenti concurrunt, ad istiusmodi mysterii inquisitionẽ, videl. vnde proueniant istiusmodi frigidi effectus, etsi à vẽtis quomodo ipsi à Deo regulentur? qualis sit huiusmodi vapor? & an sit ab aere inspissato super terra? vel à terra exiliat necne? quæ sit generationis eiusdẽ sedes? In præcedẽtibus ergo dictũ est, *quod flante Deo & celerrime excurrente verbo niues procreentur, Ps.*147.16. quod etiam effectus illius flatus sit frigidus, inde declaratur, quoniam cõcluditur, *corã frigore eius quis consistat?* Vnde liquet, ꝙ verbo Dei excitentur flatus septentrionales fortes cum Australibus leuioribus: Vnde sequitur, *Emittit verbum suum & liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ*, h. e. dissoluuntur niues. Quod etiã niuium substantia ex arcano aeris gremio extrahatur, in eo notatur, quod dictum est: *Peruenistine in thesauros niuis? aut in thesauros grandinis inspectionem habes? Iob.* 38.22. Vbi per thesauros intelligit cœlos, iuxta illud, *Aperiet Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo, Deut.*28.12. Vbi per cœlos aerem intelligit, vtpote qui est communis meteororum arca thesauraria, vti antea dictum est. In aeris ergo gremio & ex aeris concreti consistentia, tanquam causa materiali, formantur omnia huiusmodi meteora, voluntate diuina agente, quæ est causa prima efficiens. Quare dicimus, quod leuis venti Australis flatus materiam appositione partium aeris niuibus applicet, nam istius est venti aerem incrassare, at venti septentrionalis fortius & cum maiori prædominatione flantis dispositio coagulatiua aerem sic contractum congelat mediocriter, & ita fit nix, cuius substantia partim congelatur & partim resolutioni est apta, atq; eo aptior, quo maiorem vim habet flatus Australis. Horum actus internus est à verbo voluntate patris perficiente, vnde liquet, falsissimam esse Aristotelis rationem, asseuerantis, materiam niuis esse vaporem à terra & aqua exhalatum: atque itidem, mediæ aeris regionis frigiditatem esse causam coagulationis, & calorem stellarem eleuationis ipsius, cum materia sit aer supra terram ventorum flatibus incrassatus, primus motor, verbum, vbique pro velle creatoris præsens, qui virtute sua occulta hæc admiranda facit, non frigore aut calore, licet & hi sint externi operationis suæ internæ effectus, quod quidem ni esset, impossibile foret, vt niues & grandines cum igne (cuius est congelata dissoluere & frigidos obtundere effectus) eadem in nube sine alteratione aut dissolutione vtriusq; permanerent. Vnde scriptum relinquitur. *Nix & grando sustinebant vim ignis non tamen liquescebant, vt agnosceret ignem ardentem in niue & in pluuiis coruscantem fructus hostium consumpsisse, Sap.*16.22. Vnde liquet, quod Nix sit longe altioris intentionis, atque intellectu magis mystica, quam vt ea producatur via ab Aristotele nobis proposita atque insignita: nam contra ipsius assertionem, qua dicit, Niuis substantiam esse vaporem, ab elementis aquæ & terræ exurgentem, à loci in quo generatur frigore in lanæ carminatæ effigiem conglobatum, à literis sacris docemur, quod locus, ex quo eius materies depromitur, sit è thesauris, quos cœlos & aera vocat, & non ab aqua aut terra, deinde dicimus iuxta paginæ sanctæ testimonium, causam aeris, substantiam in formam lanæ reducentem, esse flatum Iehouæ, cuius effectus est frigus, ac si quis diceret, quod spirante Deo à plaga septentrionali, nebulosa aeris substantia (quam sic efformauit leuis atq; remissus Austri flatus) in formam lanæ carminatæ concrescat. Quomodo autem velle diuinum (quod posuit Iehoua in mundi elementis) in mentes angelorum, ventis tam constringentibus quam laxantibus præsidentium, & quatuor angulos mundi possidentium, ad ipsos iussui suo obedientes reddendos, ictu quasi oculi agat, in tractatu nostro de causa supernaturali meteororum efficiente satis aperte explicabimus.

Ad niuis autem descriptionem, secundum literarum sacrarum sensum, ab Ethnicorum opinionibus immaniter atq; exerte discrepantem, sic properamus.

Nix est meteoron, quod DEVS è thesauris suis occultis depromens, sicut lanam, ad voluntatem suum, in terris, siue ad beneficentiam, siue ad flagellum exequendum emittit.

Vel sic:

Nix est creatura, ab aere seu cœlo arca DEI thesauraria, mediante flatu & frigore diuino, instar lanæ carminatæ, ad velle diuinum perficiendum producta.

Vel sic:

Nix est creatura imperfecte mixta, quam DEVS fortis è thesauris suis cœlis edit, facitque concrescere flatu suo, vt quicquid ei præceperit ipse creator in superficie orbis terrarum, siue ad beneficentiam siue ad pœnam & flagellum, id protinus perficiat atque exequatur.

In quibus siquidem descriptionibus inprimis denotatur, quod Nix sit creatura, & consequenter non ab æterno. Secundo, quod locus ex quo depromitur sit thesaurus DEI, & quod iste thesaurus sit cœlum seu aer, & consequenter neque aqua neque terra. Tertio quod eius materialis causa sit substantia aeris seu cœli, ex quo originaliter depromitur, non aliter quam ossa & caro pulli erant in vitello oui potenti liter, priusquam in actum fuerunt producta. Quarto, causa efficiens explicatur, videlicet, quod sit flatus seu spiritus diuinus; nam DEVS centraliter suo velle agit ordinando, & verbum seu sapientia eius facit voluntatem eius, tanquam filius patris, & Angeli tanquam verbi ministri, (vtpote quorum est verbum Diuinum efficere, teste Psalmista regio) immediate exequuntur quod à DEO ordinatum est. Non ergo dicitur recte, quod angeli aut frigus, aut aliquod aliud creatum hoc vel illud perficiant: Sed DEVS ipse, qui est primarius actus aut motus author. Non enim est illud creaturæ attribuendum quod ad DEVM creatorem spectat: nam hic error est Ethnicorum, Idololatriæ fons atque origo, qui ideo creaturam pro creatore falso more venerari solebant; Denique loco vltimo causa istiusmodi meteori finalis explicatur, videlicet quod ad creatoris vel beneficentiam vel iracundiam in terram exequendam ordinetur, vt & cætera meteora.

Non minimam etiam ponunt Peripatetici inter Niuis & Grandinis generationes differentiam, vtpote qui in hanc incidunt sententiam; videlicet, quod grando oriatur à vapore calido, quem primum circumstans in media aeris regione frigus facile propter eius raritatem penetrat, & in nubem condensat, quam nubem postea resolutam, & guttatim decidentem, per antiperistasin in glaciem coarctari volunt à frigore penetrante, simulatque à calore infimæ aeris regionis, vnde fit, vt in fragmenta glaciei rotunda & angulosa decidat. Hæc illi, in qua quidem ipsorum descriptione statuunt grandinem primo ex calido vapore, è terra & aqua exurgente, procreari; deinde vaporem illum in nubem grandinosam per mediæ aeris regionis frigus coagulari, quæ tandem nubes in guttas resoluta, demum in casu suo à media aeris regione in fragmenta innumerabilia à loci frigore reducitur.

At Aristoteles ipse fatetur, quod grando sit nihil aliud, quam pluuiæ congelatio, facta à frigore & vento in aere, Et tamen nihilominus alibi asseuerare videtur, quod grando generetur in nubibus longissime à terra distantibus, dicitque causam generationis grandinum esse vaporem in nubis cauitatem receptum, quem quidem vaporem incrassari vult ab aeris frigiditate.

Beda vult, quod, vt ventus Borealis est frigidus & siccus, ita flatu suo congelet & constringat guttas roscidas, descendentes à cœlo, easque in grandines conuertat.

Atque ita videmus, ipsos Peripateticos tam Ethnicos quam Christianos ipsorum asseclas, omnimodo in suis opinionibus esse confusos atque incertos, atque istius rei ratio est, quoniam verum agentem internum, seu actum centralem atque causam materialem rerum meteorologicarum primordialem ignorare visi sunt, laudes & nomen creationis creaturis seu effectibus attribuendo, & non DEO creatori, more stultorum, qui cogitant in cordibus suis *non esse DEVM*, quippe qui omnia capiunt prout in externa visione apparent: Sed ad descriptionum superiorum examinationem lumbos nostros jam accingamus, quam inprimis Philosophiæ veræ lapide Lydio, ac tum postea penetrabilissimo paginæ diuinæ igne ac lumine perficere aggrediemur.

In prima ipsorum descriptione materiam primam grandinis statuunt esse vaporem, secundam nubem, quam ideo grandinosam vocant: tertiam nubis in guttas pluuiales resolutionem. Causas vero agentes duplices ponunt, frigus scilicet mediæ atque etiam infimæ aeris regionis, vim retinens constrictionis seu congelationis, atq; calidum, cui resolutionis & diuisionis facultatem attribuunt.

Pro refutatione opinionis illius Peripateticæ, vbi volunt, quod vapores ab aqueo elemento exurgentes sint nubium origines, ad caput illud nostrum præcedens, vbi de nebulæ & nubis origine more syncero tractauimus, vos referendos esse velimus, quippe in quo loco nubes à vaporibus, ab elemento aqueo vel terreo ascendentibus, minime fuisse compositas, sed ab aeris condensatione ventis opposite flantibus factas, rationibus tam experientia propria, quam Bibliorum sanctorum doctrina statuminatis comprobatum reliquimus, atq; hoc idem etiam est procul dubio substantiæ & compositionis corporis grandinosi initium, videlicet occulta aeris seu materiæ cœlestis substantia, in materiam manifestam & visibilem grandinis quandoque, vt & aliquãdo niuis, pluuiæ, vel pruinæ, pro more aspectus diuinæ voluntatis.

In

In secundo descriptionis membro hæsitare videntur, vtpote in quo nubem vocant grandinosam, cum adhuc naturam seu speciem grandinis non minus induxit, quam nubes illa, ex qua sola pluuia scaturire ac cribrari animaduertitur; nam speciem ac formam grandinis in guttis à nube resoluta decidentibus, & in nube inprimis insequētibus agnoscunt. Porro si res ita sese haberet, vt ipsi somniauerunt, cur etiam eadē ratione nō congelarentur guttæ pluuiæ? quæ etiam sæpicule obseruantur cum grandine cadere, quæ congelantem loci frigiditatem procul dubio tam sentiunt & patiuntur, quam illa grandinis substantia, At vero, si sit differentia vlla inter nubem grandinosam atque illam pluuialem, cur non conuertitur integra nubis illius substantia in glaciem, cum certum atque approbatum sit ab omnibus philosophis, quod media aëris regio frigore abundet & rigeat; & consequenter, vnde orta est in nube tanta caliditas, vt in media aeris regione, vbi frigent turbinis effectus liquescat & fluat, cum tamen viceuersa guttæ ab ea procidentes in infima regione aeris (in qua calor propter varias cælestium radiorum reflexiones prædominatur) iterum congelentur.

Atque iterum videmus, quod grandines in mense Aprili, imo vero in æstate frequentiores esse soleant quam hyeme, quibus temporibus aeris temperies in calore exuberat, & consequenter, minus est illa regio apta, guttas liquidas ex nubibus decidentes congelare. Vnde factum est (mei Peripatetici) vt maximus lateat in hac vestra descriptione error? Non est illa proculdubio veritatis arca aut habitaculum. At si replicaueritis cum vestro Magistro Aristotele, quod nubes grandinosa longissime à terra distet, & quod guttæ, dum à nube destillantes per spatium mediæ regionis transeunt, vi frigoris loci, quod magis per antiperistasin augetur temporibus æstatis & veris, congelentur: Respondeo, quod per hanc eandem rationem substantia nubis, in regionis istiusmodi meditullio natantis, debeat constringi, atque tanto frigoris vigore in substantiam glacialem colligari: vt in guttulas liquidas præsuppositas leuiter ob defectum caloris dissoluentis reduci nequeat.

Ad illam descriptionem secundam ab Aristotele prolatam quod attinet, ipsius quidem integritatem fateri aut defendere nos prohibet ipsa veritas: Nam si grando (iuxta ipsius sententiam) esset nihil aliud, quam guttularum pluuiæ congelatio, à frigore & vento in aere procreata, rationem nullam videre possumus, cur pluuiæ guttæ simul cum grandinibus descendentes, non sint per eandem rationem conuersæ in grandines, cum aeris temperies in frigore sit æqualis: Nam procul dubio intelligit ipse de infima aeris regione, quoniam ventos frigidos agnoscere videtur causas esse in guttarum congelationem agentes. At vero (vti superius demonstratum est) ventorum in mediam aeris regionem ingressus negare videtur, vtpote in quam exhalationes (vt ipse existimat) ventosæ penetrare non permittuntur. Nonne etiam sibi ipsi contradicere obseruatur in eo, quod causam generationis grandinum facit vaporem in nubis concauitatem receptum, in cuius ventre propter loci & aeris frigiditatem ipsum incrassari & congelari asseuerare haud erubescit?

At quid obsecro aliud est nubes, quam vapor incrassatus, & si vapor vapori addatur, necesse est, vt in eandem vaporis naturam migret, non aliter, quam aqua aquæ apposita, aquam vnicam & non diuersiformem constituere solet; quare si vapor inclusus sit eiusdem naturæ cum illo includente: nulla erit ratio, quin ad congelationem partis totum etiam paulatim congeletur. Sed contradictionis ipsius argumentum in eo habemus, quod in priori sua assertione grandinem vocat nihil aliud quam pluuiæ guttularum condensationem.

At vero pluuia fit post nubis resolutionem: in posteriori grandines non à pluuiarum guttulis, sed à vaporis in cauitatem nubis recepti congelatione fieri narrat, quæ duo quam sint contraria vestris (lectores iustitiæ trutinarum custodes) iudiciis commendo.

Ad illam vero Bedæ opinionem iam accedimus, quam quidem, quoniam à veritate non multum recedit, leuiter transibimus. Causam grandinis efficientem facit ventum Borealem, idque haud inconsulte, quippe à quo deriuatur frigus: tamen (pace ipsius) magis ab effectu & de effectu loquitur quam de causa interna agente, quam triplicem facimus, dignitate & gradu discrepantem, videlicet creatorem centraliter secundum velle suum occultum spirantem, eius verbum, quod facit voluntatem eius, & angelos quorum est ea exequi quæ à verbo DEI sunt obiecta: ita DEVS secundum nominis sui proprietatem ordinat, verbum DEI, ordinata more principis regalis disponit, & angeli ventosi exequuntur, quæ à verbo seu velle diuino sunt ordinata, executionis vero effectus sunt frigus, calidum, humidum, & siccum, & quæ ab iis secundario sequuntur, cuiusmodi sunt spissum, glacies, nix, & subtile, à quibus pluuia, grando, cometa, draco volans, ignis fatuus, & huiusmodi alia variis & occultis operationibus oriuntur.

Sed ad scripturarum diuinarum testimonia, seu lapidem lydium, ceu ignis penetrantissimi examen prædictas Peripateticorum, siue Ethnicorum siue Christianorum, sententias & descriptiones producamus, quo melius videamus, an sit veritas in iis necne?

Aristoteles cum sua secta, vaporem ab elementis aquæ & terræ sursum attractum facit mate-

riam grandinis. At ipse DEVS fortis Iehoua facit rem istam non adeo facilem inuentu, videlicet tam grandinis substantiæ, quam eiusdem matricis primordialis cognitionem, vnde dixit ad Iobum. *Accinge lumbos tuos, & responde iam mihi, Peruenistine in thesauros niuis, aut in thesauris grandinis inspectionem habes? Iob.38.22.* Quo quidem sermone denotat DEVS ipse, homini non esse rem facilem talia mysteria cognoscere, & quod grandinum substantia, vt & illa nubis, niuis, pluuiæ, fulguris, & huiusmodi aliorum meteororum non extrahatur ab elemento aquæ & terræ, sed à thesauris suis occultis, quos in præcedentibus cœlos & aera fuisse explicauimus. Quare sine controuersia tam in meteori grandinosi minera, quam in eius substantiæ consistentia fallitur Aristoteles, falluntur Peripatetici.

Porro horum lapillorum grandinosorum figurationis atque efformationis rationem ipsi frigori aeris ascribunt, cum scripturæ veritatis ascribant hæc omnia DEO atque suo verbo, quod angeli dicuntur efficere, vnde scriptum habemus, *Emittente sermonem è terra quam celerrime excurrit, qui niues emittit sicut lanam & pruinam quasi cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Psal.147.16.* Vnde liquet, quod agens ad huiusmodi meteororum procreationem sit ipse DEVS, mediante verbo, à cuius flatibus frigidis seu angelis Borealibus, frigora tanquam effectus proximi, producuntur, quare dictum est. *Coram frigore eius quis consistat?* non dicit coram frigore, sed frigore eius, hoc est, quod ab eius flatu oritur. Quare & alibi dictum est, *DEVS fortis edit glacies flatu suo, flante DEO concrescit gelu, Iob.27.9.* Non dicit quod ventus Borealis seu frigus edat glacies, seu grandines, sed DEVS flatu suo, nam *flante DEO concrescit gelu;* Vnde liquet, quod ventus & frigus sint effectus procedentes à DEO, cui solummodo omnia in mundum producta sunt ascribenda. Nonne etiam scriptum inuenitur, quod grandines & sonos ediderit Iehoua, & obiuerit ignis per terram, quod ita dimiserit Iehoua DEVS pluuiam cum grandine super terram Ægyptiorum, *Erat autem grando, & ignis, qui se accendebat in medio illius grandinis, grauis admodũ, ceciditq́; illa grando in totam terram Ægyptiorum, quicquid erat in agro, tam homines quã iumenta, omnemq́; herbã agri læsit illa grando, & omnẽ arborẽ agri fregit, Ex.19.22.* In quib. verbis denotatum habemus, quod grandinum procurator & creator sit Iehoua Deus fortis, qui materiã ad illas faciendas ex thesauris grandinis extraxit, quos cœlos & aera esse in superioribus indicauimus. Deinde quod in loco nubiũ & tonitruorũ disponantur, & consequenter in descensu ob loci frigus in talẽ formam minime reducantur, quoniam in medio earũ ignis est accensus, cuius est naturæ frigori opponi; præterea fulgure vndequaque sunt obseptæ atque permistæ, nam sonos edidit Iehoua, & obibat ignis per terram. Porro etiam & pluuiarum guttularum infinitate sunt comitatæ, vnde probabile est, quod si grando (iuxta ipsorum opinionem) esset nihil aliud, quam pluuiarum guttæ, à frigore in via descensus congelatæ, quod etiam nulla pluuia, sed solummodo grando appareret: nec satis est replicare, quod huiusmodi procellosa tempestas esset miraculosa & supernaturalis; nam pluuiam cum grandine & fulgure frequentem esse, experientia communi obseruamus. Denique causa huiusce meteori finalis ab effectu declaratur, nam erat Ægyptiis in flagellum & pænam. Vnde & alibi dicitur, *Grandinis lapides magnos emittit Iehoua è cœlis, quibus interficit inimicos Israelitarum. Ios.10.11.* Porro etiam quod grando vites occidat, nos docet Propheta regius *Psal. 78.47.* Et alibi: *Grandine cum igne flammante percuties vites, & ficus, & rumpes arbores, Psal.105.33.*

Quibus sat liquido explicari videtur, quod DEVS sit princeps armorum grandinosorum fabricandorum author, & quod non egeat ipse in hoc suo aperte seu opificio vaporum terræ aut aquæ visibilis ope, vtpote qui in arca sua thesauraria, Aere, materiæ ad meteora cuiuscunque generis construenda copiam semper paratam habet, quam materiam pro velle suo inscrutabili in hanc vel illam naturam atque effigiem tum postea efformare solet. Patiens ergo in meteororum compositione est aer, agens vero constrictiua atque congelans nominis diuini dispositio atque proprietas, quæ inuenitur atque insignitur in magno angelo illo qui præsidet sphæræ Saturni, cui Gabriel Lunæ præses & princeps materiam humidam offert, nam ei etiam dominium in plagam Borealem ascribitur; Dicimus igitur quod venti duo oppositi, quorum vnus qui debilior est, madorem præbet, hoc est, aerem madidum, alter fortior Borealem & constrictiuam habens facultatem, varia sua luctatione aerem illum in nebulosam massam congregatum atque coagulatum dissipant in paruula fragmenta, quæ in motu violento flatuum oppositorum circumgyrantur à spirali aeris ventosi reuolutione, quemadmodum in duorum fluminum oppositorum occursu obseruatur, vbi aquas spumosas in circulum rotari atque circumduci notamus. Hinc est quod ante vel sub casum grandinis vt plurimum in aere soni quandoque terribiles audiantur, imo vero & murmur nonnunquam & fragor, ac aliquando strepitus quasi armatorum hominum superne percipiuntur, & quamuis huius rei rationem ex calidarum exhalationum atque siccarum lucta atque pugna, seu fumorum in nubibus contrariorum collisione & concussione, vtpote quorum alii sunt calidi & sicci, alii vero humidi, prouenire autumant Peripatetici, est tamen in occulto Philosophiæ mysterio solertioribus notũ atq; apparens, hoc omne à spiritibus ventosis, à variis mundi seu terræ plagis seu angulis flantibus, virtute angelorum ministrorum immediatorum Dei, illis ventis præsidentium, euenire, quemadmodum

in tra-

in tractatu de supernaturali meteororum causa efficiente copiosius explicabitur. Concludimus igitur, quod ex sacræ paginæ doctrina & testimonio colligamus, grandinem in hunc modum esse describendam:

Grando est impressio quædam dura & glacialis, materiam cuius DEVS fortis Iehoua ex thesauris seu arca sua thesauraria, videlicet occulto aeris gremio extrahens, illam spiritu seu flatu suo frigido separatim, congelando coarctandoque, in lapillos aquæ infinitos in cœlis efformat atque conglomerat, quos tandem ad voluntatem suam complendam, siue per se, siue fulgure & pluuia concomitantibus, in terras impluit atque prosternit.

In qua quidem definitione se offert inprimis materiæ seu substantiæ eius miniera, vtpote quæ teste scriptura sacrosancta extrahitur ex thesauris illius, quos supra explicauimus esse cœlos seu aerem, vnde liquet, quod substantia aeris sit materia non modo grandinis, sed & omnium aliorum meteororum. Deinde explicatur, quod eius forma accipitur à flatu seu spiratione diuina, tanquam causa efficiente, nam dicitur, *quod DEVS fortis edat glaciem flatu suo, flante DEO concrescat gelu, Iob.* 27.9. Et alibi, *Deiicit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Psal.* 147.16. Vbi per frusta gelu intelligi possunt grandines & consequenter huiusmodi grandines à frigore flatus Iehouæ formari confirmantur in figura lapillorum aqueorum, quod quidem simul atque materiæ grandinis & glaciei extractio ex roscido aeris sinu alibi sic verificatur, *Glacies egressa est ex vtero roris, & instar lapidis aquæ absconduntur, & superficies abyssi congelatur.* Quod quidem tam de glacie in nubibus mediæ aeris regionis intelligi potest, quam de aquarum terrestrium superficie, quippe quæ nubes alibi in Bibliis abyssi dicuntur, *Iob.* 38.28. Denique causa finalis ibi explicatur, videlicet ad velle diuinum perficiendum. Hinc & alibi dicitur, *Frigus, glacies, pruina, nubes, fulgur quicquid præcepit DEVS istis faciendum in superficie orbis terrarum siue ad flagellum, siue ad beneficentiam id protinus perficiunt. Iob.* 37. Porro grandines misit seu edidit DEVS à cœlo ad homines, iumenta, herbas, & arbores Ægyptiorum lædendas atq; destruendas. *Exod.* 19. Itemque, *grandinis lapillos magnos emisit è cœlo Iehoua, quibus interfecit inimicos Israelitarum, Iosu.* 10.11. Quare colligimus ex huiusmodi nostra descriptione, quod causa grandinis materialis extrahatur ex aere; est enim in sua substantia nihil aliud quam aer, in nebulosam consistentiam ventis contrariis coagulatus: Deinde causam formalem in eo habemus, quod in forma lapillorum aqueorum, vel effigiei rotundæ vel angularis reducatur; Hinc inquit Iosua, *grandinis lapillos magnos emittit Iehoua è cœlis.* Vnde etiam liquet, quod locus vbi aer densus in talem imaginem mediante flatu diuino redigitur, sit cœlum vel aer. Porro causa efficiens est flatus DEI frigidus congelans & indurans. Denique finalis est vtplurimum punitio & flagellum seu pœna: nam terra fertilior longe redditur pluuia quam grandine, cuius est potius, fructus arbores & segetes lædere, quam iis commodum aut proficui quicquam adferre.

Sed jam tertiam istiusmodi meteororum solidorum speciem attigimus, Pruinam nempe, quæ à cæteris non multum respectu causæ efficientis discrepare videtur, vtpote quæ est flatus seu spiratio frigida Iehouæ.

Hanc Aristoteles cum suæ sectæ Christianis definit esse impressionem quandam à vapore humido & frigido, ab elemento aquæ exurgente, & non in nubis corpulentiam congregatam, quæ impressio in media aeris regione, à loci (in quo nulla adest caliditas) & temporis frigiditate congelatur, & in pruinæ formam reducitur.

Alij (inter quos Bedam nomino) volunt huiusmodi impressionem nihil esse aliud quam rorem congelatum, qui in suo terram versus descensu imbibit atq; recipit in se nocturnam frigiditatem, mediante qua induit ipse speciem talem albam, duram, & frigidam, qualis est pruina.

Ad illam ergo descriptionem Aristotelicam accedimus, dicimusq;, quod si primum illius membrum esset verum, videlicet, quod materia pruinæ esset vapor eiusmodi frigidus & humidus, ab alimentis aqua & terra scaturiens & exhalans, sequeretur ipsam indies magis magisque diminuere & decrescere, quoniam in pruinæ tempestate pori terræ clauduntur, à frigore congelante, ita vt nec vomeres nec alia instrumenta ferrea in illam penetrare possint; deinde aquę vt plurimum glacie tam stricta occluduntur, vt ipsos pisces ob penetrantis aeris defectum in magna quantitate mori cernamus. At vero aerem vapore tenuiorem esse, quilibet fatebitur. Quod cum ita ab effectu falsum esse comprobetur, illam Aristotelis de pruinæ substantia seu materia opinionem erroneam dicimus, cum pruinam non indies decrescere à statu suo cernamus, quin potius illam vt plurimum de die in diem inualescere, terramque & arbores barba cygnea magis magisq; induere obseruamus.

Hoc idem etiam dicendum est de causa pruinæ materiali in descriptione secunda explicata, videlicet quod non sit de roris substantia, si eam colligamus esse via Aristotelica exortam atque procreatam, videlicet ex vapore ab aquis & terra expirato. At vero probabilis erit ista Bedæ opinio, si nobiscum consentiat vniuersam meteororum materiam in aeris potentia consistere.

Sed ad causam vtriusq; efficientem pergimus, quam Aristoteles medij aeris frigora credit, in quo agnoscit nullam esse caliditatem; Beda vero noctis frigiditatem dicit esse causam, tam congelationis quam formæ eiusdem candidæ.

Nos autem ipsis in huius rei inquisitione aliquantulum particulatiores dicimus inprimis,
quod Aristoteles negauit, materiæ ventorum penetrationem esse in mediæ aeris regionem, vnde
agnoscere non potest, pruinam à ventis procreari, quoniam dicit eam in media aeris regione ratio-
ne frigoris loci generari. Beda videtur inferre, huius impressionis creationem esse à frigore & statu
temporis: Nos vero dicimus quod causa primaria & maxime principalis & interna sit solus Deus,
qui per verbum incitat ventos suos angelicos ad voluntatem suam perficiendam, tam in cœlis
quam in terris, quorum etiam actiones DEO centraliter & primario operanti assignantur, vtpote
qui sunt ministri DEI ad ea exequenda parati, quæ à DEO primo motore ordinantur. Hinc dicitur,
quod DEVS emittens sermonem suum pruinam quasi cineres dispergat, coram frigore eius quis
consistat? non dicit cum Aristotele quod frigus mediæ aeris regionis, vel cum Beda, frigiditas no-
cturna, aut cum vulgo, quod venti Septentrionales hoc faciant, sed quod DEVS mediante sermone
suo, à cuius flatu frigora vel calores, prout ei placuerit tanquam effectus exeunt, sit non modo prui-
næ, sed & omnium aliorum meteororum causa efficiens, eaque sola & vnica; nam vt in mundo
non est nisi causa vnica materialis, qui est spiritus vniuersalis mundi creatus; ita etiam non est nisi v-
nica sola causa efficiens & agens in illam materiam, quæ est forma seu lux increata; & quamuis DE-
VS pater dici potest vnum agens, & filius seu verbum alterum, & spiritus sanctus aliud, & conse-
quenter infinitæ creaturæ, quæ habent suas vires agendi immediate ab iis; tamen non est in Diuini-
tate nisi vna Deitas, & Spiritus vnus, à quo omnes spiritus creantur, & vitam atq; actiones acquirunt,
non aliter atq; omnes aliæ mundi partes radiis solis implentur vnius, & tamen nullus dictorũ radio-
rum ab vnitate vnius solis distingui aut separari potest, vti testatur Mercurius Trismegistus; Vnde
quicquid in vegetatione aut in viuificatione, à lucido solis fonte perficitur, illud omne soli vnico
attribuimus, & non cuilibet eius radio. Sic Orpheus atque Platonici cæteri cuilibet mundi crea-
turæ DEVM peculiarem assignarunt, & tamen omnes hos DEOS particulares ad vnicum Iouem
retulerunt, quasi omnes radios solis vbique per mundum expansos ad vnum solem. Hinc dicit E-
uangelista, *omnia ab eo creata sunt, & sine eo creatum est nihil, in eo erat vita &c. Ioa. 1.* Et Diuus Paulus dicit,
ab eo, in eo, & per eum, sunt res omnes. Et alibi inuenimus, *quod incorruptibilis DEI spiritus sit in omni re,*
Sap. 12.

Quare haud inconsulte attributa est cuiuslibet creaturæ siue perfecte siue imperfecte compositæ
creatio ad causam primariam & vnicam, & non ad ipsius effectus, hinc inde excludendo creaturas
ab honore, qui debetur creatori, vt nulla idololatriæ species inde sequeretur. Hinc dixit Iob. *Glacies,*
gelu, niues & pruinam DEVS fortis edit flatu suo, DEO flante, concrescit gelu; Iob. 27. 9. Et alibi ipse Iehoua
creator omnium hominis ingratitudinem & stultitiam deridendo, qui laudes creatoris creaturis
attribuere solet, sic Iobum alloquitur. *Pruinam cœli quis genuit? Iob. 28. 29.* Ac si Ethnicorum præsum-
ptionem in hac quæstione notaret, quorum est impudenter asseuerare frigus esse pruinæ genito-
rem, & non patrem frigoris & caloris, cum ipsæ scripturæ sacræ confiteantur, pruinam, & niuem, &
grandinem, & glaciem, à flatu omnipotentis procreari, & in aliis locis expressius dicitur, à DEO
ipso produci atque à cœlis emitti. Concludimus igitur, quod nix & grando sint impressiones ab
aere, ventis oppositis vel transuersalibus, apposito & condensato, in formam nubis, quæ à flatu di-
uino, frigora producente, in hanc vel illam formam reducuntur, pro fortiori vel debiliori vento-
rum flantium prædominatione, verbi gratia, flante Austro debilius cum Borea adhuc fortiori, ni-
nes molles & nubes tales generantur, at Austro fortius flante cum fortiori Septentrionali, Grandi-
nosæ nubes vtplurimum oriuntur. Porro & ventus fortis Borealis, vbi ventus oppositus vel nullo
modo vel non nisi leuiter flat, quo aer in nubem condensetur, proferre solet pruinas & glaciem,
pruinas (inquam) quoniam ventus Septentrionalis secundum velle diuinum flans madidam & me-
diocriter densam aeris naturam coarctat suo flatu ab actu primo scaturiente, vnde densior aeris
pars ita coarctata cadit in arbores & herbas, imo vero & in aquis super aquas cadens, assistente et-
iam & perseuerante flatu illo, in glaciem statim resultat, atque se vnit, cum superficie aquæ, qua for-
ma dura glaciei super aquas idea statuitur atque efformatur, quoniam calidi vapores ex aquis & ter-
ræ visceribus expirantes efficiunt vt gelu seu glacies illa appareat super aquarum superficiem, & non
in aquæ sphæra, atque huiusmodi cortex glacialis indies fortificatur, per appositionem noui aeris à
frigidis flatibus concreti, in parte superiori, atque ille cortex induratur per antiperistasin, cum in e-
ius exteriori superficie frigus agat constringendo & indurando, propter vaporum calidorum actum
à terra & aqua expiratum, qui ex eius superficie superiori resistit, & resistendo confirmat per diutur-
nam aeris congelati è cœlis gradatim prolabentis appositionem; atque hæc est ratio cur aqua cali-
da sub dio exposita tempore extremi frigoris citius congelari animaduertatur quam aqua frigida.
Habemus ergo hic tam pruinæ quam glacierum secundum opinionem nostram procreandi for-
mulam explicatam.

Ad ipsarum autem descriptionem secundum paginæ diuinæ intentionem jam accedimus.

Pruina est impressio quædam meteorica, cuius materia ab aere seu cœlo, arca Dei thesauraria,
extrahitur, forma vero est talis, qualem respectu tenuitatis aeris habet, à flatu autem DEI vt plurimũ
septen-

septentrionali, tanquam causa efficiente, producitur (quippe dictum est : coram frigore eius quis consistat) quæ tandem ad sui creatoris placitum seu velle, tam in terris quam in aquis efficiendum, è cœlis seu thesauris suis, vel ad flagellum vel ad beneficentiam effunditur.


In qua descriptione habemus eius materiam, ab aeris gremio, qui est corporum omnium meteorologicorum thesaurus, depromptam; habemus & formam eius, à frigido DEI fortis Iehouæ flatu vt plurimum septentrionali, in talem speciem, qualis est, designatam; & consequenter habemus flatum Iehouæ occultum pro causa efficiente; denique causa eius finalis est, ad iussum creatoris sui, vel in beneuolentiam vel in pœnam complendum atque perficiendum, quæ omnia descriptionis nostræ membra testimoniis ex sacra scriptura deriuatis atque in præcedentibus allegatis confirmata atque statuminata habemus.

Glaciem denique secundum literarum sacrarum authoritatem in hunc modum definire licebit.

Glacies est impressio quædam frigida, quæ è roris vtero instar lapidis aquei voluntate diuina egrediens, à flatu diuino frigido atque vt plurimum septentrionali editur, & in campo aeris aperto coagulatur, ac tandem ad voluntatem diuinam exequendam, deorsum procidendo, in superficies aquarum seu abyssi congelatur atque induratur.

Locum partus corporis istius meteorologici, atque etiam substantiæ seu materiæ conditionem explicant huiusmodi testimonia à Iobo prolata, *Glacies egressa est è roris vtero, instar lapidis aquæ absconduntur, & superficies abyssi congelatur, Iob.* 38.28. Vbi denotat, quod aer in madidam & roscidam substantiam, leui ventorum afflatu redactus, sit matrix, ex qua substantia glaciei prodit atque egreditur, iuxta illud à nobis antea relatum: deinde eius forma seu figura in eo explicatur, quod in speciem lapidis aquei seu Crystallini reducitur; tum postea agens seu causa efficiens enucleatur in loco ipsius alio, vbi inuenitur *quod glaciem DEVS fortis edat flatu suo, flante DEO concrescat gelu, Iob.* 37.9. Quare liquet, quod flatus fortis DEI Iehouæ sit causa omnium antiquissima & primaria huiusce partus; nam edit DEVS fortis glaciem, atque instrumentum quo edit explicatur in eo, quod flatu suo illam edit, atque etiam illam efformat & reducit in gelidam suam substantiam; nam flante DEO concrescit gelu. Quod autem flatus huiusmodi sit vt plurimum septentrionalis exinde elicimus, quoniam ex cap. 37. v. 9. eiusdem habemus manifestatum, *quod frigus proueniat à ventis Aquilonaribus.* Finalis denique causa est ad voluntatem creatoris, siue in pœnam siue in beneficentiam exequendam. Porro quod in superficie aquarum congelari soleat, tam loco antea citato quam experientia vulgari explicatum est.

Correlatiuum ad Microcosmum: Vbi agitur de illis meteoris tenebrosis, grossis, & madore actuali perfusis, quæ à cœlo seu corruptione aeris humani scaturire obseruantur.



Relati-

Relatiuum ad Microcosmum, in quo agitur de meteoris humanis valde liquidis.

Meteora hæc appellamus grossa, respectu superiorum, quæ sunt in vaporum effigie, videlicet ea quæ in Correlatiuo præcedenti enumerantur, similiter & meteora huiusmodi madore seu humore sensibili perfusa adhuc, tam in liquiditate, & tenuitate, quam crassitie, condensatione, viscositate, atque congelatione differre videntur, cum ex liquidiori aqueæ substantiæ alia sint instar roris cælestis, cuiusmodi sunt illa, quæ immediate, hocque secundum naturæ intentionem, de vapore in guttas chilosas in ventriculo, sanguineas in hepate & corde, atque claras & limpidas in ventriculis cerebri oriuntur. Pari etiam ratione videmus, quod vapor in alembico vix perceptibilis, vtpote instar fumi tenuissimi, in pileum seu caput cucurbitæ ascendens, in guttas roscidas conuertatur, sic etiam ex cibis & poculentis vapor concoctionis virtute exurgens in guttas roscidas chili pulmentum contemperantes efficitur, sic ille iterum vapor secunda extractione in hepatis cauo, in guttas rubicundas, more vegetabilis tritici fumi, à nobis in Panis & Tritici anatomia expressi, transformatur, sed huiusmodi naturæ chimia labores suos circa alimentorũ succum impendit, quæ vero in cerebro & corde vim suam exercet, ab aere plane inuisibili capit atque eligit subiectum in quod operatur; nam aer ille extrinsecus, qui per processus mammillares in cerebrum attrahitur, cælestem aeris medullam, seu quintam essentiam facultatibus sensuum & rationis idoneam sibi vendicat, & quod superfluum est, emittit per quandam systolen & diastolẽ, deinde aerem illũ vtilem ita retentũ, appositione sibi similis assidua in vaporẽ mutat, & à vapore in rores salutares, si natura seu aer attractus sit familiaris & beneuolens, atque salutaris illi attrahenti; atvero, si natura illius sit valde madida, & seminariis pessimis referta, morbos quidem in cerebro inducit, atque totam illam regionem præternaturaliter vexat, & nubibus catarrhosis impletatque onerat; similiter aer beneuolus ad cor attractus, in vapores beneuolos & vitæ per quam necessarios transit, at vero si seminariis infaustis impleatûr, cordi atque consequenter cuilibet corporis membro malum atque incommodum afferre solet. quod quidem hominibus magis vel minus accidere solet secundum natiuitatis, complexionis, & loci in quo degit inspirator, dispositionem, & non omnibus.

Porro etiam huiusmodi guttæ roscidæ in pluuiam seu pituitam catarrhosam in cerebro (si aer introductus sit nimio madore affectus) conuertentur, quod etiam à Galeno confirmatum habemus, *Aph.3.12. Pituita à capite ad ventrem fluens facit fluxum,* & alibi dicit, *quod Pituita ex capite defluat, & quod in illis fluxibus excrementa spumosa sint, Aph.7.30.* Deinde fatetur ipse *pituitam in cerebro præcipue procreari, Aph.3.12.* Vnde euidens est, quod sit status aeris, vel temperatus vel intemperatus, qui gignit plus minusue pituitæ copiam in cerebro; Vnde & alibi declaratur, *quod pituita generetur præcipue tempore hyemali, Aph.3.20.* (quando etiam & pluuiæ cœli procreantur,) *at vero æstiuali tempore debilitatur atq; diminuitur, Nat. Humi. Com.1.33. & 35.* ac si dixisset, tempore aeris pituitoso seu humido & frigido, aquæ seu humor pluuiosus procreatur, tam in Macro: quam Microcosmi cœlo, quoniam in aere spiritus madore australi perfusi, vndique per aera spirantur, qui aerem seu mundi Mercurium conuertunt in suam naturam humidam, & consequenter tam animalia quam plantas, quas ex necessitate penetrat iste aer, conuertit & mutat in suam naturam, alterando scilicet ipsorum spiritus, qui sunt homogenii cum suo, & tanquam filius ex eodem patre. Hinc ergo est, quod fructus & animalia ab aere diuturniore madore australi infecto nutrita, magis ducere obseruantur ad pituitam & pluuiæ naturam, quam quæ à ventis Borealibus orientalibus & huiusmodi aliis reficiuntur, & consequenter in ventriculo tales solent in corporibus ad ipsius effectus recipiendos aptis, producere effectus, vnde dicit Galenus: *Pituita frigida facit leuitatem intestinorum, Aph.3.12.* Atque alibi, *Pituita in ventriculo aut intestinis leuitatem intestinorum facit, Aph.6.1.* hoc est, fluxum lienteriam inducit, Ac si dixisset. Aer pituitosus in cibis & aere circumstante in ventriculo turgens, more pluuiæ cadit à ventriculo in intestina, & fluxum quasi pluuiam à ventriculo, tanquam à media aeris regione facit plus vel minus, secundum aeris in illo anno vniuersalis malignitatem maiorem vel minorem. Vnde orti sunt morbi fluidi populariter grassantes, & fluxus ventris variorum generum. At si hic morbus magis fuerit particularis, hoc quidem accidere potest ratione cibi ad naturam aeris humidam & fluidam inclinantis, vel ratione particularis corporis cui imperfectionis, quod ad pituitam huiusmodi generandam, atq; aerem intus attractum in venenosam huiusmodi dispositionem conuertendum sit promptum atque idoneum.

Meteororum autem in Microcosmo congelatorum alia sunt in tenuiori eiusdem aere, alia in crassiori, videlicet in eius aqua, quæ etiam & aer erat. Aeris autem congelatio in homine per multos solet producere morbos congelatos, tam visibiliter in carne apparentes, quam occulte in corpore delitescentes, & non nisi ab effectu cognitos. Galenus ipse testatur *aerem esse tam promptum ad congelandum & frigiditatis impressiones recipiendum quam caliditatis. De simpl. Med. facult. l.1.c.18.* Et libro De differentiis morborum, agnoscit passiones omnes congelationes dici, quæ à causis frigidis

& vehementioribus ortum duxerunt, si ad gelu & pruinam in terra Macrocosmica consideraueri- mus, percipiemus quidem, eas nihil esse aliud, quam aeris vndique per terræ poros penetrantis congelationem, atque in glaciem tenuissimam constringendi atque coagulandi formulam, mediante qua tam aer in sua natura quam aqua visibilis, quam parturiuit aer, terream in massam quasi vnicam tam heterogenia quam homogenea congregando conglomeratur. Sic etiam in Microcosmo seu homine, tota eius terra carnosa stupore atque sensus & motus ablatione atque refrigeratione, afficitur, vti in Apoplexia (quam Galenus 3. loc. aff. 10. & 2. Aph. 42. ab effectu definit esse ablationem sensus & motus in toto animalis corpore) in Caros, Paraplegia, & stupore, (qui describitur esse refrigeratio in spiritu humano insignis, sensus & motus difficultatem inducens 2. lic. aff. 2.) quemadmodum completa refrigeratio & sensum & motum omnino tollit. Porro etiam accidit stupor ob congelationem refrigerationemque corporis in poroso nerui corpore existens, vnde fit, vt talis neruus ita (teste Galeno Lib. de ren. aff. dign. c. 3.) obstruatur & astringatur, vt spiritus animales ad membrum, cui neruus ille administrare & famulari debet, transmitti nequeant. Sed de huiusmodi morbis ex aeris humani congelatione ortis, alibi abundantius, atque tales morborum species ab effectu congelationis indicium secum ferunt, qui autem sensibiliter in niueum candorem apparent, propter aeris seu fumorum congelationem internorum, (mediante qua & ipsa terra carnea atque partes ab ea excrescentes alterantur,) sunt canities in capillis, & lepra, de qua dictum reperimus in sacris literis: *Erat manus eius* (nempe Miriæ) *candida vt nix, Leu. 13. 9.* Et alibi, *tumor albus est in cute & mutauit pilum album.*

At vero, vbi congelatio facta est in humore vel pituitoso vel sanguineo, ibi etiam & morbi, haud minus periculosi quam cæteri à nobis relati producuntur, cuiusmodi quid solet accidere in mortificatione, vbi sanguis solet congelari ab extremo frigore, quemadmodum in iis qui in regionibus degunt algore rigentibus commune habetur.

Porro etiam & in morbo comitiali, cachexia, & huiusmodi, pituitam vitream & viscosam in forma albuminum ouorum se habentem prædominari cernimus, vt in iis quibus medicamenta vomitoria præbentur, luculentius declaratur, atque etiam in cerebri obstructionibus à frigore vitream & viscosam materiam sæpicule reddi animaduertimus. Porro etiam & humor limosus, lentus, & melancholicus, in iis qui melancholia naturali & terrestri laborant, abundare cernitur, quam omnem congelandi rationem à frigore septentrionali seu lienali prouenire facillimum est iudicare, vtpote quod in ea plaga humana est melancholia terrestris, & in suis actionibus qualitati septentrionali correspondens, & consequenter congelatiua & constrictiua, quippe frigida & sicca in suo flatu.

Cap. XII.

In quo agitur de meteoris aqueis, è terra in forma liquida scaturientibus vel in terra residentibus.

Meteora Macrocosmi, manifestæ constitutionis aqueæ, ab eius terra & per ipsam scaturientia sunt vel
- fons qui est vel
  - Perennis seu naturalis, qui si sit de terra
    - Porosa, est largior & copiosior.
    - Solida, est magis rarus & tenuis, ac quantitate minor.
  - Temporaneus seu fortuito contingens, atque istiusmodi species erit vel ex
    - Pluuiis subitaneis, montium cauitates implentibus.
    - Niuibus repente liquefactis atque dissolutis in locis editis & montosis, quæ ita dissolutæ, montium ac terrarum cauitates ac fissuras penetrantes ex eorundem lateribus in specie aquæ fontanæ erumpunt.
- Cataractes seu fluxus aquarum in suis alueis varius, vide T.

Particula prima de fontium origine.

HIc obiter lectoris veniam mihi implorare liceat, tam in sequentium quam præcedentium meteororum descriptione, ab illa à nobis in lib. 7. Physices Macrocosmi historia tota via errare atq; discrepare nostra videtur musa, atque meliori iudicio rectificatus intelligat, velim, nos ibi loci more Philosophorum Ethnicorum loquutos, & meteororum descriptionem non multum à Peripateticorum sensu distraxisse. Hoc vero in loco stilo magis syncero progredientes cum sacra pagina conuenire, illamq; (vtpote veritatis vnicam arcam & sacrarium), summa ope atque industria sequi & imitari intendimus. Nec tamen deest in descriptionibus illis nostris ibi locorum expressis, probabilitatis character, verbi gratia, vt ad fontiũ origines ibi expressas reuertamur. Vnicam fontium causam posuimus esse aerem, è visceribus seu cauernis terræ vi aquarum è nubibus abundanter erumpentium detrusum, qui in motu suo sursum à terræ frigiditate in aquæ guttas congelari solet, ex quibus tum postea fontes conflari atque procreari possunt. At vero impossibile est, quod fontes perennes hinc inde oriantur, quoniam aer inclusus non potest esse immensurabilis seu infinitus, quoniam qualis est locus tale locatum; ast ipsa terra est finita, ergo & aer in ipsius ventre contentus. Atque etiam hoc idem de ratione secunda est dicendum, de secunda fontium generationis ratione, vbi dicimus esse possibile, quod fontis liquor à subtiliatione aquarum in ventre terræ contentarum caloris centralis æstu factus producatur: nam vt aqua in terræ visceribus comprehensa sine noua è mari additione non potest esse permanens, quippe quæ est in seipsa determinata, ita quidem nec calor ille perpetuo in eodem statu & actu perdurare potens est. At vero experimentum illud nostrum ibi loci depictum, ad sacrarum literarum sensum facillime conducere potest, vti in sequentibus latius.

Ad rem autem nostram hoc in loco inprimis tranctandam (omissis ceremoniis omnibus) viuaciter jam nũc aggrediemur. Dicimus ergo, quod ad fontium originem attinet, Peripatetici tam Ethnici quam Christiani admodum decipiuntur, atque proinde Aristotelem ipsorum magistrum à veris Christianis, re iustitiæ trutinis exacte ponderata, pro mendace esse æstimandum, eiusque hac in re doctrinam omnimodo repudiandam ostendemus. Aristoteles igitur cum nonnullis ipsius sectatoribus in hanc de fontium origine incidit sententiam, videlicet quod cum venter terræ concauitatibus & meatibus sit plenus (vtpote qui vacui esse nequeunt) vapores per eos sint eleuati à terra qui cum in lateribus cauernarum in aquas resoluuntur, guttatim distillant, atque ita riuulos efficiunt, atque hac ratione fontes procreari volunt. Concludunt igitur cum suo Doctore Aristotele, fontis materiam nihil aliud esse, quam vaporem in aquam resolutum & liquefactum, à frigore & calore simul intra terram, sicut nubes, nix, pluuia, grando in aere nascuntur ex vapore condensato & liquefacto rursum.

Vt autem in Aristotelicam istam descriptionem oculis acutioribus introspiciamus, & quodlibet ipsius membrum paulo accuratius examinemus, necesse habemus, vt diligenti intuitu animaduertamus, quod causam fontis tam materialem quam formalem, per istam eorum descriptionem faciant duplicem: nam illam faciunt remotam videlicet vaporem, quem tum postea in naturam aquæ fluentis à natura reductum volunt, quam materiam fontis proximam statuerunt, causam etiam fontis efficientem tam frigus quam calorem posuerunt, & frigidi officium volunt esse ad aerem inclusum in vapores congelandum, atque calidi frigido mixti ad illorum in aquam fluidam reductionem; At vero, trito & experto illo etiam Peripateticorum ipsorum axiomate ipsis respondere liceat, videlicet, frustra fieri quid per plura, quod potest fieri per pauciora, si autem possibile sit ꝙ aqua per abditos terræ meatus in propria sua natura, à mari ad montium etiam vertices sublimetur, tunc non est opus, vt aer vel aqua in vaporem prius contrahatur, & deinde ille vapor iterum congelatione in aquam liquidam reducatur; at vero certum est, & consequenter possibile, quod aqua sine vlla formæ suæ alteratione à maris voragine, per occultos terræ meatus, ad montium summitates & fastigia vsque eleuari atque attolli etiam naturali instinctu possit, quemadmodum infra luculentius: At quam sterilis & stolida est hæc ipsorum inuentio, quod vapores huiusmodi in lateribus cauernarum in aquam resoluantur guttatim, quæ tum postea riuulos efficiant, & consequenter fontes. Ac si hac ratione vapores isti non in venis atq; porosis terræ meatibus verterentur in naturam aqueam, atq; ita deorsum iterum potius ob suam grauitatẽ circulando tenderent, quã aut sursum aut lateraliter; aut si in cauernis terræ condensarentur huiusmodi vapores, probabilius esset, ꝙ maior illius aquæ pars in terræ penetralia per poros terrę iterum recideret. At sit, ꝙ fontis materia ex vaporib. in venis terrę inclusis procreetur, necesse erit, vt huiusmodi vapores, aut aeris in penetralib. terrę inclusi condensatione, à frigore proueniant, aut ab aquę in eius ventre contentę resolutione per caloris rarefactionem oriãtur, vnde sequeretur, aerem vel aquam in viscerib. terræ contentam, esse infinitam quantitate in se, quod fieri non potest, quoniam (vti dictum est) locatum nõ est immensum; at si replicetur, ꝙ aer inclusus ab aperto mari aeris aut aqua à communi aquarum Oceano nutriatur

& mul-


& multiplicetur, concedatur etiam & hoc. At vero non sequitur ex necessitate, quod vbi aer in terra frigida continetur, ibi etiam & vapores atque fontes procreentur, nam citra omnem cõtrouersiam certum est, quod nullus sit terræ porus seu cauitas, quæ non aere impleatur, tam subtilis & penetrans est aer, vtpote qui est vita & spiritus cuiuslibet rei, imo vero ne aquæ quidem, tam arcta est in partibus suis concretio, atque constrictio, quin vndique habeat aerem per suos artus disseminatum. Porro etiam si liber aeris per terræ pores transitus atque successio admitteretur, non inde sequeretur, quod in vaporem prius, ac tum postea in humorem seu madorem fluidum migraret, quoniam experientia demonstratum habemus, quod si tuba cuiuscunque sit substantiæ per amphoram aquæ plenam transmittatur, aer simplex nihilominus in tuba inclusus non facile in vaporem multo minus in aquam conuerti obseruatur, multo minus aer in terræ venis inclusus, quoniam siccitas terræ tali officio magis aduersatur (videlicet condensationi vaporis in aquam fluidam) quam aqua; At si causa vaporis in naturam aquæ in cauernis terræ migrantis sit aqua, (cuius est vi caloris in vaporem resolui) tum frustra sit ille labor, cum sit possibile, quod ipsa aqua in sua integra specie seu natura absq; huiusmodi reductione à visceribus terræ (cui maris gurges assidue de nouo supplere solet) in altum ad locũ fontium per terræ venas subleuetur. Atq; huiusmodi rei confirmatio inprimis luculentis demonstrationibus hisce duabus sequentibus explicatur, deinde sacrarum literarum authoritate statuminatur, quod autem ad primum oculare experimentum attinet, illud quidem in Heronis spirital. loco 1. vbi agitur de syphone inflexo sic delineatur.



A. B. C. Syphon inflexus, A. B. crus siphi in vase, D. E. aqua pleno. Aquæ superficies in vase ad rectam lineam in qua F. G. & inflexi crus A. B. impletur aqua vsque ad F. G. rectam. Videlicet cruris pars A. H. pars vero inflexi siph. H. B. C. sit aere plena, si igitur per osculum C. prædictum aerem ore attrahamus, simul consequetur & humidum, propterea quod locus omnino vacuus esse non potest, & siquidem osculum siphonis C. sit directum ipsi F. G. impletus aqua non tamen fluet siphon, sed manebit plenus, ita vt pars siphi A. B. C. sit aqua repleta, quamuis aquæ pars inter H. & C. præter naturæ leges sursum feratur; Verum instar lancis cuiusdam æquilibrium habens aqua manebit sursum relata secundum partem H. B. & deorsum suspensa secundum B. C. At vero si siphonis osculum exterius sit infra rectam lineam F. G. vt K. fluit aqua, quoniam pars lancis seu cruris K. B. grauior sit ea illius B. H. vnde propter ponderositatem suam vincit atq; trahit aquam motu fluido primum sursum ab H. ad B. Et deinde deorsum à B. ad K. Sed non magis attrahit, quam quæ tendit ad superficiem aquæ A. si crus illud sit depressius & longius adhuc, videlicet in L. tunc crus illud attrahet sibi totam aquam inter A. & H. eam paulatim eleuando in altum ad B. vsque, & deinde deorsum per crus B. L. cadens egrediatur per orificium. L. atque ita integram euacuabit aquam illam.

Hinc ergo videmus admirabilem illum nexum & contiguitatem, quæ est inprimis inter aquam & aerem, vt attracto aere necesse sit vt aqua sequatur, ne vacuum admitteretur, quod est in rerum natura admodum horribile. ac tum postea continuitatem illam firmam quæ est inter aquam & aquam vt pars vna inclusa sine altera proxime adhærente, aut sursum aut deorsum fluente, & manare nequeat ob rationem admissionis vacui prædicti.

Secundum experimentum Loco secundo Authoris prædicti & tractatus 1. lib. 7. cap. 9. physices nostræ macrocosmi historiæ (vbi de ventorum ortu à nobis disceptatum est) exprimitur. estque ocularis ipsius delineatio huiusmodi: Sit A. B. vas aqua plenum per cuius fundum tubus C. D. coarctatus ipsi fundo & in partem inferiorem excedens. Eius osculum C. non communicat cum ore vasis A. B. sed exterior tubus E. F. ipsum vndique circumsepit, ita vt æqualiter distent ab inuicem, pars autem superior siphonis externi E. G. debet exacte claudi atque firmari, eius vero pes infe-



rior videlicet in F. debet tantum distare fundo vasis A.B. quantum sufficiet ad aquæ fluxum ad tubum inferiorem, vel foraminibus perforetur. His ita dispositis, si per osculum eminens tubi interioris D. attrahamus aerem qui est in tubi C.D. simul & aquam quæ est in vase A.B. attrahemus atque hac ratione tota aqua vasis A.B. per siphonis interni orificium effluet, quod etiam fit propter nexum admirabilem qui est inter aerem qui est in siphone C.D. & E.F. comprehensus. Fluxus autem continui ratio est quoniam aer ob interpositionem aquæ non potest in siphone penetrare.

Ex his igitur certissimum est, quod possibile sit etiam solo naturæ adminiculo aquam à sua specie naturali à terræ ventre seu maris gurgite in terræ viscera penetrare sine tot & tantis alterationibus & permutationibus, idque facillime, quoniam hoc idem in arte inuenimus, quæ est proxima naturæ simia.

Sed ad sacrarum literarum fontis totius veritatis testimonium iam accedimus, contra quod (præcipue oculari testimonio confirmatum) nulla fieri potest ab ipso stulto (cum experientia sit stultorum magistra) multo minus à pio Christiano contradictio; inquit sapiens, *Eccles.* 1. 7. Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat. ad locum vnde exeunt reuertuntur, vt iterum fluant, At huic vtcunque sapientissimo contradicere non erubescunt Aristotelici etiam Christiani, tametsi præceptoris sui doctrinam illi Salomonis oppositissimam esse agnoscant, imo vero audacia inaudita hanc eandem Peripatetici Ethnici doctrinam in Scholis Academicis publicare gestiunt, vnde nulla in Philosophia naturali Christianos apud vulgares certitudo potest inueniri, & consequenter scientiæ veritas, obscuris Ethnicorum nubibus ita à nobis Christianis inuoluta est, vt vmbra pro substantia, somnia phantastica pro realitate à mundanis occæcatis apprehendatur: Hæc errorum in qualibet scientia est causa, imo vero in ipsa Theologia, quæ de DEI cognitione inprimis agit, vtpote quem in suis creaturis physicis cognosci ebuccinauerunt sacræ scripturæ: Quomodo igitur ad DEI cognitionem peruenire possumus, cum creaturarum ipsius causas ignoremus? Anne ad cœlum per scalam Iacobi ascendere est possibile, nisi per gradus elementares prius ascendamus? Moyses vidit DEI posteriora, hoc est, DEVM vidit in creaturis suis, & Psalmista regius dixit, *quod DEVM ipsum cognouerit per opera sua mirabilia.* Ad rectam ergo DEI cognitionem quomodo peruenire possumus, si eius opera atque creaturarum mysteria ignoramus? Anne completus quis in re Theosophica magister, qui in rebus meteorologicis & veris ac non phantasticis meteororum mysteriis est ignorans? Quid (ô theologi in vero physices arcano minime versantes) per has sanctæ paginæ assertiones intelligetis? *Nunquid* (inquit Iob) *mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent adsumus, Iob.* 38.35. Et Dauid, *qui facit angelos ventos & ministros suos ignem flammantem, Psal.* 104.4. Et iterum, *ascendit fumus per nasum Iehouæ, & ignis ab ore eius consumens, prunæ ardent ab eo, & demittens cælum descendit cum caligine sub pedibus suis, Insidens Cherubinis volat, volatque super alas venti, A splendore qui est ante eum nubes densæ transeunt, & emittens sagittas suas spargit eos, & fulgura iaculans fundit illos, Psal.* 16. Et alibi, *sternutationibus suis splendet lux, ex naribus eius prodit fumus, & ex ore flamma exit, Iob.* 41.18. & alibi, *Aperiet Iehoua thesaurum suum optimum cælos, dando pluuiam terræ tuæ, Deut.* 28.12. Et alibi, *Densæ nubes tugurium eius, Iob.* 22. Et alibi, *Densæ nubes vehiculum* DEI. Et alibi, *Nubem expandit DEVS pro tegumento*: *Psal.* 104. Et alibi. *Grandines & sonos edit Iehoua, Exod.* 19. Et alibi, *Glacies edit DEVS fortis flatu suo, Iob.* 27.9. atque ita in infinitum, si igitur meteororum mysteria ignoratis, & more Ethnico & falso Aristotelico & non sacrosancto intelligere vultis, quomodo DEVM & eius volun-

voluntatem recte colligere potestis? *Duobus dominis* (inquit Christus) syncere *inseruire non est possibile*, Qui igitur Aristotelem potius quam spiritum sanctum (qui teste sacra scriptura est Doctor Doctorum) in assertionibus sacræ paginæ contrariis se qui volunt, ad Diabolum ita sunt procliues, & tenebris obmersi, vt DEVM & eius lumen iis comprehendere sit impossibile. Nam ignorato DEO ignorantur omnia; nam Christus est omne quod est, astipulante testimonio sancto, & sine eo nihil. Moneo igitur syncere ætatum sequentium Christianos, vt Philosophiæ suæ intentionem (vtcunq; vanis Ethnicorum opinionibus seducantur luminis rebelles) à sacrarum literarum sensu minime diuertant atque detorqueant; Itaque quod contextui sancto dissentiens videtur, illud omne (vtcunque ab Ethnicis confirmatum) reiiciamus, ni cum poeta impio & detestando more dicere malimus. *Video meliora proboque, deteriora sequor*: sicquidem (quod certe in viro tali nec decens nec coram DEO suo honestum erat, *)Iohannes Velcurius* vir in Philosophia naturali famigerabilis admodum *cap. 6. lib. 3. Comm. Phys.* in hæc verba loquitur. *Non conueniunt plane sacræ literæ cum physicis de ortu fluminum & fontium, quæ ex mari per varios alueos meatusque fluere, ac ad suos fontes refluere Eccles. cap. 1. testatur, dicens, Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Cæterum* (inquit ille) *physici materiam dicunt esse vaporem resolutum in aquam, & liquefactum à frigore & calore simul intra terram.* Atque ita neglecta veritatis via falsas publice contra conscientiam suam de hac re, Ethnicorum opiniones recensere ac docere pergit, ac si nulla vera physices doctrina in Biblio sacro esset inuenienda. At vero nos hanc rem ad amussim magis tractantes, viam à Salomone de fontium origine expressam solummodo veram atque authenticam esse comprobabimus, illam vero Aristotelicam vanam, phantasticam, & solummodo veritatis similitudinem præ se ferentem, hocque ostendemus demonstratione oculari. Videlicet, quod fontium materia sit aqua realis, immediate à mari forma aquatica minime mutata, per meatus terræ occultos, ad eiusdem viscera penetrans, quæ admirabili aeris, diuino centraliter operante verbo, cum ea nexu, (virtute frigoris aerem vniuersum contrahentis, vel caloris pariter illum dilatantis & rarefacientis,) aut à centro terræ eius superficiem versus, vel viceuersa, à superficie centrum versus aut exaltatur, aut deprimitur. Quod quidem luculentissime à nobis *partis huius l. 3. cap. 3. De experimento nostro vniuersali* satis superque digito quasi est demonstratum, idque per rationem ascensus & descensus aquæ in collo matracei. Nam præsentia caloris quo magis intenditur ille, eo magis gradatim, rarefactione aeris inclusi, deorsum pellitur aqua in maris quasi seu terræ gurgitem, hoc est, in massam aqueam, at vero è regione frigoris dominio aqua illa à calore olim depressa, propter aeris contractionem atque condensationem, iterum eleuatur sursum in collum matracei, hocque sine vlla formæ suæ mutatione aut substantiæ aqueæ in vaporem (iuxta philosophorum Ethnicorum sententias) alteratione & tum demum iterum in aquam reductione; nam tametsi, fateor, facilius sit pro re leui, sursum attolli quam pro grauiori, tamen dicimus non esse contra naturæ leges ipsam aquam admirabili aeris à frigoris contractione (vtpote qui aquæ est vnione inseparabili contiguus) in altum eleuari, quemadmodum conclusionibus spiritalibus antea expressis luculenter demonstratum habetis.

Fontis igitur essentiam secundum Bibilij sacri intentionem, in hunc modum esse haud inconsulte describendam existimamus.


Fons est aquæ fluxus seu scatebra, à mari tanquam termino à quo, & terræ visceribus tanquam medio per quod, ad superiorem eiusdem superficiem, diuino per calidos actus effectu operante in spiritum mundanum verbo, vel ad hominis, & creaturarum ad hominis vsum destinatarum salutem & conseruationem, vel pœnam & destructionem producta. In qua siquidem descriptione nostra aquam causam fontis materialem, efficientem primariam verbum diuinum esse statuimus, & secundariam calorem, à verbi diuini virtute procreatum, & in aere seu spiritu mundano vndique dispersum. Denique finalem esse diximus vel ad creaturarum conseruationem, vel punitionem, pro velle diuino. In hac etiam fontium descriptione habetis originem aquæ ductus illius, videlicet mare, vtpote, quod est primarius fontium & fluminum fons & scaturigo, & motum localem, qui fit per venas & poros ipsius terræ, quousque ad exitum seu visibile fontis initium fuerit peruentum, quas omnes huiusmodi descriptionis particulas seu membra nostrum est probare, & sanctarum literarum testimoniis statuminare.

Ad causam igitur fontis materialem, quam aquam esse diximus quod attinet, expressis verbis (etiamsi oculari experientia hoc non esset indicatum) à sapiente traditum habemus: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt reuertuntur, vt iterum fluant.* Ex quibus sat liquido apparet, quod causa fontis materialis sit aqua & non vapor, quoniam omnia flumina perennia sunt à suis fontibus, quod motus aquæ fontis à mari ad mare sit circularis, & quod medius eius motus sit per terram. Quod autem DEVS sit præcipua causa fontes efficiens, habemus ex multis aliis scripturarum sanctarum locis: Nam ibi dicitur: *Qui emittis fontes per valles, vt inter montes ambulent, Psal.* 104. & alibi, *cum roborauit Iehoua fontes abyssi sapientia erat cum eo, Prou.* 8.28. & apud Iobum hæc scripta reperimus: *In rupibus diffindendo efficit riuos: & à fletu flumina obligat, Iob.* 28.10. vbi DEVM non modo fontium & riuorum (qui à fontibus ortum habent) authorem facit, verum etiam alia ipsius

proprietate eum depingit, dum dicit: *pro velle suo eos tollit, ac desiccat*, Ac si quis diceret, DEVM in calida & æstuante sua virtute aera dil:tantem, esse causam obligationis fontium & consequenter fluuiorum à fletu, hoc est, à l:quiditate & fluiditate sua, at vero in frigida ipsius proprietate ipsos in altum surgere & rapaciter fluere facit. Denique, quod causa fontium & fluminum finalis sit tam ad creaturarum consolationem quam castigationem ex eo colligimus, quoniam apud Psalmistam regium loco antea allegato scriptum legimus, *Qui emittis fontes per valles, vt inter montes ambulent, & potum præbeant omnibus animantibus agri, frangant Onagri sitim suam: Iuxta illos volatilia cæli habitant, è medio frondium edentia vocem, Qui irrigat montes è cænaculis suis, & à fructu operum tuorum satiatur terra, faciens vt germinet fœnum ad iumenti, & herba ad hominis vsum, vt depromant cibum è terra. Psal.* 104.10. Hic ergo causam finalem videtis à Propheta regio ad creaturarum beneficium explicatam. Quod autem aliquando fontes & flumina ordinentur ad creaturarum ruinam hominumque perditionem legimus alibi, Nam ad destructionem omnis creaturæ dictum est, *quod fontes abyssi magnæ & Cataracta cœli se aperuerint, & erat pluuia* 40. *dies &* 40. *noctes. Gen.* 7.11. Et alibi dictum est, *quod DEVS propter malitiam habitantium terræ redigat desertum in stagnum aquarum, & terram siticulosam in processus aquarum, Psal.* 107.33. Denique quod mare sit origo à qua fontes omnes & consequenter flumina omnia deriuentur ex verbis hisce sacri Biblii colligere fas erit. *Dixit DEVS, congregentur aquæ quæ sunt infra cælum in locum vnum vt conspiciatur aridum, & ita fuit, & aridum vocauit DEVS terram, congregationem vero aquarum vocauit Maria, Gen.* 1. Vnde liquet, quod mare sit locus primitus in creatione ordinatus aquarum in genere omnium, vnde necesse est, vt omnes aquæ particulares iuxta Salomonis sententiam ab eo procedant. Sed & hoc est argumentum omnium validissimum ab ipso sapiente allatum, videlicet, *quoniam omnia flumina intrant in mare & mare non redundat*, quare luce meridiana clarius est hinc, quod è mare effluxerit omne illud aquæ quod è fontibus & fluminibus in mare est ingressum.

Ad fontium temporaneorum generationem quo d. ttinet, verbo quidem ex membris suis, in diuisione præcedente, vnde sit, in dicatum habetis, videlicet aut à nimia pluuiarum copia, aut à niuium liquefactione.

Relatiuum ad Microcosmum.



Cap. XII.

Particula secunda, de fluminum riuorum & torrentium origine.

4\. Cataractes seu fluxus aquarũ in suis alueis, est varius, vtpote qui est vel

- flumen--- Ex multis aquis
- Riuus--- Ex aquis paucioribus.
  - Atq; huiusmodi fluxus perpetuo fluunt velà
    - Montibus altis vt plurimum,
    - Conuallibus humilioribus, sed rarius.
- Torrens quì fortuito fit ex niuibus vel imbribus multis. Atque hic non est perennis habetque vel
  - Exitum manifestum à terra, illumque vel
    - Naturalem,
    - Violentum, cum scilicet fortuito à terra erumpit aut distillat aqua,
  - Exitum nullum apertum atque hic fluit vel magis
    - Copiose à montibus in profundam conuallem seu cauitatem vndique montibus circumseptam cuiusmodi est stagnum, lacus, &c.
    - Parce in terra tã excelsa quã humili, vel ratione
      - Externa, videlicet à fossura, seu violẽta terræ seu mõtis conquassatione, vel eruptione vti in fodinis metallicis plerunque accidit,
      - Interna, cum nempe aqua superficialiter sub terra serpens, illam sensim corrumpit, spongiosam, limosam atq; paulatim tumidam reddit, cuiusmodi est palus seu terra palustris & paludosa, tuberibus obsita.

Multa hac in particula de locali aquarum variarum fluendi ratione, simul atque de ipsarum origine proferre non est opus, quoniam testantur sacræ literæ contra Peripateticorum intentiones, *flumina omnia à mari recedere & in mare reuerti*, vnde certum est, quod manifesta fluminum origo seu scate-

ſcatebra ſit fons, vel potius à pluribus fontibus: vt Riuus ab vno communiter vel paucioribus. Breuiter ergo hoc in loco ſecundum Biblii ſacroſancti doctrinam quid ſit flumen, quid Riuus, quidque torrens paucis declarabimus.

Flumen eſt plurium aquarum à mari quaſi fonte primordiali per terræ viſcera ſurſum à fontium cauernis fluentium, & ab iis mediantibus riuulis multis, virtute diuina, in alueum vnicum manantium congregatio, ad voluntatem creatoris, tam malefice quam benefice in terris præſtandam ordinata, cuius aquæ finito ſuo negotio ad locum ſuum mare ſcilicet, vnde exiuerunt, reuertuntur.

In qua quidem fluminis deſcriptione videtis cauſam eius materialem eſſe aquam, & in forma ſua eſt fluidum, & alueis ſuis contentum, efficiens vero eſt virtus diuina, videlicet ipſa ſapientia, mediante qua dictum eſt *Iehouam roboraſſe fontes, Prou.* 8.28. à quibus flumina videntur ſcaturire. Porro & in Eccleſiaſtico ſcriptum habemus. *Ego ſapientia effudi flumina, Eccl. c.* 9.14.40. Cauſam denique eius finalem ad voluntatem creatoris vel in puniendo vel benefaciendo perficiendam eſſe declarauimus, quod etiam à ſacro fonte hauſtum habemus, vel ſcilicet auferendo fluminum ſalubrium beneficia, propter habitantium impietatem. Vnde dictum à Propheta. *Deficient flumina, attenuabuntur & deſiccabuntur riui aggerum, nudabuntur aluei riui à fonte ſuo, Iſai.* 19 6. Et alibi. *Percutiet dominus ab alueo fluminis vſque ad torrentem.* Et alibi, *Ego exiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum, Iſ.* 27.12. Et alibi, *flumina tua areſaciam, Iob.* 37. Et apud Ezech. inuenimus hæc. *Faciam alueos fluminum aridos & tradam terram in manus peſſimorum, Ezech.* 30.12. Vel præter naturæ leges eius aquas multiplicando. Hinc Rex Dauid. *Redegit flumina in deſertum, & proceſſus aquarum in ſiticuloſum ſolum, propter malitiam inhabitantium in eo, Pſal.* 107.33. Denique quod fluminum & riuorum fons vniuerſalis ſit mare, à quo & in quem tranſit, teſtatur ſapiens *Eccl.* 1. ac fontes in terra particulares ſunt ſecundariæ, inprimis riuorum & tum poſtea fluminum origines. quoniam riui immediate non aliter à fontibus terræ oriuntur, quam flumina à riuis. Hinc dicit Propheta. *Nudabitur alueus riui à fonte ſuo, Iſa.* 19.7. Quod denique multi riuuli concurrant ad vnius fluminis compoſitionem etiam experientia oculari docemur.

Riuum igitur deſcribimus eſſe aquarum viuum & permanentem fluxum, immediate à fonte vnico vel plurium fonticulorum ſcatebris exilientium, qui tum poſtea in fluminis cuiuſdam alueum deſcendit, vnumque cum illo eſt factus.

Huius deſcriptionis membra ita cum illius præcedentis artubus concatenantur, vt eadem ſit vtriuſque ratio, quippe riuus ita ſe habet ad flumen vt pars ad totum, vel caput ad corpus.

Ad torrentis denique diſpoſitionem quod attinet, differt quidem ille à flumine & riuo, cum ortu, tum durationis tempore; nam vt illa duo oriuntur à mari, & ab aquis à terræ penetralibus ad fontes ſcaturientibus, & conſequenter vt plurimum ſunt perennia; ita quidem torrens materiam ſuæ fluxibilitatis à nubibus, pluuiis ſcilicet & niuibus percipit, & de huiuſmodi fluxus ſpecie mentionem faciunt ſcripta ſancta multis in locis, vbi agitur de torrente *Arnon. Zared. Ciſon. Beſor. Cedron. Gaas. Carith Mambre &c.* Quod denique ſit magna atque diſtincta inter hæc tria diſcrepantia docemur per hæc verba. *Extende manum tuam ſuper aquas Ægypti & ſuper fluuios & riuos & torrentes & paludes & omnes lacus aquarum.*

Relatiuum ad Microcoſmum.

- Flumini ſeu riuo vtpote qui naturaliter & perpetuo fluunt à ſuis fontibus videlicet à
  - Renibus quaſi fontibus per vreteres quaſi riuos ſeu flumina in veſicam quaſi mare, ſubſtantia cuius fluxus eſt ſeroſus.
  - Ventriculo quaſi fonte per inteſtina & venas meſſeraicas vices fluminis ſeu riuulorum ferentes ad Hepar. atq; huius ſubſtantia eſt chiloſa.
  - Hepate quaſi ſcatebra per ramum ſplenicum more fluuii in lienem, & per venam cauam in partes carnoſas, atque huiuſmodi fluxus, conſiſtentia illius ſcilicet ad lienem fluentis eſt limoſa & terreſtris, illius vero percauæ truncum permeantis eſt ſanguinea.
  - Corde, quaſi fonte, & per truncum aortę quaſi fluminis alueum, cuius ſubſtantia eſt ſubtiliter ſanguinea & valde ſpiritualis.

Cata-

- 4. Cataractes seu fluxus varius in corpore humano comparatur vel
  - Torrenti qui fortuito à niuibus & imbribus subito ortus non est perennis, atque istiusmodi fluxus fluit in corpore vel
    - Cum exitu è corpore
      - Naturali, cuiusmodi fluxus fit vel
        - A cerebro catarrhis onerato, idque per
          - Oculos,
          - Nares,
          - Os,
          - Pulmones,
          - Ventriculum,
        - Ab hepate cum illo debilitato aqua egreditur per
          - Meatus vrinarios,
          - Poros.
      - Violento videlicet carnes & cutim perforando in quolibet mẽbro, qualis accidere solet in
        - Hydrope.
        - Fistula lacrymali laborantibus.
        - Defluxiones patientibus.
    - Sine exitu è corpore, fluitque
      - Tam ab Hepate quam liene debilitatis, hocque fit vel in
        - Totum corpus, & generat Anasarcam & Leucophlegmatiam.
        - Partes, vtpote in abdomen, crura ac tibias & pedes vt Ascites.
      - Quam à peculiari defluxione humorali, orta vel à causa
        - Externa vnde tumores membri
          - Contusione,
          - Luxatione,
        - Interna vnde apostemata cuiusmodi sunt
          - Oedema.
          - Scrofulæ,
          - Mola,
          - Phlegmon, &c.

De his rebus fusius dilatare, & subiecto præ manibus occupato, onerosum & fortasse lectori tædiosum foret, vnde propositum nostrum persequemur.

Cap. XII.

Particula tertia.

De visibilibus Macrocosmi meteoris simplicibus tenebrosis, consistentiæ terreæ.

- Meteora Macrocosmi visibilia simplicia & tenebrosa sunt duplicia, videlicet
  - Cœlo descendentia, quorum alia sunt
    - Inanimata
      - Pinguia & liquibilia, vt Manna,
      - Sicca, atque ea vel
        - Compacta, & in vnum conglomerata, vt lapis fulminaris.
        - Dispersa, vt puluisculus è cœlis descendens.
    - Animata
      - Vermes,
      - Pediculi,
      - Ranæ,
      - Aues,
  - Terra exurgentia. Vide V.

De Manna.

TAm Ethnici quam Chriſtiani in Philoſophia ethnica verſati ſunt faſſi, quod mannæ ſubſtantia
ſit ros quidam mellitus à cœlo deſcendens, ſed tamen etiam eiuſdem roris originem (phanta-
ſias ſuas propria voluntate imaginaria vane fouentes) terram & aquam videlicet à vapore præpin-
gui & viſcoſo, ex commixtione aquę & terræ ſimul atq; aere ex interioribus elementis exhalato eſſe
affirmant qui congelatione recidit ſuper plantas, inſtar ſacchari aut farinæ prædulcis. In qua ſua o-
pinione fundamenta & baſes ſuæ Philoſophiæ vtcunq; erroneas ſemper ſtatuminare videntur, viſi-
bilia quidem ex viſibilibus & non inuiſibilibus deducentes, cum res è regione iuxta ſacri ſcripti teſti-
monium ſe habere videatur, quo docemur (vti ſæpius eſt antea allegatum) quod per fidem creden-
dum ſit, quod res viſibiles fuerint prius ab illis inuiſibilibus: Dicimus ergo Manna eſſe denſam Me-
teori ſpeciem, ex aere cæleſti madore perfuſo incraſſatione procreatam. *Nonne*, inquit quidam Philo-
ſophus egregius, *conſidera obſecro ſimplicem aquæ nubem: Ecquis vnquam crederet, illam in ſe continere omnia
quæ mundus habet, lapides duros, ſalia, aerem, terrã, ignẽ, & tamen ſimplex per ſe apparet aqua?* Hæc ille. At vero
in locis antea prolatis, nos luculenter ſatis probauimus rationib. ſacro Biblio ſtatuminatis, vapores
& nubes aquasque earum à ſimplicis aeris condenſatione formatas eſſe & in mundum productas.

Nos igitur Manna juxtà ſancti teſtimonii leges in hunc modũ eſſe deſcribendum exiſtimauimus.

Manna eſt pinguida aeris ſubſtantia, quæ janius cœli apertis, & theſauro diuino patefacto, è nu-
bibus, mandato diuino, more roris vel pruinæ in ſpeciem minutam, & ad inſtar ſeminis Coriandri
albi rotundam, ſuccreſcendo, in terras, ad voluntatem creatoris exercendam, deſcendit.

Vel ſic,

Man eſt panis cæleſtis, cæli triticum, eſca ſpiritualis, cibus angelorum, ac ipſum verbum ab ore Ie-
houæ prodiens, & à cœlo ac nubibus, in modum pluuiæ roſcidæ, aut ſimul cum rore cæleſti, aut ſu-
per rorem, in ſuperficie terræ, virtute diuina deſcendens, in forma minuta & rotunda, ad pruinæ
gibboſæ aut ſeminis coriandri ſimilitudinem, in duritiem, ibi concreſcens, vt loco cibi vel nutri-
menti, atque etiam medicamenti eſſet hominibus.

In priori noſtra deſcriptione expreſſam habetis cauſam Mannæ materialem, quatenus ibi loci de-
ſcribitur eſſe pinguida aeris ſubſtantia, deinde formalis in eo exprimitur, quod in ſpeciem minutam,
& inſtar ſeminis coriandri rotundam, ſuccreſcere dicitur. Tum poſtea cauſam eius efficientem de-
clarauimus eſſe mandatum diuinum, hoc eſt, virtutem & verbum. Denique finalem deſcenſus ſeu
generationis huius occaſionem affirmamus eſſe ad voluntatem creatoris exercendam. Quæ omnia
deſcriptionis huiuſce noſtræ membra particulariter ex ſacroſancta pagina hoc modo confirmata
habetis. Nam ad cauſam materialem quod ſpectat, Inquit DEVS ad Iſraelitas, *Ecce ego pluo vobis panem
de cœlo, Exod.* 16.4. Et alibi, *panem cœleſtem dedit iis vt veſcerentur, Ioan.* 6.31. Et alibi, *mandauerat nubibus deſu-
per & ianuas cœli aperuerat, & pluerat ſuper eos Man.* Quibus ſat liquido declaratur, ipſius Man materiam
eſſe compoſitione aerea, quoniam per vocabulum cæli aer intelligitur, vtpote qui eſt locus nubium,
quibus mandauerat Iehoua: &c. Vnde arca Mannæ theſauraria, in qua reſeruatur, & ex qua quoad
ſubſtantiam conflatur, eſt ipſe aer. Forma etiam hiſce verbis explicatur, *Mane autem fuit deſcenſio roris
circa caſtra, & ceſſauit deſcenſio roris, & ecce in ſuperficie terræ minutum rotundum, vt pruina ſuper terram, Exod.*
16.14. Et alibi: *Man erat tanquam ſemen Coriandri album, & eius ſapor velut cruſtuli melliti:* Et alibi: *Erat
eius ſapor tanquam ſapor humoris præſtantiſſimi ex oleo, Num.* 11.7. Porro cauſa eiuſdem efficiens ſeu creans
ex his verbis confirmatur. *Ego* (inquit Iehoua) *pluo vobis panem de cœlo, Exod.* 16.4. Et alibi, *Mandauerat
nubibus deſuper & ianuas cœli aperuerat, & pluerat ſuper eos Man.* Denique huiuſmodi meteori finis ibi
explicatur vbi dicitur: *Cibauit te cum Man vt notum faceret tibi non ſolo pane viuere hominem ſed omni eo, &c.
Deut.* 8.3. Et alibi, *Cibo angelorum populum tuum refeciſti, ac pane omni pollente voluptate, omnique guſtui accom-
modato, Sap.* 16.20. Et alibi, *Panem cœleſtem dedit iis vt veſcerentur, Ioan.* 6.31.

Concludimus igitur, quod præter hæc omnia, locum generationis iſtiuſmodi diuini alimenti,
in dicta noſtra deſcriptione habeatis, videlicet, quod ianuis cæli apertis, & theſauro diuino patefa-
cto è nubibus deſcendat. Nam ſcriptum eſt, *Ecce pluo vobis panem de cœlo. Exod.* 16. Et alibi. *Mandauerat
nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuerat, & pluerat ſuper eos Man, Pſal.* 78.25.

In poſteriori etiam quatuor huiuſmodi meteori cauſas exacte explicatas habetis. At materialis il-
la abſtruſo more explicatur, per panem triticumq; cæli, perq; eſcam ſpiritualem, cibum angelorum,
imo vero & per verbum materiale: cuius cauſam efficientẽ efficimus ipſum Iehouam. Locus vnde
depromitur, eſt cælum & nubes, modus emanationis indicatur, & ſimul etiam cauſa formalis: Vide-
licet, quod in modum pluuiæ roſcidæ, aut ſimul cum rore cœleſti, aut ſuper rorem deſcendat in ter-
ræ ſuperficiem, in formam minutam & rotundam, ad pruinæ gibboſæ aut ſeminis Coriandri ſimili-
tudinem in duritiem concreſcens. Denique cauſa eius finalis ibi explicatur in eo, quod loco tam cibi
atque nutrimenti, quam medicamenti hominibus inſeruiat.

At ſcio permultos fore, qui obiicere minime hæſitabunt, Man illud à ſacris ſcripturis allegatum,
mediante quo Iſraelitæ fuerunt nutriti in deſerto, fuiſſe miraculoſum quiddam & minime naturale,
& con-

& consequenter prædictam descriptionem nullo modo Mannæ naturali, cum rore quotidie magis minusue descendente, conuenire asserent. Quibus & ego veraciter respondeo, quod substantia & forma vnius minime ab illa alterius discrepet, licet illud aliter (secundum creatoris placitum) quam hoc ordinatum atque præparatum videamus. sic quidem & coturnices quas DEVS in castra vbertim Israelitarum nutriendorũ causâ misit, à cæteris substantia & forma minime discrepabant, quãuis diuinitus in locum illum fuerint introductæ, atq; ad Israelitarum sustentationem ordinatæ. Et certe si quis cognosceret, Man de cœlo communiter cum rore, & præcipue Majali atq; etiam æstiuali decidens, rite colligere, atque nucleum deponendo præparare, credo ego, ipsum sibi rem auro & gemmis longe pretiosiorem cõparaturum, balsamumq; vitæ præstantissimum possessurum; nam ita à viris in mysterio diuino peritissimis sum instructus. Atque huiusmodi Manna ita præparatum, atq; à suis extraneis dispoliatum (occultum faciendo manifestum, & manifestum occultum) tum dicitur Manna absconditum, quod in Apocalypsi promittitur vincenti, vtpote in quo cœlestis gratia, & vis quinta, radiis increatis vndique diffusa copiose abundant. Sicquidem videmus, hominem externum habere in se suum internum seu spiritualem hominem, qui est templum Spiritus sancti. Sic etiam dictum est, *Spiritum incorruptibilem esse in omni re, Sap.12.* Sed tum magis traditur in vna re abundare quam in altera, sic *Christus* dicitur *omne & in omni.* Sed ob peccata nostra est in suis creaturis crucifixus, seu potius ligatus & incarceratus, at si nos tanquam boni Iudæi & veri Israelitæ, possemus ligare Barrabam & liberare Iesum, contra pessimorum Iudæorum consuetudinem, qui ligauerunt Iesum & liberauerunt Barrabam, tunc cognosceremus reuera Iesum in sua essentia: & vnum fieremus cum illo ; & inter DEI electos numeraremur, iuxta illud Euangelistæ, *Ioan.1.*

Quod autem ad descriptionis nostræ vltimæ probationem attinet, sic in sacra pagina scriptum habemus; *Cibauit te cum Man, vt notum faceret tibi, non solo pane viuere hominem sed omni eo quod prodit ex ore Iehouæ, Deut.8.3.* Vnde liquet, quod Man procedat immediate ex beneuolo Iehouæ afflatu: Sic etiam fertur, *quod nubes superiores sapientia stillent rorem, Prou.3.20.* & quod *sapientia sua aptet pondus aeri, Iob. 28. 25.* Sic dicitur, *Quod flante DEO concrescat gelu. Iob.37. Et quod verbum efficiatur à vento procelloso, Psal.148. &c.* Porro etiam legimus, *quod panem cœlestem dederit iis, vt vescerentur, Ioh.6.31.* Et alibi *mandauerat nubibus desuper, & ianuas cœli aperiebat, & pluerat super eos Man ad comedendum, & triticum cœli dederat eis, Psal. 78.25.* Et alibi. *Omnes eandem escam spiritualem ederunt, 1.Cor.10.* Quibus sat liquido constat, quod vltima Man descriptio etiam à testimonio sacro confirmata habeatur.

De Lapide Ceraunio seu fulminari.

LApis fulminaris, dictus etiam lapis Ceraunius, atque telum fulmineum, est res in natura admiratione digna, de cuius ortu quidem hæsitauerunt veteres, nec quidem re paulo accuratius considerata, quicquam magni momenti scripsere Peripatetici, imo vero tantæ profunditatis ipsum inuenerunt philosophi mentis sanioris, tam antiqui nonnulli quam recentiores, vt etiam istiusmodi meteororum originem (consideratis iterum iterumq; admirabilibus ipsorum proprietatibus) à summo DEO potius, quam Naturæ artificio immediate prouenire opinati sint. Hinc igitur est, quod Aristoteles cum sua schola (qui huius meteori rationem naturalem super sua fundamenta fabulosa stabilitam reddere nituntur) tota via in ipsius descriptione errare animaduertãtur, vtpote quorum est sententia, lapidem fulmineum esse exhalationem sulphuream, cum quadam terrestri & minerali seu metallari materia simul mixtam, & in massam vnicam, in nube plerunq; viridi & nigricante, redactam, quæ ab humore circumfuso conglobatur, & instar farinæ cum aqua in vnum congregatæ conglutinatur, atque à superueniente intensissimo calore, partim ex sole & stellis, hoc est, virtute influentiarum, partimque per antiperistasin more laterum, à lutosa sua dispositione in lapidem durum & firmum transformatur, & violento ignis nube inclusi impetu deorsum pellitur.

In qua quidem ipsorum descriptione causam lapidis materialem fecerunt exhalationem fulguream seu sulphuream cum materia quadam terrestri minerali seu metallari mixtam, & in massam vnicam redactam, ac si dixissent; materiam teli fulminaris esse densiorem & magis compactam, & terrestrem partem exhalationis illius, quæ è terra in mediam aeris regionem vi solari fuit eleuata. Deinde formam ipsius in eo explicauerunt, quo dicunt, limosam hanc massam in lapidis duri speciem fuisse virtute caloris transmutatam, more laterum: Denique causam istiusmodi efformationis efficientem posuerunt esse occultas cœli influentias, videlicet calorem stellarem.

Ad opinionem Peripateticorum, de lapidis fulminaris materia quod spectat, videtur illa esse erronea, & sacræ paginæ legibus minime conueniens; nam (vti in præcedentibus vbertim est explicatum) Deus solet nubes & consequẽter omne id quod est ex nubium substantia ex aere seu cœlo producere, & non à terra, imo vero, ipsa terra hæc magna, quem videmus, est quasi aquarum fæx seu siccior pars, iuxta illud D.Petri (sæpius ante allegatum) *cœlum & terra erant prius ex aqua & per aquam mediante verbo.*

Quare liquet, tam ipsas nubes quam ea quæ in eius ventre, iuxta illud Philosophi, procreantur

antur videlicet salia, lapides, caro, sanguis, & omnia quæ in mundo reperiri possunt, ex aqua originaliter tenui fieri. At vero ipsam nubem expressimus ab aere seu cœlo esse ortam & non à terra, quod etiam à scriptis diuinis sic confirmatur. *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo, Ex. 28.12.* Non dixit Aperiet terras, sed cœlum id est aerem, ac si dixisset, Aperiet Iehoua viscera seu occultam aeris matricem, faciendo occultum aeris manifestum: quod etiam visibilia omnia fuerint prius inuisibilia nos docet Apostolus loco superius allegato. Vnde liquet, quod non modo aqua visibilis, verum etiam terra, & consequenter lapis, qui est grossior aquæ portio, sit à spiritu inuisibili, qui est aqua spiritualis: De causa eorum formali nihil hoc in loco dicam, vtpote quæ oculari experientia cuilibet fere est cognita. At vero causam efficientem dicimus esse erroneam ac falsissimam, quippe literis sanctis oppositam. Ipsi ergo volunt, Calorem Solis & stellarum meteoron hoc perfecisse. At vero Biblium sacrosanctum hoc opus non creaturis, sed creatori immediate assignat, qui, quãuis in sole posuerit tabernaculum suum, non tamen ibi inclusiue habitat, quatenus vbique præsentialiter habitat, & omnia implet, & vbique agit pro voluntate sua. Nam ipse qui est fons æternus luminis, est consequenter actus, motus, & caloris origo, tam in stellis quam in vniuerso mundo. Vnde dicit D. Iohannes *Cap. 1. Ab eo omnia sunt facta, & sine eo nihil, in eo erat vita,* & alibi: *Spiritus DEI incorruptibilis est in omni re. Sap. 12.* Dicimus ergo, Deum Iehouã esse tam mediatã quam immediatã causam efficientem rei tanti momenti, vtpote qui est *Alpha & Omega,* inter cuius actus priores & posteriores nõ est in essentia distinctio aut separatio, quoniã vt ille est permanens in se, ita etiam & eius actiones sunt permanentes. At (boni mei Peripatetici) si illud verũ esset, quod cœli seu stellarum influentię, authores essent istiusmodi fulgurei meteori, scirem libentissime, an fuerit in mundo tonitru ante cælorum exercitus creationem nec ne? Et tamen DEVM per tonitru loquutum esse etiam in principio creationis mundi, facilime ex sacrarum literarum sensu colligere possumus, per loca à nobis paulo inferius alleganda, vbi de tonitru mentio erit facta; vnde sequitur, quod istiusmodi opinio non bene constet. Et quamuis ab Astrologorum peritioribus experientia doctis sit comprobatum, quod post nonnullos planetarum quorundam aspectus tonitrua audiantur, non tamen sequitur, illud necessitate consequi, quoniam huiusmodi effectus semper talibus planetarum aspectibus succedere minime obseruamus. Nam in DEI potestate est, cui solummodo datum est, pro voluntate sua agere, quandoq; scilicet planetariis suis instrumentis, vultum videlicet suum è solari suo tabernaculo in hunc vel illum vel plures simul dirigendo, quandoque mediantibus ventis suis, quorum est imperatori suo obedire, atque hoc sæpicule fieri obseruamus, nulla causa cælesti euidenter præeunte, nonnunquam spiritibus & dæmonibus igneis seu aqueis, mandata creatoris perficientibus, & infinitis aliis modis occultis, quos Astrologo vtcunque peritissimo explorare foret impossibile. Quomodo autem & quibus mediis operetur DEVS, ad meteora in mundum producenda, infra, vbi de causa efficiente naturali tractatur, verba quidem luculenta facere nobis proposuimus.

Quid denique sit lapis fulminaris ex intentione sacrarum literarum breuiter sic accipiatis velim.

Telum fulmineum est jaculum seu sagitta lapidea, quæ instar ignei carbonum halitus, ab ore Iehouæ, velut tædarum transeuntis accenditur, & è nubibus, vel ad publicam impiorum pœnam, vel in occultum terrigenorum beneficium deorsum emittitur.

Quod autem sit jaculum, sagitta & telum Iehouæ lapideum, ex his locis colligimus, *Tonabit de cœlo Iehoua, & excelsus dabit vocem suam, misit sagittas suas, & dissipabit eos. fulgurauit & consumpsit eos, 2. Reg. 21.* Vbi manifestum est ipsum per sagittas tela fulminaria intellexisse, quoniam de fulgure postea loquitur: Similiter alibi, *Iehoua descende, inclina cœlos tuos, & tange montes vt fument, & emitte fulgura tua & disperge eos, emitte iacula & funde eos, Psal. 144.5.* Porro dictum est alibi, *procedunt directe tela fulgurum ex nubibus tanquam ex arcu bene in orbem adducto, &c. Sap. 5.22.* Præterea alibi lapilli sunt dicti Iehouæ. Quod autem ad formam ipsius attinet, vbi dicitur, quod instar igneorum carbonum halitus ab ore Iehouæ, veluti tædarum transeuntis, accendatur: istiusmodi testimonio confirmatur. *DEI sternutationibus* (inquit Iob) *splendet lux & quidem oculorum eius velut tædis prodeuntibus, & quasi halitus eius carbones accenderent, & flammæ ex ore eius prodirent. Iob. 41.18.*

Porro etiam ab his jam antea recitatis liquet, qualis sit causa eius efficiens, videlicet ipse Iehoua per halitum suum æstuosum & coruscantem. Denique finis eius in istiusmodi definitione explicatur, videlicet ad rebellium punitionem, Vnde dictum est: *Emitte jacula & funde eos, Psal. 144.* Et alibi, *Misit sagittas suas & dissipauit eos, 2. Reg. &c.*

At ne quis insulse replicaret, verba hæc ante allegata de tonitru diuino & minime naturali fuisse à sacra pagina prolata, respondemus, quod de omni tonitru possit hoc intelligi, vtputa sine qua causa efficiente nec secundum naturæ ordinem, nec contra naturæ leges potest aliquod meteoron, imo vero nec quicquam in rerum natura de nouo produci, quemadmodum in capite de tonitru & fulmine mentionem quidem ampliorem faciemus.

De


De puluere à cœlo descendente.

Istiusmodi meteori materia ab illa fulminaris teli minime differt; at vero forma sunt differentes, vtpote quorum huius substantia est solida & compacta, illius vero in partes infinitas dissipata. Causa vero efficiens est eadem cum priori, videlicet DEVS Iehoua, atque etiam finis vindicans est, videlicet pro peccato rebellium. Hinc inquit Moyses. *Efficiet Iehoua vt terra tua sit puluisculus, seu puluis è cœlo descendet super te donec exscinderis, Deut: 28, 23.*

De vermibus, pediculis, auibus & ranis.

HÆc meteora etiam monstrosa simul atque sanguis è nubibus quandoque descendunt, ob peccata hominum, de cuiusmodi meteororũ aduentu tam scripturas sacras quam alios authores plenos reperietis, imo vero & experientia, licet rara, hæc illa confirmata habetis: ex quibus sat euidenter intelligere possumus, quod aer (qui est aqua inuisibilis) aptus sit, in quamcunque naturam secundum dispositionem diuinam conuerti, videlicet in vermes, pediculos, aues, ranas, sanguinem, &c.


Relatiuum ad Microcosmum.



Quicquid dici potest de cœlo vel terra Macrocosmi, tam in malam quam bonam partem, hoc totum etiam de corpore & spiritu Microcosmi potest intelligi, quod etiam & à Pico Mirandulano luculenter declaratur, vt & ex comparatione iam inter vtrunque mundum, per diuisiones vtrasque immediate præcedentes, peroptime demonstratum habetis.

Cap. XII.

Particula quarta de visibilibus Macrocosmi meteoris tenebrosis à terra exurgentibus.



Relati-

Relatiuum ad Microcosmum.

- K. Meteora Microcosmi tenebrosa, è terra visibiliter exurgentia sunt
  - Fumus lentus & grossus, atque huiusmodi est vel
    - Terrestris fuliginosusque atque obscurus, corporis seu terræ humanæ dispositionem externam in nigredinem tingens, vt in morphea nigra, & icteritia nigra, & aliis cutis infectionibus maculosis videre licet.
    - Viscosus & aqueus seu humoralis, in naturam Vegetabilem concrescens & conuersus, vt in vlceribus tuberosis, & in molis, atque carnis superbæ & superfluæ atque spongiosæ excrescentia exprimitur.
  - Terra solida fumis altera suntque vel
    - Plana
    - Tuberantia
    - Eaque vel
      - Longa præparatione alterata vti est fumus per carnes dispersus vnde fit, vt caro quandoque sit
        - Salsa & tamen est apta ad
          - Pruritum,
          - Scabiem,
          - Serpiginem,
          - Impetiginem,
          - &c.
        - Colerica estque apta ad
          - Inflammationes,
          - Erysipelas.
        - Ad calcis dispositionē inclinata vt in
          - Tophis
          - Podagragypsia
        - Ad duritiē saxeam prona, estque apta cōuerti in
          - Nodos osseos,
          - Verrucas,
          - Tumores duros & gibbosos.
      - Subito & violenter vt caro
        - Sulphurea & adusta seu mortificata producens
          - Gangrænam,
          - Cancrum.
        - Sale & fumis salsis exiccata & rugosa facta, & producit
          - Psoram,
          - Alopeciam,
          - Porriginem,
          - Lepram.


De terra salsa & fumis salsis, exiccata simul atq; terra sulphurea & adusta, in Macrocosmo mentionem facit scriptum sacrum pluribus in locis. Nam *Psal.* 107.34. *redigit terram fructuosam in salsuginosam, propter malitiam hominum habitantium in ea*, Et alibi, *Onagro disposuit pro habitaculis suis salsuginosam terram, Iob.* 39.9. Similiter in Microcosmo Lepra, eius ortus, forma, & materia pluribus in locis describitur. Sic etiam Porrigo *Leuit.* 13. & 14. Sphora *Leuit.* 20.20. Prurigo *Deut.* 28.27. Scabies *Deut.* 27.28.

rescentia manus 1. *Reg.* 13. Porro etiam terræ Sodomæ & Gomorrhæ meteoron sulphureum in Macrocosmo, & Pestis vbique in literis sanctis atque *Deut.* 29. Vrigo *Exod.* 28. &c. Præterea dictum est, *sulphure & Sale exusta est terra eius, neque seri neque pullulare potest, neque prouenire in ea vlla herba*: Similiter in Tabe & aliis morbis adustis & salsis in hominibus, à Moyse contra Israelitas pronunciatis *Deut.* 28. hoc idem accidit.

Cap. XII.

Particula quinta.

De Meteoris Macrocosmi tenebrosis, invisibilibus seu occultis.



Relatiuum ad Microcosmum.


TAm admiranda est illa inter Macro & Microcosmum relatio, vt eædem videantur res specie cum vtroque conuenire. Nam vt videmus in terræ motu, vel totam eiusdem congeriem, vel illius

lius partem vibrari & contremiscere, ita etiā in terra seu corpore humano hæc eadem tam in membro aliquo particulari, quam in eiusdem toto accidere solent. Atque ita de cæteris vtriusque mundi meteoris est dicendum, quorum correspondentiam ad inuicem breuitatis & methodi certioris gratia in tabulas seu membra sua distinximus, quo lector facilius discernere queat, excellentem illam concatenationem atque similitudinem, quæ est inter hæc duo corpora: procedimus ergo ad meteora Microcosmi tenebrosa visibilia.

Meteora microcosmi tenebrosa inuisibilia & occulta sunt fumi
- Grossi & cōpacti vel ex
  - Corrupta locorum dispositione producti, suntque
    - Terrestres
      - Corporis tremores facientes
        - Tam diuturnos, Quam repentinos,
      - Ex antris quasi & cauitatibus male sanis exhalantes vel è
        - Cordis cameris, vt in peste.
        - Hypochondriorum specubus, vt inflatu hypochondriaco,
        - Liene,
        - Mesaraicis,
        - Carnis cauitatib. per poros, vt in morbo Gallico & Lepra,
    - Aquatici & vaporosi, cuiusmodi sunt halitus venenosi exilientes quasi è
      - Stagnis putridis, videlicet ex cauitatibus
        - Hepatis, Ventriculi, Intestinorum, Pulmonum, — Putredine affectorū.
      - Palustribus insalubribus vt puta carnis cauitatibus infectis
        - Scabie & pruritu,
        - Pustulis contagiosis,
        - Vlceribus purulentis
        - Apostematibus,
      - Fluminibus nempe seu thermis humorum veneno sorū fluoribus, vel ab alueis
        - Intestinorum, cuiusmodi est Dysenteria
        - Vasorum spermaticorum gonorrhæa
        - Pulmonum vlcere affectorum, vt sputi viscosi fluxus in Phthisicis
  - Artificiali rerum aerē corrumpentium & contaminantium applicatione videlicet
    - Animalium, Vegetabilium, Mineralium — Siue in odore proprio, siue more suffumigij adhibeantur.
- Ad tenuitatem inclinantes vt
  - Aer humanus, aliquantulum, licet inuisibiliter incrassatus, à ventis
    - Euro, Euro Austro, Austro, Austro Africo — Incrassantibus & insalubriter flantibus,
  - Grossus & visibilis vapor Lienis qui flatibus insalubribus in spiritus naturales inuisibiles dispergitur
  - Hinc animæ passiones; prouenit enim
    - Ira à sulphureo vapore
    - Timor à terreo,
    - Verecundia ab aereo.
  - Aer Microcosmicus immodicis Boreæ flatibus frigidis & siccis riget & alget.

Cap. XIII.

De Meteoris utriusque Cosmi lucidis.



Cap. XIII.

Particula Prima.

De spiritu angelico lucido, seu vento igneo animante, tam occulto quam manifesto.

QVod omnes creaturæ animam accipiant à luce & igne, neminem vtcunq; mediocriter in Philosophia naturali, imo vero in sacris literis versatum, latere existimo, quin imo & lux ista increata vniuersum mundi spiritum viuifica sua inspiratione animare adgnoscitur, vel ex illo Poetæ, Virg. l. 6. Æn.

> *Hoc opus immensi constru ctum corpore mundi*
> *Vis animæ diuina regit* ———— Et alibi
> *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem* ———— Et alibi
> *Int us agi referunt anima, qua viuere mundi*
> *Cuncta putant, ipsumq́, hac mundum ducere vitam,* Angurel. l. 1. Chrys.

Sed

Sed & hoc à sacro Biblio confirmatum habemus: Vbi inuenimus, *In verbo erat vita, & illa erat lux hominum*, Ioh. 1. Et alibi, *spiritus disciplinæ sanctus implet orbem terrarum*, Et alibi, *spiritus DEI incorruptibilis est in omni re*, Sap. 1. Et alibi, *Christus est totus & in toto*, & alibi, *posuit tabernaculum suum in sole*, & alibi, *Christus est lux mundi, & est principium, est verbum à quo omnia & sine quo nihil*, & à Cabalistis dicitur hoc principium occultum *Aleph tenebrosum*, at manifestum qualiter se habebat in mundi viuificatione, *Aleph lucidum*: Similiter animam istam diuinam vbique versantem angelum Mitattron vocauerunt, qui à quibusdam pro Michaele angelo animarum duce habetur, cui in magia peritiores planetæ solaris tuitionem & gubernationem, idque haud inconsulte, assignauerunt. At istiusmodi Archangeli apparitionem describit Moyses igneo vultu, cui nomen Iehouæ inesse fertur, & in Apocalypsi describitur *habens zonam auream ad mamillas præcinctam, & oculos tanquam flammas ignis, tenens in dextra sua stellas 7. cui & facies tanquam Sol in virtute sua lucebat*, Apoc. 1.13. hinc arguendo, angelum hunc esse luminis fontem, vtpote qui 7. stellas seu planetas illuminat, & ipsius Solis imaginem (quem Plato visibilem DEI filium vocare haud dubitauit) præ se ferre videtur. similiter de hoc angelo erat dictum, *Angelus domini descendit de cœlo & accedens deuoluit lapidem, & sedebat super eum, erat autem aspectus eius sicut fulgur*, Matth. 28.3. Et Ezechiel vidit animalia coram Deo præsentia, *in similitudinem fulguris coruscantis*. Ezech. 1.14. Nonne etiam alibi dicitur, *Sapientia sole clarior & pretiosior*, Sap. 7. & quod super omnem dispositionē stellarum luci comparata inuenitur prior? Quis autē est illa sapientia? Nonne lux illa increata, verbum Christusue, qui est reuera mundi lux, creaturarum vita, mundi anima? Sic etiam de persona magni Dei Iehouæ dictum est, *præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt*, 2. Reg. 22. Et certe si scripta sacra aliquantulum curiosius contemplati fuerimus, percipiemus quidem, istum spiritum catholice animantem esse animam, tam ad corruptionem quam generationem & præseruationem procliuem. Hinc dixit Iehoua de eodem angelo seu sapientia æterna: *Ecce ego mitto angelum ante te ad introducendum te in locum illum quem præparaui, caue tibi a facie eius & ausculta voci eius, ne acerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo*. Exod. 23.20. Hinc arguendo, quod vt fuit ille spiritus præseruans, fouens, & vitam atque gressus hominum conducens, ita quidem aptus est in naturam destructiuam conuerti, ad peccata hominum punienda, vnde factum est, quod quandoq; in forma columnæ igneæ solatium Israelitis præbebat, & eis omne necessarium, tam ad vitam & sanitatem quam ad vestitum suggerebat; quandoq; etiam feruore sui vultus igneo lethaliter puniebat. Vnde scriptum est, Leuit. 10.12. *Igne egrediente à conspectu Iehouæ examinauit eos, & mortui sunt*. Hinc etiam in tali natura dictus est *DEVS Iehoua ignis consumens*, Deut. 9. Et alibi, *spiritus potentiæ Dei ventilans, & iustitia persequens iniustos*, Sap. 11.21. Et alibi, *Ira Dei accensa concutitur, ac mouetur terra, fundamentaq; montium mouentur concutiunturq; cum ascendit fumus per nasum eius & ignis ex ore eius consumens*, Ps. 21.10. *Tonante in cœlis Iehoua & excelso edente vocem suam, & fulgura iaculans fundit eos*. Et alibi. *Ira Iehouæ vt ignis consumens*: atq; ita in infinitis aliis locis, vbi Deus, mediante spiritu quodam coruscante & fulgurante ab eo progrediente, ad ruinam & destructionem, tam membrorum Macrocosmi quam hominum, ob peccata impiorum quandoq; agere solet. At vero viceuersa ad hominum piorum conseruationem spiritum suū illuminantem beneuole emittit. Hinc dixit Dauid *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsæ deducant me in montem sanctitatis tuæ*, Ps. 43.3. Et alibi, *Luceat facies tua super seruum tuum, serua me benignitate tua*, Ps. 31.17. talis etiā erat spiritus ille lucidus, qui in forma linguarum fissarū descendebat in Apostolos, imo vero & talis erat spiritus ille Dei formis, quē spirauit Deus in faciē Adæ; de quo etiā sic loquitur Iob: *spiritus Dei fortis fecit me, & spiraculū seu afflatus omnipotentis viuificauit me*, Iob. 33.4. Imo vero & talis erat spiritus ille Catholicus, qui in principio creationis ferebatur super aquis, igneum iis vigorem & quasi vitam impertiens, qui in quibusdam creaturis visibiliter se manifestare videtur, sed indutis vestimentis, & minime in natura sua simplici; nemo enim potest contueri Deum in essentia sua nuda, & viuere, videlicet sole, stellis, Meteorisq; omnibus manifeste lucidis, & metallis, quæ nihil sunt aliud, quam spiritus aereus seu æthereus, fulgore diuino animatus. At vero vt plurimum latet istius spiritus diuini fulgor, & non nisi per effectum dignoscitur, videl. in animalibus & vegetabilibus, & etiā in aqua & aere. Sic quidem meteora manifeste coruscantia, verbi gratia Cometa, fulmen, Ignis fatuus &c. tametsi extingui & consumi videantur, non tamen aut consumuntur aut extinguuntur, sed reuera in aerem euanescunt, & forma earum lucida dilatatione inuisibilis efficitur. Atq; hæc est ratio quod cometa, lancea ardens, capræ saltantes, trabes & fulmen &c. effectus suos occultos vt plurimum diu post ipsorum disparitionem producant, videlicet pestem, famem, bellum, vel fertilitatem, secundum creantis placitum atq; inscrutabilem ordinationem. Nec credatis velim vllam esse istiusmodi spiritus diuini vel occulte vel manifeste fulgurantis extinctionem aut exterminationem (quippe qui in se est omnimodo passionum expers) nam *verbum Dei manebit in æternum*, vtcunque diuersimodo pro locatoris æterni voluntate varie in hoc mundo disponatur.

Quid igitur existimandum est de varia illa Ethnicorum opinione, qua spiritum talem, ac tam fulgura quam cometas cæterasq; impressiones ignitas, exhalationes fecerunt calidas & siccas, è terræ vtero, vel ad infimam, vel mediam, vel denique supremam aeris regionem sublimatas? Certe de his

etiam (vt antea de reliquis) affirmamus, incongruam esse huiusmodi eorum assertionem, quoniam
non deest fulgor hic diuinus aeri: vtpote, qui nihil est quam ignis naturæ humidus, seu ignis dilá-
tatus, qui contractione pro velle diuino aut madidam & tenebrosam induit Chao vestem, & fit nu-
bes, vel magis occultum manifestando, fit massa luminosa, vt in Cometis, aut spiritus luminosus ci-
to euanescens, vt coruscatio, vel altius penetrans, vt fulmen: vel maiori adhuc consistentia corpo-
rea indutus, minimeque cremans, vt ignis fatuus, Castor & Pollux, seu ignis lambens crines, Atque
hunc igitur spiritum, spiritum lucidum & animantem vocamus, non quod per se sit diuinus, sed
quoniam lucem diuinam in se centraliter continet, quæ illum mouet ad velle suum perficien-
dum, non aliter quam anima seu mens vniuersum spiritum ad cuius nutum postea corpus mo-
uetur.

Hoc autem cuiquam absurdum minime videatur, quod spiritum coruscantem, fulgureum &
fulminantem spiritum appello, animantem & illustrantem; certissimum enim est, quod huius-
modi spiritus seu potius lux centralis est tantæ excellentiæ, & profundæ in rerum natura co-
gitationis, vt æqualem sibi locum cum interno agente Angeli in animæ humanæ meditullio
habitante vendicet, quod etiam ex istiusmodi viri cuiusdam sapientis, & in naturæ atque theosophiæ
mysteriis admodum versati, verbis colligere fas est, quæ sunt huiusmodi: *Creauit DEVS angelos ex spi-
ritualibus elementis ignis Primæ Materiæ, id quod superat atque excedit captum humanum ac intellectum: vnde exi-
stit discrimen suppositi, hoc est separatio illa qua nulla res alteri similis est, & propterea Angeli sunt ignis, quia origi-
nem habent ex ista essentia spiritualium elementorum, quocirca multo clariores & splendidiores sunt spiritualibus
corporibus, quod difficulter homo potest fateri aut comprehendere. Namque ratione magnæ suæ subtilitatis possunt
transire & penetrare res omnes, sine vllo impedimento & sui corruptione, instar fulguris. Similiter id potest anima
hominis, quam DEVS itidem creauit ex eadem illa substantia, ex qua creati sunt Angeli.* Hæc ille, Ex quibus in-
nuere videtur, ipsos Angelos, fulgura, & animas humanas esse de eadem ignea substantia, summo
creationis gradu exaltata. Nonne videtur hoc idem à sacra pagina esse confirmatum, vbi scriptum
relinquitur: *Quod ignis egrediens à conspectu Iehouæ exanimauerit homines rebelles etiam intactis vestimentis &
corporibus? Leuit.10.2.* Hoc idem accidit multis etiam nostræ ætatis, qui fulgure percussi sunt, ossibus
interne fractis, etiam illæso corpore, & inuiolatis vestibus: in multis etiam nonnunquam accidit,
vt pecuniæ in crumena, & gladii in vaginis liquefiant, etiam intactis crumena & vaginis: Nonne
etiam alibi in contextu diuino legitur, *quod Angeli validißimi robore, ministri DEI, efficientes verbum eius,
sint spiritus & ministri flammantes, Psal.103.20. & 104.4.* Est etiam anima fulgur diuinum, homini pri-
ma creatione inspiratum, vt ratione suæ subtilitatis à corpore suo opaco libera omnia possit; est enim
directa creatoris similitudo, ratione cuius dictum est, hominem fuisse ad DEI imaginem creatum:
imo vero de diuina hominis mente hæc ab Apostolo relicta habemus: Videlicet, *quod eadem mens sit
in nobis quæ in Iesu*: quam mentem etiam explicat in sequentibus: nimirum, *quod cum in forma DEI es-
set, non rapinam arbitratus est, se æqualem esse DEO.* De immensa huius autem diuinæ coruscationis seu
fulgoris à DEO ad hominis creationem emanantis virtute sic scribit antistes ille magnus Mercuri-
us Trismegistus *Pim. 4. Quicunq; hac DEI natura fulti sunt secundum operum comparationem pro mortalibus
immortales habentur, intelligentia sua cuncta complectuntur entia, quæ in terra sunt & quæ in mari, & si quid est
præter ea supra cœlum*, atq; adeo seipsos erigũt, vt ipsum quoq; bonum intueantur, &c. Quibus quidem
colligere fas est, quanta sit spiritus istiusmodi lucidi, tantis gradibus exaltati, perfectio ad res non
modo perfecte sed imperfecte mistas informandas, illa enim ipsa materia, quæ est vitæ & consisten-
tiæ angelicæ animæ humanæ & fulgoris essentia intima, est illa ipsa, quæ cunctas res informat; at
vero, in quibusdam est magis viuax atq; efficax & libera quã in aliis, ob speciei diuersitatẽ, vnde est,
vt vnam creaturã perfecte mistam ab alia differre cernamus, licet internũ seu centrale agens lucidũ
sit vnum & idem, de quo scriptum est, *Sap.12.1. Spiritus incorruptibilis est in omni re*, de qua etiã sapientia
increata sic loquitur Apostolus Paulus. *Ex eo, in eo, & per eum sunt res omnes, ei sit laus & honor.* Huius
primæ à fonte lucido emanationis radii à Platone & Orpheo & aliis Platonicis, pro diis erant æsti-
mati. Vnde omnia diis plena esse existimarunt, at vero, hos omnes DEOS vnico Ioui, vtpote ipso-
rum fonti & origini referebant: Hoc quidem luculenter expresserunt Cabalistæ profundiores af-
firmantes quod Angelus sit intellectus agens, in quo formæ influunt, vt Rabbi Moyses: Hunc au-
tem vniuersalitati præfectum vocant *Metattron*, quo quidem volunt, quod omnes virtutes singula-
res tam animales, quam naturales (quæ pariter & Angeli dicuntur) quorum numerus est infinitus
quoad nos ab illo procedant: nam iuxta Beresith Raba, Creator quotidie creat cætum angelorum,
quos alii vocant formas, vtpote qui sunt substantiæ formales, quibus tota sphæra generabilium &
corruptibilium absque numero plena est. Atque huic rei videtur poeta Hesiodus astipulari, in his
verbis. *Ter decem mille sunt supra terram, pascentes multos immortalis Iouis custodes hominum mortalium, qui ae-
re induti vbique eunt super terram*, Sed hic intelligit, de particularibus angelis hominibus assistentibus;
At in porta lucis legitur, *Quod à terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus, sed omne plenum formis, à
terra*, (inquit Ioseph. Castaliensis) *ad Firmamentum vsque non est locus vacuus, quin totum sunt species.* Non-

ne con-

ne confirmatur hoc à literis sacris, vbi dictum est, *DEVM omnia implere*, & alibi, *spiritus DEI incorruptus est in omni re*, Et alibi, *spiritus disciplinæ Sanctus implet orbem*. Vnde liquet iuxta illam Platonicorum opinionem omnia esse diuinis radiis plena, qui tamen omnes radii ad vnum Solem increatum referri solent, quippe à quo radii eius nequeunt decidi aut separari, est enim DEI essentia indiuisibilis. Hic autem sol increatus & inuisibilis, est verbum diuinum, seu emanatio prima à patre luminis, à quo & in quem omnia, vtpote quæ est *Alpha & Omega*, ab illo ergo formæ & vitæ omnes deriuantur, & sine eo nulla in rerum natura neque in cœlis neque in terra datur forma. Nam scriptum est, *in principio erat verbum & verbum erat apud DEVM & DEVS erat verbum, Hoc erat in principio apud DEVM, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt &c. Iohan. 1.* Quid hoc planius? in quo euidenter patet, quod verbum, quod erat in principio, hoc est, emanatio æterna, fuerit author cuncta creata informans, quippe in quo erat vita ab origine, vnde euidens est, quod, vt sine eo nihil fieri potest, ita quidem per ipsum omnia sint facta, & in eo persistant, mediante bonitatis portione, quam in prima creatione acceperunt ab ipso: Etsi quotidie de nouo fiat creatio aliqua, necesse est, vt per hanc lucem incomprehensibilem ad speciei suæ perfectionem producatur. Nam iuxta illud D. Pauli, *Ex eo, in eo, & per eum sunt res omnes, cui sit laus.* Concludimus ergo, quod hic primarium spiritum lucidum informantem descriptum habeatis, videlicet Christum, Verbum, Sapientiam æternam, Lucem diuinam centraliter reconditam, emanationem primariam, sine cuius adminiculo nulla creatura, & consequenter nullum meteororum viuere, aut momento temporis perdurare potest. Hic ergo est actus primus, forma prima, primum agens, & centralis motor atque spiritus fulgurans, qui omnia informat cum viuifico suo decore atque spiritu incorruptibili, cui sit æterna gloria, gratiæ immensæ pro beneficiis suis.

CAP. XIII.

Particula Secunda.

De corpore aereo animato, hoc est, igne seu luce illustrato ordinis superioris.

IAm vero, quid sit cometa, atque cætera ostenta illa ignea, quæ in suprema aeris regione vel supra eam apparere animaduertuntur, tam secundum Peripateticorum quam scripturarum veridicarum sententiam aperiemus, simul etiam quam immanis sit inter Ethnicos & vere illuminatos atque à spiritu sancto doctos, de eorum ortu discrepantia, breuiter & tamen luculenter demonstrabimus.

Peripatetici (inter quos Aristotelem principem agnoscimus) in hoc consentiunt, videlicet ipsum cometam esse exhalationem terrestrem, crassam, calidam & siccam, pinguem & viscosam, partibus dense compactis, atque facile inflammabilem, virtute astrorum in visceribus terræ paulatim & particulatim eleuatam in supremam aeris regionem, vbi proxime ignem propter materiæ suæ dispositionem & multitudinem dilatatur & incensa inflammatur, formamque præ se ferens caudatam vel Barbatam diffuso longoque tractu mouetur circulariter ad motum astri sub quo nascitur, vel ad motum supremæ regionis aereæ circularem, cuiusmodi meteori causam formalem fecerunt alii multiuariam, quippe quod siccitatem, terræ sterilitatem, atque pestilentiam vt plurimum importat, & consequenter nonnunquam gubernationis politicæ & loci quem respicit mutationem. In qua quidem ipsorum descriptione inprimis cometæ causam materialem posuerunt exhalationem terrestrem & viscosam, quam alii volunt esse in magna quantitate, & in forma picis durissimæ conglomeratam. Formalem vero causam ipsius in eo significare volunt, quod massam istam illuminatam vel caudatam faciunt, quæ materiam densiorem vna parte, reliquam vero in longum protensam rariorem habet, vel barbatam, quando scilicet extremiora istiusmodi exhalationis rariora & magis dispersa videntur, tunc enim facit stellam barbatã. Efficientem huiusmodi meteori causam calorem astralem & præcipue solis fecerunt, quippe cuius virtute exhalatio illa paulatim è visceribus terræ ad mediam aeris regionem non modo exaltatur, verum etiam in ea tanquam matrice in massam intenso loci frigore reducta, protinus accenditur, & illuminatur.

Quod autem ad causam cometæ atque etiam cæterarum impressionum ignitarum iuxta prædictam Peripateticorum intentionem attinet, dicimus quidem earum substantiam seu existentiam, priusquam in lucem fuerunt productæ, occultatam & delitescẽtem fuisse in aere, tanquam primordiali lucis animantis receptaculo & matrice, & non in terra, vti ipsi insulse satis scripserunt, vti in sequen-

quen-

quentibus latius. Hic vero ineptam atque inanem esse illorum hac in re sententiam verbo ostendemus. Nam inprimis si hoc probabile esset, tunc sequeretur, quod stolidissima esset illa eorum assertio, qua inferre gestiunt, venti causam materialem esse exhalationem calidam & siccam, & consistentia leuem, minimeque inflammabilem, cui propter talem eius dispositionem denegatur transitus per mediam aeris consistentiam, idque propter loci frigiditatem, qui per antiperistasin deorsum pellit exhalationem illam calidam: at vero, non videmus nos rationem hanc satis esse aptam, quia si hæc ipsorum assertio esset vera, exhalationi illi cometas atque cæteras tam mediæ quam supremæ aeris regionis impressiones meteorologicas constituenti denegaretur magis transitus per illud medium quam ei venti; quod etiam multis rationibus alibi comprobatum habetis: quas breuiter hoc in loco remetiri atque repetere aggrediar. Exhalatio ventum faciens (juxta Aristotelis statuta) est valde leuis in sua substantia, quare & magis est apta in sua mensura tendere atque ascendere sursum; nam vt in omnium grauium naturali inclinatione est tendere deorsum, ita vice contraria leuium est naturaliter sursum petere. Ergo magis prona est istiusmodi exhalatio, ob eiusdem leuitatem, altius sublimari, quam illa meteororum ignitorum, (inter quæ Cometa est princeps) vtpote quorum materia est magis compacta, densa, & viscosa, & per consequens non ita ad ascendendum disposita, ac illa ventorum.

Porro etiam assignat exhalationi ventosæ dispositionem, videlicet subtilitatē & tenuitatem, quo fit, vt in natura sua proclinior sit per mediam aeris regionem penetrare, quam illa cometæ & cæteræ Assub seu ignitæ impressiones, quibus data est materia magis crassa & compacta; quare vt propter viscositatem & compactam dispositionem ipsius difficilius sursum fertur, quam illa ventorum, quæ leuior est, ita etiam difficilius penetrare certum est; nam tenuiora penetrant, vbi grossioribus denegatus est aditus. Denique ascribit naturæ exhalationis ventosæ, vt non sit apta inflammari seu accendi; vnde manifestum est, ex concesso suo quasi proprio, facilius esse huic exhalationi, sine magno impedimento per mediam aeris regionem penetrare, quam illi meteororum ignitorum: nam actu igneum, seu ad actum igneum propinquius, magis à frigore (quod est qualitas in media aeris regione prædominans) repellitur atque oppugnatur, atque consequenter deorsum propulsatur, quam quod non est in aliqua potentia ad inflammationem: at vero, teste dicto Aristotele, exhalationes ventosæ minime sunt ad illuminandum vel ad accendendum aptæ, cum è regione illæ impressionū ignitarum sint ad inflammationem per quam pronæ atque consentaneæ. Ex quibus verisimile est, quod exhalationes illæ terrestres crassæ, calidæ, & siccæ atque viscidæ, dense compactæ, sint minus aptæ ad ascendendum in supremam aeris regionem, quam illæ tenues & minime inflammabiles, tum quia difficilius in altum eleuantur, ob compactiorem suam consistentiam, tum etiam quia difficilius penetrare queunt propter grossiorem & obtusiorem suam compositionem seu constitutionem, atque insuper etiam quia in proxima sunt ad inflammationem potentia, imo vero & istius materia etiam in infima & media aeris regione inflammari solet, quemadmodum experientia nos docet quotidiana. Ergo procul dubio aut hæc non ascendit à terra in supremam aeris regionem, vti Aristoteles est opinatus, aut illa ventorum aliunde habet originem: imo vero vt ipsissimis vtar argumentis Aristotelicis, nec hæc neque illa à terra scaturire possunt, propter contrarietatem, quæ est inter ipsas, & frigidam aeris mediam regionem, cuius est sibi contraria oppugnare, & summopere resistere, & deorsum terram & maria versus deprimere.

At procul dubio quæretur ab omnibus; quod si à terra non effluxerit istiusmodi cometarum & impressionum ignitarum materia exhalando, vnde igitur sit eiusdem scatebra, vel à quo fonte eiusdem consistentiæ seu essentiæ? cui quidem quæstioni haud inconsulte à nobis respondendum existimamus, quod fons istiusmodi impressionum sit idem cum illis ventosarum atque aquearum, videlicet cœlum seu aer apertus, quod quidem rationibus cum Philosophiæ veræ tum theosophiæ sanctæ alis innitentibus, probare sic aggrediemur: In primis ergo apud Philosophos tam recentiores quam veteres, hoc tritum habetur, quod vt ignis nihil aliud sit quam aer tenuissimus atque dilatatus, sic etiam & spissum ignem esse aerem ipsum in siccitatem diuino motu alteratum. Hinc ergo est quod ætherem dixerunt quasi æthe aerem, hoc est, igneum aerem, seu spiritum æqualiter igne mixtum, quæ species aeris purissimi; licet à nobis oculariter & in sua dissipata & subtili natura discerni nequeat, tamen si sapientiæ diuinæ, mediantibus suis angelicis ministris, voluntate & actu in molem congregetur, in specie & forma stellæ luciferæ (cuiusmodi est cometa) apparebit. Anne hoc Aristotelicis arduum & difficile videbitur, cum & ab ipso Aristotele illorum principe statuminetur istiusmodi nostra sententia, stellam densiorem sui orbis portionem esse, definiente, ac si dixisset; stellam luminosam seu partem ætheris contractam esse & condensatam spiritu lucido mundi operante, à quo formam suam lucidam & igneam acquirit stella illa, quod quidem si ab ipso Aristotele sit concessum, quid impediet ipsum spiritum aereum, in quacunque sphæræ suæ regione mouentem, quo minus possit illam ipsam formam visibilem sui ipsius condensatione acquirere, quum stella cœliætherei, cum ipsius elementi ignis seu supremæ aeris regionis consistentia sit longe in simplicitate

suæ naturæ densior, quam illa substantiæ mundi supernaturalis, & consequenter magis apta ad conspissationem? Causas autem huiusmodi cõpressiones præter cõmunes naturæ leges efficientes, diximus esse spiritus seu dæmones angelicos, ventos mouentes, in quacunque mundi regione. Nonne etiam agnoscunt tam Platonici quam Aristotelici peculiares stellarum intelligentias, ipsis præsidentes, gubernantes, & mouentes, quibus multæ subiiciuntur legiones, proprietates eiusdem stellæ, tam erraticæ quam fixæ, cui appropriantur, in æthere & elementis exercere? Dæmones seu spiritus angelicos tonitruis & fulguribus se permiscere vbique legimus, tam apud Philosophos antiquos maximæ inspectionis quam scripturas sacras. At vero hisce spiritibus angelicis vnicum summum esse principem alibi declarauimus, vtpote cuius mandata syncere solent perficere vltra quæ ne pedem quidem mouere possunt: qui princeps est DEVS, Verbum, atque Sapientia, cui angeli cuiuscunque generis inseruire parati sunt: *Angeli* (inquit Psalmista regius) *validißimi robore efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri eius facientes placitum eius, Psal.* 103.20. Nonne etiam alibi dictum est, *Qui facis angelos spiritus seu ventos, & ministros tuos ignem vrentem? Psal.* 104.4. Et tamen nihilominus, quemadmodum in magnis rebus gestis gloriam & nomen victoriæ vel triumphi tanto duci atque imperatori, tunc temporis præsenti, videlicet Alexandro, Cæsari &c. attribui videmus, ita etiam omne factum egregium ab exercitu inuisibili in cœlis & in terris effectum, non ministris sed DEO vt plurimum refertur. Sic dicitur, *Iehoua ne in ira tua reprehendas, Psal.* 6.2. Et alibi, *Spiritus potentiæ Dei ventilans & iustitia persequens iniustos, Sap.* 11.21. *Sic spiritus rotarum præsentia DEI mouebantur, ad placitum suum perficiendum, Ezech.* 1. Sic dictum est, DEVM percussisse Iobum vlcere & plaga, & tamen illud præstitit mediante Satana. Quid autem angeli septem, quibus datæ sunt septem tubæ, stantes coram facie Iehouæ fecerint, solo tubarum clanctu, in Apocalypsi vbique declaratur, Porro dictum est; *Ecce mitto angelum meum ad seruandum te in hac via,* & tamen alibi dictum est: *DEVS præcedebat Israelitas in columna nubis interdiu & per totam noctem lucente igne, Psal.* 78.15. Et alibi. *Sapientia fuit Israelitis tegumentum interdiu & lux stellaris nocte, Sap.* 10.17. Videmus ergo, quod hoc idem opus attribuitur angelo Iehouæ & sapientiæ, qui quidem in effectu idem fuerunt, nam dictum est: *Ne ipsum id est angelum exacerbes, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo. Exod.* 23.20. Sic etiam dictum est, quod fulgur cum apparuerit perspicuum sit, idipsum autem & spiritus per omnem regionem diffunduntur: *& nubes, quibus cum imperatum fuerit à Iehoua perambulare per vniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est ipsis, Baruch.* 5.60. Ignis etiam missus desuper vt consumat montes & syluas facit quod præceptum est ei, & alibi dictum est, *Creatura ignis DEO qui fecit omnia subseruiens modo ad punitionem intenditur contra iniustos modo remittitur ad beneficentiam, Sap.* 16.28. Et alibi. *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, fulgur quodcunque præcipit DEVS istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum siue ad faciendum beneficentiam efficiunt vt præsto sit: Iob* 38. Et tamen alibi dictum est, *quod DEVS faciat pondus vento seu aeri, Iob.* 28. & 38. *Quod DEVS faciat saphireas nubes sapientia, & vtres cœli pro voluntate sua prosternat. Roris guttas gignat, & glacies atque pruinas producat, det niuem sicut lanam glaciem suam sicut frusta spergat, liget aquas in densis nubibus.* Quæ omnia verbo suo eum efficere alibi est dictum, cuius est facere voluntatem patris; hinc & dicitur loco superius allegato, nubes spargunt lumen suum quæ lustrant cuncta per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis agit ad omne quod præceperat illis super faciem orbis terrarum siue ad flagellum siue ad faciendam misericordiam, Et alibi, *Cum DEVS stillabit stillas aquarum, quæ fundabunt pluuiam ad calamitatem eius, Iob.* 36. Et alibi: *Spiritus seu flatus nasi Iehouæ mirabilia operatur,* Et alibi, *DEI sternutationibus splendet lux, & quidem oculorum eius veluti palpebræ auroræ, ex ore eius velut tædis prodeuntibus & quasi halitus eius carbones accenderet & flamma ex ore eius prodiret, Iob.* 41.18. Et alibi, *Iehoua descende, inclina cœlos tuos, & tange montes vt fument, emitte fulgura tua & disperge eos, Psal.* 144. v. 3. Et alibi, *Tonabit de cœlo Iehoua, & excelsus at dabit vocem suam, misit fulgura sua & consumpsit eos,* Et alibi, *DEVS facit nubes vehiculum suum seu currum suum, qui itat super alas venti, qui facit angelos suos ventos & ministros ignem ardentem, Psal.* 104.3. Ex quibus verbis liquet euidentissime, quod DEVS sit dux & ordinator: at vero vt plurimum per ministros suos operatur in rerum natura, & voluntatem suam exequitur, tam secundum naturæ leges quam extraordinarie & prodigiose, hoc est, præter consuetudinem naturæ, & semper agit primarie per verbum seu sapientiam suam, quæ perficit mandata sua suppletque locum velle diuini, & secundarie per angelos multorum ordinum dignitate differentium: Vnde factum, vt hanc sapientiam (quam sacra pagina vocat primam creaturam *Eccles.* 9.1.) hoc est, primam emanationem seu egressionem à patre, Cabalistæ fecerint Angelum illum magnum *Metattron*, in quo nomen Iehouæ est, quem Platonici dixerunt esse animam mundi omnia informantem, cui astipulatur D. Iohan. Cap. 1. dicens, *ab eo* (videlicet verbo) *omnia fuisse facta, & sine eo nihil, in eo esse vitam &c.* Huius minister primarius est Archangelus Michael, qui habet in sua tutela animarum tuitionem, vtpote qui contra magnum tenebrarum angelum cum suis asseclis bellum gerebat, victoriam obtinuit, & glorioso more semper coram facie Iehouæ stare dicitur, ipsius ergo imperio omnes alii angeli obedientiam præbent, & vitam non aliter, quam creaturæ mundanæ à Sole (cui etiam angelus iste præsidet) accipere dicuntur: Hinc Solis (vti antea dictum est) filii nuncupantur venti, quorum flatu omnia alia meteora in mundo procreantur: Iehouæ ergo imperio subiiciuntur actiones om-

nium angelorum, tam bonorum quam malorum, malos exercet circa vindictam & punitionem, vt & bonos circa misericordiam. Sic Diabolus erat author venti in ruina filiorum Iobi, vt etiam & fulminis, *Iob.*1. Sic quatuor numerantur angeli, tenentes quatuor ventos, in quorum potestate erat nocere terræ & mari *Apoc.*7. Porro inquit Isaias *miscuit vobis dominus spiritum saporis*, *Isa.*29.9. & alibi Angelus Iehouæ mirabiliter egit Manoacho & vxori eius *Iud.*13. Et alibi. *Ecce terræ motus factus est magnus, angelus enim Domini descendit de cœlo, Matth.*8.8. Et alibi, vbi aperte indicatur quomodo angeli sint DEI ministri. *Spiritus quidam prodit qui consistens coram Iehoua dixit: Ego pelliciam eum*, 2.*Reg.*22. Et alibi. *Misit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malignos angelos*: Denique dictum est alibi, *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die à peste in caligine inuadente, nec ab occursu dæmonii meridiani. Ps.*91.1. Et alibi: *Plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, angelis suis præcipiet de te, vt conseruet te in omnibus viis tuis.* Quod etiam DEVS agat per angelos suos in eo declaratur quo dictum est, *Concutitur & mouetur terra, & ignis ab ore eius consumit, prunæ ardentes ab eo, & demittens cœlum descendit cum caligine sub pedibus eius, & insidet Cherubinis, & volat, & conspicuus est super alas venti, Sam.*22.8. Vnde euidens est, DEVM mediantibus Cherubinis (qui sunt angeli aerei) operari mediantibus angelis, quib. venti obediunt, imo vero & ipsi venti nihil sunt præter angeli aerei, seu angeli aere vestiti, ad quorum motum aer etiã motu violento ducitur, more aquarum, quæ pisciũ motu violenter feruntur, & strepitum facere dignoscuntur. Concludimus igitur, cum Propheta, qui in alio loco sic loquitur. *Deus ab austro veniet, operuit cœlos gloria eius, & laudis eius terra est plena, splendor eius vt lux erit, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciẽ eius ibit mors & egredietur diabolus ante pedes eius, stetit & mensus est terrã, aspexit & dissoluit gentes, &c. Abak.*3.3.

Hic ergo videmus, quod in omni meteoro DEVS sit præsens ordinator: at vero ordinata sua mediantibus ministris suis angelicis exequitur, quare non sit cuilibet Christiano mirum, me dixisse, ventos (quorum principia interna sunt spiritus spiritus angelici) esse cuiuslibet meteori, in quacunque regione sublunari sit procreatum, authores, & consequenter ipsius etiam cometæ cum suis fratribus, nam ventos tam regioni æthereæ quam sublunari familiares (contra vanas Peripateticorum assertiones) alibi in capitulis de ventis à nobis demonstratum est.

Materiam ergo Cometarum densiorem esse sui orbis videlicet ignei partem, flatibus ignitorum dæmonum oppositis in vnum coagulatam, qualis est nubes ab oppositis flatuum angelorum aquaticorum spirationibus coacta, in quorum actione, si dæmones ignei se interponant, tonitrua & fulgura simul secundum creantis voluntatem proferunt. At vero cognoscere fas est in arcanis Philosophiæ mysteriis versato, quod neque nubes, neque tonitrua, neque pluuias, ab elemento ignis seu suprema aeris regione procedere possibile sit, quia illa aeris portio est subtilior, quam vt in vaporem nebulosum reducatur, atque etiam est nimis calida & sicca, pro consistentia substantiæ illius vaporosæ ex quibus nubes solent conflari, ac consequenter tonitruorum fragores in illo loco edi nequeunt, ob humoris aquei eo loci defectum, qui ignitorum spirituum impulsui resistere debebat. Vnde fit, vt propter igneam loci dispositionem, loco nubium obscurarum, meteora ignea ibi nonnunquam, licet raro, inueniantur, quæ non sunt adeo ingentia, ac nubium moles, quoniam regionis consistentiæ tenuitas tantam molem in sua condensatione producere nequit. Porro venti non sunt in ea regione vehementes imo vero vix sensibiles, quoniam paruam aut fere nullam inueniunt ibi resistentiam, ob regionis consistentiæ tenuitatem & siccitatem. Atque hoc inprimis est considerandum, quod igniti spiritus semper se miscent substantiæ suæ naturæ, eamque illuminant, more spiritus illius regij, qui posuit tabernaculum suum in sole, qui quidem spiritus lucidi splendorem suum accipiunt à fonte lucido illo vbique inuisibiliter regnante; & præcipue in tabernaculo suo solari, à quo vis vitæ lucida non modo stellis & cuilibet alteri creaturæ lucidæ vndique eiaculatur, verum etiam ipsis angelis attribuitur, quorum est officium luces à fonte lucis receptas, suis propriis sphæris accommodare, à quibus tum postea elementis impartiuntur atque impluuntur illæ luces, quas dæmones elementares recipiunt atq; imbibunt, & pro velle diuino vel visibiliter vel inuisibiliter in elementa effundunt, quæ quidem effusiones lumen, motum, & influentias illas Aristotelicas includunt. His ergo consideratis, ad generalem cometarum & ignitarum quarumcunque impressionum descriptionem sic descendimus:

Cometa seu Assub ordinis superioris est corpus aereum, in regione eiusdem superiori angelico afflatu congregatum atque condensatum, sapientiæ diuinæ radiis, mediantibus ministris suis angelicis, spiritu lucido animatum atque inspiratum, sacrosancto dictæ sapientiæ nomine ad voluntatem patris seu creatoris, hic in terris, aquis, atque aere perficiendam ordinatum, & finaliter dissolutione facta per aerem communem inuisibiliter expansum.

In qua quidem impressionis ignitæ ordinis superioris descriptione primum causa eiusdem materialis exprimitur, videlicet, quod ex fonte aere atque ex ipsius fastigio & parte puriori depromatur. Quod quidem ex hisce verbis sæpius à nobis antea repetitis confirmari videtur. *Aperiet tibi* (inquit Moyses) *Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam &c. Exo.*28.12. Ex quibus etiam tanquam communi meteororum omnium thesauro dicitur *Iehoua educere ventos, Psal.*135.7. Nonne etiam dictum est alibi, *DEVM mediante sua sapientia pondus aptare aeri & mensuram, & appendere aquas in*

mensura

*mensura?Iob.*28.25.Quibus innuere videtur,quod quandoq; ex aere ventos faciat, eum attenuando, quandoque aquas & nubes,eum condensando,facit pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum, atque etiam corpora densa impressionum ignearum; nam reuera meteora regionis superioris aeris,quoad sua corpora,nihil sunt aliud,quam nubes spirituales, quæ non dissoluuntur in pluuiam, sicut nubes inferiores,sed in aere finaliter euanescunt,more spiritus vini, multoties rectificati, qui licet in sua massa sit visibilis,tamen aperto vitro in aerem inuisibiliter euanescit, & gradatim resoluitur. Sic nubes in superiore regionis mediæ parte, quæ crocei sunt coloris, nunquam in pluuias dissolui cernimus,sed in aerem subtilem & inuisibilem reuerti & transmutari solent, à quo radicitus sunt deriuatæ;vnde & nubes siccæ atque steriles dicuntur; eodem plane modo aer,in suprema regione dæmonum ignitorum virtute appositus & congregatus,in tales nubes,licet claritate & puritate ab iis longe differentes aliquando reduci solet. Hoc idem videtur Iob hisce dictis confirmare. *Iam non respiciunt homines lucem cum nitida est in superioribus nubibus, quas ventus transiens purgauit, Iob.* 37.20. Vnde etiam obseruatione dignum putamus, quod ventus etiam officium suum præstet in superioribus aeris regionibus,contra Peripateticorum sensum; Ex quibus liquet, materiam seu consistentiam corporis meteori cuiuslibet igniti esse aerem,modo quodam sicco, hoc est, flatibus ignitorum spirituum ad voluntatem diuinam exequendam compressum, & varie secundum impressionis speciem in vnam massam visibilem contractum.

Secundo causam eiusdem formalem ibi generali modo expressimus,videlicet,quod sit corpus aereum visibile,spiritu lucido & fulgurante animatum atque inspiratum: quod etiam in columna ignea, quæ antecedebat Israelitis tempore nocturno,& stella quæ gubernauit tres magos orientis, & locum ostendit vbi natus esset Saluator mundi,luculenter est explicatum.

Tertio causam efficientem atque informantem fecimus duplicem, videlicet primariam, ipsam nempe sapientiam,& secundariam seu assistentem,ministros quidem angelicos, quos etiam dæmones appellamus. Ad primariæ vero in hoc opere officium quod attinet, legimus hæc in scriptura sacra: *DEVS sapientia sua aptat pondus ventis seu aeri & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta & viam fulgetro tonitruum,Iob.*28. Vnde liquet,quod sapientia sit angelus ille maximus, sub cuius imperio sunt tam angeli ignei,quam aerei & aquei, vtpote in cuius potestate est aerem, aquas, & ignes fulgurantes regere atque disponere. Porro scribitur, *Quis saphyreas effecit nubes sapientia? Iob.*38. 37 Et alibi,*nubes superiores sapientia distillant rorem,Prou.*3. Et alibi, *DEVS præcedebat Israelitas in columna nubis interdiu,& per totam noctem lucente igne, Psal.*78.15. vel vt apud sapientem inuenimus,*Sap.* 10. 17. *sapientia fuit Israelitis tegumentum interdiu & lux stellaris nocte*, Imo vero si meteorum ignitum dicerem esse tabernaculum sapientiæ, ministris suis igneis munitum, quæ vel oculo minanti respicit peccata hominum, illosque in ira sua minis persequitur vel in misericordia sua benigne intuetur, hoc quidem à sacrarum literarum sensu minime discrepare percipietis: Nam scriptum est, *sapientia fuit Israelitis tegumentum interdiu, & lux stellaris nocte,Sap.*10 hic ergo clementer Israelitas respexit à suo tabernaculo,quod erat columna ignea,quæ est ex impressionibus ignitis, vna ex speciebus primariis. Sic etiam ex huiusmodi tabernaculo,videlicet cometæ corpore, effulsit sapientia, & lumine suo direxit magos seu sapientes orientis,ad locum vbi Christus mundi Saluator esset natus. At vero scriptum est,quod ignis egrediens à conspectu Iehouæ,seu sapientiæ,seu angeli in quo erat nomen Iehouæ,in columna nubis vel ignis absconditi, exanimarit filios Aharonis & mortui sunt, *Leuit.*10. 2. Et alibi dictum est, *Ira Iehouæ accensa est valde,& Ignis egressus est à Iehoua, & consumebat ducentos quinquaginta illos viros qui admouerunt thus,&c. Num.*16. 35. Atque hinc est quod Iehoua in ira sua dicitur *ignis consumens: Deut.*4.24. Atque ita certum est,quod DEVS non modo igne à meteoro ignito emisso visibiliter peccantes interficere, Sed etiam eo inuisibiliter disperso vulnerare & pestem nefandam inter homines,mediantibus instrumentis suis angelis, excitare soleat, quali igneo flagello inuisibiliter mortui sunt ex Israelitis septuaginta millia virorum, infligente & percutiente angelo DEI,2.*Sam.*24.16. Sic etiam videmus,quod per aerem inuisibiliter dissipata cometæ substantia, pestes,& famem,atque terræ siccitatem plerunque producat, vti per effectum declaratur. Sed vos intelligere velim,quod procul dubio sint quam plurimi Cometæ & aliæ impressiones ignitæ in aere,quæ sunt tam in ipsorum ortu quam effectu omnimodo hominibus inuisibiles, quæ morborum epidemicorum variorum citra omnem controuersiam sunt causæ,vti in capite *De meteoris lucidis inuisibilibus* copiosius. Dicimus ergo DEVM mediantibus ministris suis angelicis flammantibus (inter quos Sapientiam principem & primariam agnoscimus)esse causam efficientem non modo cuiuslibet Meteori igniti verum etiam aquei,& cuiuscunq; alterius; & quamuis tale officium Peripatetici & multi alii ascribant astris & elemento ignis, atq; frigiditati aeris mediæ regionis, tamen veri est Christiani,istiusmodi actus actuum Actui attribuere, videl.quæ à Deo sunt,Deo dare,& minime ea creaturis arrogare; Ob istiusmodi cõsiderationis defectũ tam immanis orta est inter Ethnicos Idololatriæ peruersitas,veriq; Dei cultus neglectus:huic attribuendum errori,quod quælibet fere Barbarorum natio nouum sibi Deum fingere atq; statuere est aggressa.

Quem quidem mundi errorem Propheta Baruch contra Idololatriam disputans in huius-

modi ſermone declarare videtur; *Sol quidem & Luna & ſydera ſunt ſplendida & miſſa ad vtilitates hominum: Similiter & fulgur cum apparuerit perſpicuum eſt: idipſum autem & ſpiritus in omni regione ſpirat, & nubes quibus cum imperatum fuit à DEO perambulare in vniuerſum orbem, perficiunt quod imperatum eſt iis: ignis etiam miſſus deſuper vt conſumat montes ac ſiluas, facit quod præceptum eſt ei. Hæc autem neque ſpeciebus neque virtutibus vni eorum ſunt ſimilia, vnde neque exiſtimandum eſt, neque dicendum illos eſſe DEOS quando non poſſunt neque iudicium iudicare, neque quicquam facere hominibus: Scientes itaque quia non ſunt Dii, ne ergo timueritis eos.* Hæc ille. Quibus innuere videtur, omni creata ſoli creatoris artificio & dignitati eſſe referenda, & non vanis creaturarum qualitatibus, quæ ab actu diuino immediate procedunt, Sed de his in parte, vbi de cauſa efficiente agitur, vbertim diſceptabimus.

Ad particulares autem iam meteororum ignitorum ſupremi ordinis deſcriptiones aſcendimus, quæ vt forma & figura ſua variare ſolent, ita quidem & deſcriptionem variam ſibi vendicare videntur. Et quamuis Cometam in duas diuiſerint Ariſtotelici ſpecies, videlicet in crinitam & barbatam, nos hac in re aliorum in philoſophiæ myſteriis bene expertorum eruditione inſtructi, plures ipſorũ ſpecies eſſe colligimus, quorum quælibet ob diuerſam ſuam effigiem in apparitione ſua nomen ſibi peculiare vendicare videtur, videlicet vnam lanceam ardentem vocant, quoniam in longum eſt exporrecta, magnitudinis ſatis denſæ; aliam vocant Xiphiam, quæ eſt lancea breuior, & in faſtigio ſuo magis in mucronem vergens; tertiam Mercurialem appellant, quæ eſt cærulea, paruula & cauda præmunita: quartam dicunt militem, eſt enim coloris Martii; quintam auroram nuncupant, vtpote quæ ſtellarum omnium ſplendorem excedit, ſextam vocant Roſam, & hæc impreſſam humanā effigiem gerit: ſeptimam Tenaculam quaſi ſupra igneam baſin erectam, mireque caudatam, cuius cauda ſurſum ferri videtur: octauam Nigram dictitant, quippe colore fuſco, breui cauda & capillamento perpauco præditam; nonam ceratian, quæ & cornuta ex ardoris & apparitionis forma dicitur. Accedunt etiam & his aliæ tres, quæ non ita ſunt permanentes ac reliquæ; quarum prima dicitur ob apparitionis ſimilitudinem Trabs Ardens; ſecunda ſcintillę volantes, atq; vltima vocatur Chaſma; in qua apparitione cœlum videtur repentino lumine ſub nubibus apparente aperiri, ita vt vorago terribilis videatur adeſſe. Horum meteororum omnium effigies in ſpeculo noſtro meteorologico, idque locis generationibus ſuis magis conuenientibus, depictas atque oculariter deſcriptas inuenietis.

Cap. XIII.

Particula Tertia.

De meteoris ignitis regionis mediæ.

INter mediæ aeris regionis meteora ignita, coruſcationes, fulgura, & fulmina principalia facimus, quorum poſteriora duo abſque fragore tremendo (qui tonitru dicitur) accidere minime ſolent, ita vt tonitru videatur eſſe nihil aliud, quam quidam inter animam lucidam ſeu igneam fortiter agentem, & ſpiritum denſum vaporoſum & nubiloſum ſeu aqueum peruerſe reſiſtentem effectus, ſed reuera quemadmodum in homine videmus organa nonnulla neceſſaria requiri ad vocem & ſermones eius edendos, ita quidē & teſtātur ſacræ literæ ipſum mundi creatorem multis modis atq; per multa media creaturas ſuas alloqui, videlicet per tonitrua per viſiones per ſomnia &c. de quibus nos infra latius. Nam inprimis, quid Ethnici de ſtupenda & profunda iſtiusmodi meteororum origine cogitauerint, ſermone quidem ſuccincto dicemus, vt tum poſtea ad ſacræ paginæ ſenſum meliori methodo tranſcendamus.

Et quamuis in præcedentibus de anima illa lucida meteorum informante ſat liquido à nobis ſit diſceptatum, hoc nihilominus in loco de tribus coruſcationis ſpeciebus, gradibus ſolummodo ſpiſſitudinis materialis inter ſe diſcrepantibus, pauca proferemus. Ariſtoteles vult generalem iſtiuſmodi meteororum lucidorum cauſam materialem eſſe exhalationem calidam & ſiccam, è terra in mediam aeris regionem vi aſtrorum eleuatam. Vbi partim forti nubium inter ſe colliſione & concuſſione partimq; per antiperiſtaſin, videlicet ob intenſam loci frigiditatem, materiam iſtam ita eleuatam & in nubis ventrem coarctatam & incluſam accendi dicit, & ob terreſtrem & compactam ſuam diſpoſitionem deorſum tendere. Vnde & tonitru conſequenter facit ſtrepitum illum ſeu fremitum, qui ab iſtiusmodi exhalationis ita accenſæ in aqua nubis extinctione eſt ortus. Hæc inquam videtur eſſe Ariſtotelis intentio *lib. 2. Meteor.* & alibi, ſimul atq; aliorum eius ſectatorum, tam Ethnicorum quam Chriſtianorum: Et reuera quodammodo videtur Ariſtoteles in re tam arduæ reſolutionis excuſandus, cum non modo ille, verum etiam omnes fere alii philoſophi in fulguris & tonitru ortu (minime ſibi ipſis conſtantes) dubitare, & ab inuicem diſcrepare viſi ſint. Nam Empedocles exiſtimabat fulmen & coruſcationem eſſe ignem interceptum de ſolis radiis deorſum deſcendentibus. At Anaxagoras putauit iſtum ignem eſſe ætheris portionem ab alto in nubis concauitatem decidētem, in qua impingitur, dicitque huius lucis ſplendorem ex nube exiliente dici coruſcationem, ſeu fulgur, ſeu fulmen, cuius perforationis effectu facit tonitru.

Alij volunt, quod fulgura proueniant à ventis calidis & siccis, à nubibus arcte compressis & circumseptis qui istiusmodi ventis nubes vri atque accendi dicunt; vnde fremitus oritur; sunt etiam nonnulli qui nolunt fulgur ab igne generari, sed per imaginationem aquæ splendentis, quæ videtur nocte in nubibus per claritatem astrorum. At hanc opinionem digne refutare videtur Aristoteles, quia fulgur videtur diurno tempore sub radiis solis. Deniq; tam mirabilis est huiusmodi in natura operatio, vt quidam profundius se in DEI & naturæ mysteria immergentes, & admirabilem fulminis virtutem atque operationem sedulo reputantes, ipsum non opus naturæ, sed summum Dei effectum immediatum arbitrati sint, quorum etiam in numero quilibet verus Christianus numerari debet. Sed ad illius Aristotelicæ definitionis examinationem imprimis properabimus.

Ille dicit causam illius materialem ex terra desumi, atque causam agentem in eleuatione sua virtutem facit Astralem, efficientem vero atque accendentem externam & adventitiam facit collisionem & concussionem nubium, simul atque frigus loci per antiperistasin agens in illuminatione illius; denique rationem motus illius deorsum reddit, videlicet quoniam materiæ eius portio est terrestris & consequenter grauis & compacta.

At vero ad causam eius materialem & matricis sedem, à qua editum est fulgur, quod attinet, ex sancto Biblio docemur, quod sint longe aliæ quā Aristoteles ille existimauit: In ecclesiastico scriptū reperitur. *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum: Valde speciosus in splendore suo. Gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum. Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicii sui, Propterea aperti sunt thesauri & euolarunt nebulæ sicut aues, in magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis: In conspectu eius mouebantur montes, & in voluntate eius aspirauit Notus, Vox tonitrui eius verberauit terram, tempestas aquilonis & congregatio spiritus aspergit niuem &c. Eccl.* 43. Ex quibus sapientis dictis colligimus non modo tonitruorum & fulguris, verum etiam omnium fere aliorum meteororum, tam lucidorum quam tenebrosorum causam materialem imo etiam formalem efficientem & finalem, simul etiam matrix occulta, ex qua orta est omnium eorum materia ibi enucleatur. Nam ad meteororum materiam quod attinet, in primis illam in eo indicare videtur, simul atque matricem, vbi dicit: *aperti sunt thesauri, & euolarunt nebulæ &c.* Vnde liquet, quod thesaurus Iehouæ sit matrix meteororum omnium, imo vero & matrix materiæ: Hinc alibi dictum est. *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ, Deut.* 28.12. Et alibi, *Educit ventum è thesauris suis, Psal.* 135. Vnde liquet, quod per cœlos intelligat aerem apertum, in quo nubes sunt suspensæ, vnde & alibi dictum reperitur, *DEVS aptat pondus aeri & appendit nubes in mensura, facit pluuiæ statutum & viam fulgetro tonitruum, Iob.* 28.25. Ex quibus patet, quod vt aer in aere continetur non aliter quam contentum in continente, ita quidem & aer sit meteororum ex aere varieformi procreatorum matrix & sacrarium, seu arca thesauraria.

Hinc in loco vlteriori videtur agnoscere, quodlibet horum esse congregationem spiritus, id est aerem. Causa etiam eorum formalis ex præscriptione prædicta elicitur, videlicet Iris seu arcus cœlestis, vbi dictum est, *vide arcum & benedic eum qui fecit eum: Valde spatiosus in splendore suo gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ*, Porro & niues, coruscationes, nebulæ, nubes, lapilli grandinosi, venti seu spirans Notus, vox tonitruosa cum suo motu, tempestas Aquilonaris &c. suis non indigent in sola sua nominatione formalibus differentiis, quibus vnum ab alio differre solet, Efficiens etiam in eo indicatur, quod dicitur *manus excelsi aperuerunt illum*, Et alibi, *Benedic eum qui fecit illum*, Et, *gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ*. Et, *imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicii sui, & propterea aperti sunt thesauri*, Et, *in magnitudine sua posuit nubes, & in voluntate eius aspirauit Notus, Psal.* 135.7. & sic in cæteris, & alibi: *fulgura cum pluuia facit Iehoua.* Denique finalis horum meteororum intentio generationis est, vt voluntatem suam perficiant, hinc dictum est ibi, *In voluntate eius aspirauit Notus*, Et alibi scriptum reperietis, *quod turbo, frigus, glacies, nubes, pluuiæ, fulgura &c. quodcunque præcepit DEVS istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum, siue ad terrorem, siue ad efficiendam beneficentiam efficit vt præsto sint, Iob.* 38.8. Et in propheta Baruch reperitur, *Nubes totum orbem permeare iussæ, ipsum mandatum obediunt & perficiunt, Fulgur cum apparet perspicuum est, & ipse ventus totam regionem perspirat, & cum nubibus mandatum est à DEO vt obeant totum orbem habitabilem, conficiunt quod mandatum est, & ignis dimissus superne ad desolandos montes & syluas, facit quod imperatum est, Baruch.* 6. Ex his ergo fulguris descriptionem in hoc modo exprimere fas erit.

Fulgur est aer quidam igneus, qui ex arca DEI thesauraria seu cœlis virtute diuina depromitur, & ad voluntatem creatoris hic in terris, vel beneuole vel maleuole perficiendam emittitur.

Vel sic:

2. Fulgur est lumen DEI, procedens à throno, quo è nubibus quasi tentorio Iehouæ emittitur totique orbi terræ illucens, cardines quoque maris operire solet. At vero si fulgura cum omnibus suis accidentibus describere velimus, & per consequens integram tonitrui (quod est meteoron mixtum) essentiam explicare; illud hoc modo sacrarum literarum testimonio describere fas sit.

3. Fulgur est ignis exardens à facie Iehouæ præ fulgore in conspectu cuius nubes transire, & de cœlo tonare, vocemque suam dare, & carbones igneos seu sagittas suas in impiorum ruinam emittere solet altissimus.

Vel sic:

Fulgur est ignis euolans ab ore Iehouæ desuper è tentorio eius emissum, in conspectu cuius aquæ seu nubes (vtpote timentes, & abyssi quasi conturbatæ transeunt, voxque tonitrui Iehouæ in rota mouetur) atque carbones ignei seu sagittæ eius ad voluntatem suam in cœlis & in terris exequendam eiaculantur.

Denique Vel sic.

Fulgur atque etiam coruscatio est lux mundata atque nitida facta, in superioribus nubibus, quas ventus transiens purgauit. In prima fulguris descriptione manifestum habetis, quod causa eius materialis sit aer igneus; Locus ex quo depromitur est arca DEI thesauraria, seu cœli; causa formalis etiam in eo explicatur, quod dicitur spiritus seu aer igneus, causam etiam efficientem fecimus (sacrarum literarum testimonio stipati) velle diuinum: Denique causa finalis in eo explicatur, quod ad voluntatem Iehouæ perficiendam vel ad mortalium pœnam vel emolumentum emittitur. Huius descriptionis membra in præcedentibus, vbi mentio facta est de anima lucida animante, luculenter satis explicatur.

Secunda descriptio confirmatur à Diuo Iohan: qui dicit, *quod fulgura procedant à throno, Apoc.* 4. 3. Et alibi dicitur *fulgurare lumine suo desuper cardinesque maris operire: Iob.* 36. Et alibi, *præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt Psal.* 17. 9. Et alibi. *Ignis ab ore eius euolauit*: Et alibi, *ab ore eius velut tædis præeuntibus, & quasi halitus eius carbones accenderent, & flamma ex ore eius prodiret, Iob.* 41. 18.

Porro etiam effectum istius descriptionis confirmat locus iste Iobi, *Si voluerit fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet, Iob.* 36. Et alibi dictum est, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Psal.* 76. 17.

Porro dicitur, *quod extendat nubes quasi tentorium suum, & fulguret lumine suo desuper. Iob.* 36.

Tertiæ vero descriptionis membra (quibus vniuersi tonitru natura enucleatur) ex sacris literis confirmamus modo consequenti, atque inprimis causa tonitru materialis in his verbis exprimitur; Videlicet quod sit ignis exardens, vel igneus aer, & in materiæ descriptione eius forma quoque explicatur. Efficientem eiusdem causam Iehouam in iracundia sua esse notat. Effectus etiam eiusdem esse nubium exagitationem, fragorem seu tonitruorum vocem innuit, ac tandem finem facit, ad voluntatem diuinam in impiorum ruinam exercendam: Hæc descriptio confirmatur huiusmodi Psalmistæ regii sententia: *Ascendit (inquit) fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo: inclinauit cœlos & descendit & caligo sub pedibus eius &c. & posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius, tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aeris: Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis, intonuit de cœlo dominus, & altißimus dedit vocem suam, grandinem & carbone ignis, & misit sagittas suas & dißipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Psal.* 17. 9. In quorum siquidem verborum filo, omnia descriptionis præcedentis membra patefiunt atque confirmantur. Quarta etiam descriptio ex iisdem verbis perspicue elicitur, omniaque eius membra exinde depromuntur. Ad quintæ vero confirmationem quod attinet, in qua etiam fulguris causam tam materialem quam formalem, sicut etiam efficientem cum effectibus, atque tandem etiam finalem, ex variis sacræ paginæ locis statuminatam habemus: Nam scriptum reperimus, *quod Iehoua extendat nubes quasi tentorium suum, & fulguret lumine suo desuper, Iob.* 36. Et alibi. *Viderunt te aquæ DEVS, viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ sunt abyßi, Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ &c. Psal.* 76. 17. Et alibi, *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis: & misit sagittas suas, & dißipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos, Psal.* 17. 9.

Sextam etiam confirmamus per hoc testimonium: *iam non respiciunt homines lucem, cum nitida est, in superioribus nubibus, quas ventus transiens purgauit*, Qui quidem sermo non modo de fulgure sed de omni meteoro lucido potest intelligi: nam ventus depurando tenebrosum lucidæ naturæ occultatæ detegit, & visibilem in sua lucida natura reddit.

Sed quoniam alibi de essentiali fulguris descriptione verba satis perspicua fecimus, vbi fulgura cometas &c. seu potius eorum interna, angelicos Iehouæ ministros esse demonstrauimus, in quibus nomen Iehouæ inest; Igitur fulgura omittendo ad tonitru descriptionem breuiter sic accedimus.

Tonitru est fragor in tugurio Iehouæ, super quod lucem suam extendens radices maris tegit, terræque orbi illuminat: vt cum his iudicet populum & det cibum abunde. Hinc dixit Iob. *Si consideraret homo extensiones densarum nubium, fragores in tugurio illius, extendit super illud lucem suam, cum his iudicaturus est populum, & daturus cibum abunde: Iob.* 36. Ex quibus colligere fas est, quod forma tonitru sit fragor, efficiens causa lux Iehouæ, organum vocis, *densæ nubes quæ dicuntur tugurium Iehouæ*. Hinc & aliter: *posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aeris, Præ fulgore*

gore in conspectu eius nubes transierunt, & intonuit de cœlo dominus &c. Psal. 17. Denique finis tonitruorum & fulgurum ibi declaratur, videlicet, quod sit tam ad iudicandum populum, quam ad dandum cibum abunde.

Vel sic.

Tonitru est vox altissimi, cum flamma & fulgure mixta, ad conturbandos impios à DEO edita atque ordinata. In qua forma est fragor seu vox cum fulgure, efficiens causa est ipse Iehoua, & finis est ad impiorum flagellum.

Confirmatur loco præcedenti: *Intonuit* (inquit Psalmista regius) *dominus de cœlo, altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbonem ignis, & misit sagittas suas, & dissparuit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos, Psal. 17.*

Vel sic:

Tonitru est vox seu sonitus à fulgure è throno DEI procedens, & è nubis cauitate in aerem apertum, diuino numine, ad voluntatem suam, vel in malum vel in bonum, tam in cœlis quam in terris exequendam emissus.

Vbi causa formalis est vox seu sonitus, efficiens est fulgur Dei, finis est, vel in benedictionem vel in maledictionem.

Confirmatur sic. In apocalypsi scriptum est, *De throno procedunt fulgura, Apoc. 4. 3.* Et alibi. *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent adsumus? Iob. 38. 38.* Et alibi; *ascendit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarsit &c. Psal. 17.* Et alibi, *Nubes & caligo in circuitu eius, ignis ante ipsum procedit, & inflammabit in circuitu eius, Alluxerunt fulgura eius orbi terræ &c. Psal. 97. 2.* Et alibi. *Vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transierunt &c. Psal. 76.* Vbi per sagittas fulgura hoc in loco intelligere videtur: Vnde & alibi scriptum est: *Ibunt directo emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium, Sap. 5. 22.* Vnde innuere videtur, quod nubes dederint vocem, quia fulgura eas transierunt & penetrauerunt.

Vel sic:

Tonitru est vox DEI in nube eleuata, impetu aquarum vndique circumsepti & operti, ante quem ignis præcedit, & inflammat in circuitu eius:

Hinc dicit Iob. *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Iob. 38. 34.* Et alibi, *Nubes & caligo in circuitu eius, Ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu eius. Psal. 97. 2.*

Vel sic:

Tonitru est vox Dei, ad quam multitudinem aquarum dat in cœlo, fulguraque & pluuiam facit. Hinc scriptum est. *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura in pluuiam facit, educit ventum è thesauris suis, Ier. 10. 13.*

Vel sic:

Tonitru est multitudo sonitus aquarum, seu vox nubium, à Dei coruscationibus toti terrarum orbi illucentibus effecta.

Vel sic:

Tonitru est multitudinis aquarum, aspectu Iehouæ timentium & perturbatarum sonitus, vel vox seu fragor circumiens, quam dare solent nubes, quæ quidem vox immediate à coruscationibus, ex throno Dei procedentibus, & è nubibus (quæ sunt tugurium Iehouæ) erumpentibus est edita seu procreata, ad voluntatem diuinam exequendam.

In qua descriptione materiale vocis istiusmodi organon sunt aquæ, quasi timentes & perturbatæ, vnde & vocem, seu sonitum, seu fragorem edere solent, ob penetratiuam potestatem, quam lucidus & fulgidus Dei aspectus, mirabilium operator producit. Hinc dictum est, *præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis, intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam: Psal. 17.* Et alibi, *Viderunt te aquæ DEVS, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, vox tonitrui tui in rota, Psal. 76. 17.*

Causa etiam formalis in eo describitur, quod cum fragore & coruscationibus fit.

Causa efficiens videntur esse fulgura, seu potius igneus Dei aspectus ipsa fulgura animans, & ad metam à Deo ordinatam dirigens, vnde fulgura sunt quasi instrumenta Dei in iracundia sua, vt gladius est instrumentum hominis percutientis, vbi hominem talem ense percussisse dicimus, & non ensem; quare ipsum DEVM solum in rebus actorem, ipsorum tonitruorum patrem dicimus, qui emittit fulgura quasi sagittas suas à throno suo iuxta illud Apocalypseos.

Finem autem posuimus esse ad voluntatem diuinam perficiendam.

Vel denique in hunc modum.

Tonitru est vox, seu loquela, seu eloquium, seu sonus ab ore Iehouæ progrediens, quod sub toto cœlo cum luce super terminos seu oras terræ dirigitur, post quam fugit sonitus seu tonat DEVS voce excellentiæ suæ, & non inuestigatur cum audita fuerit vox eius, qui tonans facit voce sua mirabiliter.

Hanc huiusmodi literarum sacrarum verbis confirmatam habemus. *Audite cum tremore vocem seu loquelam, vel* (vt alius interpretatur) *eloquium ab ore eius egrediens sub toto cœlo dirigit, eloquium illud &*

lucem super terminos vel oras terræ, Post eum rugit sonitus, tonat voce excellentiæ suæ, & non inuestigatur cum audita fuerit vox eius, tonans Deus voce sua facit mirabiliter &c. Iob. 37.

His igitur contra stultas Ethnicorum opiniones neque exhalationes neque vapores cum illis, nec sol cum stellis, nec terra aut aqua, nec elementa, neq; natura creata, sed ipse Deus, qui est omnium mirabilium operator, esse causa efficiens horum mirabilium immediata demonstratur, quod etiam à sacro scripto confirmatum habemus, ne cum Ethnicis ea naturæ, aut elementis eius, aut elementatis falsò attribuamus, quæ creatori inprimis atque ante omnia sunt attribuenda, atque hoc modo cum ipsis in idololatriam fœdam nos inopinate cum ipsis præcipitemus.

Sed bene scio à nonnullis obiectum fore, quod huiusmodi tonitrua, de quibus loquuntur literæ sanctæ, miraculosa & minime naturalia fuerint; in hanc sententiam cadunt tam philosophi recentiores quam veteres, videlicet Tonitrua esse quandoque naturalia, quandoque supernaturalia, ac si quæ in natura mundi humida perficiuntur, non fiant immediate à DEO, æque ac illa quæ secundum anni tempus aut calida aeris intemperie accidunt, ac quæ in hyeme aut aliis rationibus occultis, cum ignotum esse nequeat vero Christiano, quod DEVS sit vbique, & habitationem habeat tam in ipsis elementis, quam in rebus elementatis, in summo enim cœlo vestitur lumine tanquam vestimento, in medio cœli posuit tabernaculum suum in Sole, in infima regione fecit densam nubem tugurium suum, imo vero teste Iob. *Iehoua ei respondebat è turbine*: Porro & in terra est. Nam *terra pariet Saluatorem*: In Propheta & per os Prophetæ loquitur: imo vero qualibet huius mundi re vtitur DEVS pro suo organo, & secundum organi varietatem varie loquitur, in spiritu simplici mundano, neque auditur neque intelligitur eius vox, nisi ab illuminatis aut spiritu excitatis, in angelis & mediantibus organis angelicis loquitur, sed mortal. s vt plurimum in iracundia sua terribiliter homines alloquitur, hoc est, in tonitru, vnde dicit Iob. *Audite cum tremore vocem ab ore eius egredientem sub toto cœlo & lucem super terminos terræ: Iob.* 37. Quare mente male sani sunt istiusmodi philosophi, qui distinguunt tonitrua in vana & bruta, ea videlicet quæ videntur nihil significare, & fatidica atque significantia, at si tonitrua ideo dici debeant vana & bruta, ac nihil significantia, quoniam in ipsorum procreatione Dei intentio (qui nihil frustra in mundo produxit) non sit reuelata ipsis. *O quam occulta sunt DEI mysteria, & ab hominum profanorum cognitione quam abscondita!* Nec quidem Ciceronis peritiam hac in re laudare possum, qui Lib. De Diuinat. aliquam diuinationis speciem ex fulgurum obseruationibus oriri posse negare videtur, idque inconsulte satis, sed illam facit vanam & inanem: & tamen à sacro Biblio docemur contrarium, vbi scriptum reperitur. *Quod DEVS magnus vincens scientiam nostram, extendat pro placito suo nubes quasi tentorium suum, & fulguret lumine suo desuper, cardines quoque maris operiat, per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus, in manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat, &c. Iob.* 36. Ex quibus colligere fas erit, quod fulguret DEVS, ad faciendam mortalibus iustitiam, atque etiam fulgura in pluuiam conuertat, ad mortalium beneficentiam, Vnde & alibi dicitur, *Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo, qui eleuat nubes de extremo terræ, fulgura in pluiam facit, & producit ventos è thesauris: Ierem.* 51.15. Vnde liquet, quod nullum sit tonitru, nisi quod sit vox Iehouæ, Vnde generaliter loquitur Psalmista regius de tonitru in hæc verba: *Vox Iehouæ super aquas, vox DEI fortis gloriosi intonat, vox Iehouæ super aquas multas, vox Iehouæ potenter & in virtute sua, vox Iehouæ decore, vox Iehouæ confringet cedros, perfringet etiam Iehoua cedros Libani, & facit vt exiliant sicut vitulus Libanus & Shirion, vox Iehouæ cedit flammas ignis, vox Iehouæ concutit desertum, vox Iehouæ facit vt abortiant ceruæ & denudat Syluas, verum in templo suo loquitur totam gloriam suam, &c. Psal.* 29. Vbi mentionem facit Rex de voce Iehouæ terribili, & de illa pacifica.

Concludimus igitur, quod maxima Christiani cuiuslibet sit stultitia, imo vero & irrecuperabilis dementia, fidem tantam in vanis & mendacibus Ethnicorum opinionibus, de tonitru verba inania iactantibus, ponere, quibus hominibus persuadere conantur, tonitrua & fulgura esse quasi res aduentitias, & naturali intemperie cælorum ortas, & minime diuinitus emissas, atque ita effectum respicientes, illumque falsò pro causa efficiente habere gestiunt, hoc est, quod Dei cuiuslibet rei creatoris est creaturis attribuere volunt, atque ita non modo blaterare inconsulte sed impie blasphemare pergunt, hominesque ducunt ad idololatriam, ac si quis vitam hominis corpori & non animæ attribueret. Quare vos sciatis velim, me hoc in loco minime temerarie scripsisse, sed sedulo, & bonis fundamentis stipatum: cui etiam & alii philosophi in abstrusiori Iehouæ mysterio profundiores astipulari videntur, vtpote qui considerantes admirabilem fulminis operationem, ipsum non opus naturæ, sed summi DEI effectum immediatum arbitrati sunt.

Admonitio.

AD vos ergo qui in religione Christiana tam syncere operam & oleum consumere videmini, sermonis mei filum conuertere iam liceat, qui falsa Peripateticorum doctrina seducti, tonitru pro re communi, & minimæ vel saltem vilis æstimationis, & à natura certis momentis propter calidam

lidam aeris intemperiem productum putatis. Auscultetis huic nostræ admonitioni, nec illam futiliter reiiciatis aut pro nihilo habeatis velim, si fulgura & tonitrua immediate à Deo procedere comprobauerimus, quoniam in tali meo officio non modo vobis in vestra tribulatione solatium, verum etiam Deo creatori meo gloriam atque honorem adhibebo.

Sciatis ergo quod admodum delirent, delirauerint, & obstinatia sua delirabunt sapientes huius mundi, philosophorum Ethnicorum asseclæ, quippe qui non concedunt, Deum operari omnia in omnibus, & quod verbum eius omnia moueat, conciter, & conseruet, sed naturæ creatæ illud ascribunt, prætendentes Deum ex necessitate agere per media & quidem per secundas & tertias causas, atque ita errantes, intelligere vltro nolunt, quod Deus vnice per verbum suum, & non per alia necessaria media, atque ita etiam nequaquam per istas ab illis allegatas causas, sed in illis tantum quasi organis operetur.

Vos autem in Biblio sacro enutriti, & Christi lege gubernati concipere, idque in perpetuum vobiscum reuoluere suadeo, quod primam consistentiam, nimirum aquam, Deus madidam seu humidam per verbum suum creauerit, atque hæc ipsa substantia etiam hodie post lapsum tot mille annorum humida manet; iterum ex hac aqua cœlum & terra (teste Diuo Petro) mediante verbo erant creata: Porro in cœlo lucem, solem, Lunam & stellas, diem & noctem & cætera omnia creata dicto verbo suo produxit, & sua ipsis seruitia imposuit, atque propterea illa omnia secundum verbum illud sua munera obeunt, Vbi igitur est Peripateticorum natura quæ ista peragat? Nihil plane vspiam est, præter vnicum & solum verbum Dei, quod ista & alia omnia operatur, iuxta illud Euangelistæ. *A verbo omnia sunt facta & sine eo nihil, in ipso erat vita, &c. Ioan. 1.* Vnde liquet, quod sine ipso nihil existere aut agere possit. Quatenus igitur aer est pars cœlestis consistentiæ, consequitur, ipsum à verbo factum esse, & in verbo quasi natare, vtpote quod omnia complectitur, & ab ipso verbo Dei mouetur & gubernatur: Imo vero & in ipso tanquam arca thesauraria Dei eaque vniuersalis habet peculiares suas arcas, ex quibus variæ meteororum species producuntur, quas sub variorum angelorum & spirituum præsidio & gubernatione, (qui etiam ex aere & in aere per verbum sunt creati) posuit, quemadmodum ex variis scripturarum sacrarum locis à nobis infra allegandis colligere fas est, quorum administratione (mouente & operante Verbo) omnia in aere meteora producuntur, omnesque tempestates mirifice suboriuntur, quæ mundo accidere solent. Hinc dictum est, quod angelos fecerit ventos, & ministros flammam ardentem &c. cum aere ergo in mundi primordio simul creauit Deus angelos, qui in aere circa directionem tempestatum, pluuiæ, niuis, grandinis, pruinæ, nubium, fulguris, tonitru, ignis, chasmatum, fulminis, aquarum, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, & aliorum id genus plurium munus suum ac officium obeant & exequantur; atque hoc ipsum etiam fit hodie verbo eius, quæ omnia in Portione nostra sequenti, vbi agetur de causa meteororum efficiente à nobis erunt perspicuius declarata. Quod quidem Ethnicis philosophis, & Christianis ipsorum asseclis incognitum est, quippe in quorum ore & scriptis spiritus mendax & falsus sedem sibi vendicauit: à quo eorum ignorantia & philosophiæ vanitas est orta, nec mirum, cum neque DEVM neque sacrosanctum eius verbum cognouerint, quippe qui sacram scripturam contemnentes, vel minime legentes, sed deliriis suis duntaxat incumbentes, mendacium mendacio assuere solent: quod si Christiani Peripateticorum Ethnicorum discipuli isti, Biblia sacra eo studio perlegissent quo libros & volumina Aristotelica falsa euoluerunt, vera de aere & tempestatibus inuenissent, quod non eo modo circa illas res sese habeat, atque illi in libris suis imaginationibus repletis scripserunt: Sed quod Deus, pro hisce iam commemoratis speciebus, peculiares in aere aperto suas arcas thesaurarias habeat, ex quibus ventos & tempestates producit, & quod aer in verbo Dei natet & consistat, & per constitutos ad hoc angelos, Dei dirigente verbo, ducatur, quando, quo, & quomodo Deus vult, vnde dixit Dauid: *Angeli DEI validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri facientes placitum, Psal. 103. 20.* legimus etiam de principe potestatem habente aeris: Et quamuis hoc ipsum à nobis hoc in discursu propositum leue nonnullis videri possit, est tamen illud arduum, & maximi momenti, quatenus concernit etiam honorem diuinum, vt filii Dei vere & fundamentaliter sciant atque intelligant, rationem tempestatum, & alias eo spectantes operationes, non motu proprio, aut casu fortuito, neque etiam tali modo imaginario, qualem Ethnici ponunt atque effingunt in suis scriptis, Sed ex prouidentia diuina & thesaurorum diuinorum arcis induci & prouenire, ac desuper in hunc mundum inferiorem demitti; quo si quando tempestates periculosæ suboriantur, inuocare possint Deum, vt velit istud tempestatis periculum clementer auertere, & loco illius pluuiam benignam largiri, atque insimul etiam fructus terræ vna cum hominibus & pecoribus ab omni malo defendere, tueri & conseruare; ac vt præterea etiam circa hæc omnia considerentalia quæcunque, quæ cedere possunt in honorem Dei. Consideretis velim quam immanis sit inter libros Ethnicorum philosophorum & fontem totius veritatis differentia, & quod adhærendo testimoniis eorum necesse sit, vt discedatis à fonte totius veritatis. Quoniam nulla est reuera veritas, præterquam in solo Deo; nam *DEVS ipse est sola veritas, & qui in veritate manet ille manet in Deo & Deus manet in ipso,* atque ita ille in Deo veluti diuinus efficietur, &

perpe-

perpetuo in illo manebit, atque videbit hac ratione, idque dilucide & perſpicue, quod aer ex mandato Dei, & ſecundum voluntatem diuinam, mediantibus miniſtris ſuis angelicis, tanquam eius inſtrumentis, aſſidue ſit ductus & gubernatus, atque de vna in aliam formam tranſmutatus.

Denique quomodo angeli ſint ſolummodo miniſtri, & quaſi organa Dei in mirabilibus iſtiuſmodi operationibus, non aliter quam fiſtula eſt inſtrumentum muſices, per quod muſicus edit modulamina ſua, hoc eſt, flatu ſuo harmonice agit, & quomodo Deus ſit ſolus in iis agitator ad voluntatem ſuam exequendam in hoc mundo inferiori, in portione iſtiuſmodi tractatus, vbi agitur de cauſa meteororum efficiente, luculenter (Deo volente) explicabitur.

Cap. XIII.

Particula Quarta.

De Meteoris ignitis inferioris regionis conſiſtentiæ aereæ: videlicet veſpertina cæli rubedine, Traiectionibus ſeu Aſſub cito apparentibus & diſparentibus, ſtellis cadentibus; Igne fatuo, ſeu igne crines lambente, atque Caſtore & Polluce.

PEripateticorum princeps, cæterique qui eius doctrinam ſequuntur, inter vndecim illas impreſſiones ignitas, quas commemorare ſolent, Aſſub numerant apparens & diſparens, quorum etiam numero rubedinem Veſpertinam haud inconſulte addere poſſumus vtpote inter quam & Aſſub apparens & diſparens non grandis eſt differentia. Hi ergo volunt, quod Aſſub apparens & diſparens ſit procreata ex tenui exhalatione in nubibus occulta, cuius pars aliqua quandoq; apparet & quandoque euaneſcit. At vero nos tam ſubito apparentes & diſparentes impreſſiones lucidas à cauſis magis occultis prouenire dicimus, videlicet ab occulto Dei velle & ſecretis verbi atque miniſtrorum eius angelicorum operationibus, quorum eſt mandata diuina iſtiuſmodi inſtrumentis viſibilibus vel benefice vel malefice in terris & in aquis præſtare atque perficere. Hinc etiam è ſacris ſcriptis elicimus, *quod nubes ſpargant lumen ſuum, quæ luſtrant cuncta per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis agit, ad omne quod præceperat illis ſuper faciem orbis terræ, ſiue ad flagellum, ſiue ad faciendam beneficentiam & miſericordiam, Iob. 37. 12.* Vbi videtur intelligere non modo de fulgure, ſed etiam de omni meteoro lucido, circa nubes procreato, quæ in ſapientia ſua more mirabili & quandoque prodigioſè producere ſolet creator, vnde ſic loquitur Dauid: *Opera DEI mirabilia & ampla, quæ omnia feciſti in ſapientia, Pſal. 103. 24.* Et alibi. *Recordamini mirabilium eius quæ fecit, prodigiorum eius & iudiciorum, Pſ. 105. 5.* A ſapientia inquam ſeu verbo eius hæc omnia ſunt more mirabili producta, *cuius eſt ligare aquas in denſis nubibus ſuis, adeo vt non ſindatur nubes ſub eis, Iob. 26. 9.* Nam Deus ſapientia ſua non modo aptat pondus aeri, & appendit aquas in menſura, & facit pluuiæ ſtatuta, verum etiam & viam fulgetro tonitruum atque etiam cuicunque meteoro lucido.

Hoc etiam idem de Veſpertina rubedine eſt exiſtimandum, in qua nihilominus natura lucis animantis & corpus animatum conſiſtentia differunt, nam in veſpertina rubedine denotatur, quod ſpiritus nitroſi vndique in aere diſperſi, & ob dilatationem vel occultationem inuiſibiles redditi, jam condenſatione appareant in aere aperto, qui quidem ſpiritus ventorum calidorum flatu comparere obſeruantur in cælis; ſic etiam videmus, quod in ſpiritus ſalis nitri extractione rubedo talis appareat in recipiente, quæ apparitio fit à flatu igneo compellente, & hinc fit, vt niſi caute vigilet artiſta, ob ventorum in recipiente incluſorum violentiam, recipiens (non ſine magno, artiſtæ periculo) in infinitas portiunculas diſrumpatur, quod aliquoties percepimus: pari etiam modo poſt huiuſmodi ipſorum in cœlo apparitiones ventos robuſtiores in aere procreatos eſſe obſeruauimus ſæpicule: Sed & iſtiusmodi operationis operator eſt ſapientia Deiformis.

Stellæ etiam cadentes in ſuperiori huius regionis aereæ parte, ex paruula lucis eiuſdem portione, at ſubſtantia denſiori, qua cometæ & cæteræ regionum ſuperiorum impreſſiones ignitæ oriuntur, quæ & occultas in ſe (vtcunque ab hominibus vilipenduntur) habent operationes, effectusque lentos & quaſi inſenſibiles producunt, pro voluntate illius qui nihil fruſtra creare ſolet.

Ignis etiam fatuus, crines animalium lambere ſolens, atque etiam Caſtor & Pollux, ſunt luces ſecretæ, in aere craſſiori productæ, & à loci dæmonibus gubernatæ, & ad placitum creatoris complendum ordinatæ; Imo vero nullum horum vane & futiliter à natura hac ſapientiſſima & ſempiterna, omnem locum inhabitante atque replente, in mundum eſt productum. Infinitum foret diſcurſu longiori hæc omnia explicare &, fortaſſe tædium; quare, quoniam de horum cauſa formali verbum feciſſe ſuffecerit, capitulum hoc paucis abſoluam.

Cap.

Cap. XIV.

Particula Prima.

De meteoris tam tenuioribus quam grossioribus consistentiæ terrestris.

SVnt quædam etiam meteora macrocosmi lucida manifesta & visibilia quorum consistentia est magis corporea, terreamque dispositionem sibi vendicant, tenduntque in sua natura ad melancholiam & bibem adustam, atque huiusmodi sunt vel tenuioris constitutionis, habentque formam fumi grossioris, à quo terra, arena, & lapides in speciem diuersam tinguntur, videlicet in flauedinem, nigredinem, rubedinem, albedinem &c. atque hi fumi à ventis & vasis terræ exurgere solent. Est & alia istiusmodi meteororum species adhuc magis corporea, grossa, & gummosa, estque vel sulphurea vel bituminosa &c. Quid autem de istiusmodi meteororum terræ generatione existiment philosophi, tam veteres Ethnici, quam Christiani eorum sectatores, paucis dicemus, vt postea ipsorum opinionem cum fonte totius veritatis comparemus.

Meteoron igitur sulphureum fecerunt ipsi materiam quandam metallarem, ex vnctuoso & terreo subtili & igneo, decoctam atque coagmentatem à calore solis & cœli.

Bitumen ex humoribus putrefactis vnctuosis in terra natum esse volunt.

Nos autem dicimus bituminosa contenta esse nihil aliud, quam sulphuris effectus, quemadmodum cineres sunt carbonum ignitorum effectus, vt infra vlteriori demonstratione latius dicemus, sed ad rem.

In hac ipsorum sulphurei meteori descriptione videmus, quod causam ipsius materialem fecerint vnctuosam quandam & terram subtilem, & igneam substantiam: in qua etiam particula causam formalem expresserunt. Efficientem atque concoquentem posuerunt esse calorem solarem & cælestem.

At vero nos alibi diximus, non modo hominis externi sed etiam terræ visibilis atque cuiuslibet rei ab ipsa constitutæ spiritum internum esse de aere mundi vniuerso, vtpote à quo omnia respectu consistentiæ ab origine sunt procreata, dicimusque, quod tali nexu & continuitate concatenentur adinuicem partes aeris mundi vniuersi, siue in terra siue in homine, vel alia quacunque re sunt inclusæ, vt sit necesse, quod pars eiusdem totius vnica sentiatur à toto, & perturbatio vnius partis etiam persentiatur ab alia. Vnde liquet, quod sulphurea aeris mundani dispositio sit etiam in causa naturæ sulphureæ illius, tam terræ quam hominis: quare metallaris istiusmodi natura procul omni dubio ab aere mundano prius processit originaliter, idque ordinatione & velle diuino, & executione influentiarum seu dæmonum, corporibus cælestibus præsidentium operatione, qui verbo gubernantur, vtpote in quo est ipsorum vita.

Denique quod sulphur more mirabili ex aeris arca sit à DEI sapientia pro placito suo productum, & quasi ex nihilo creatum, & deinde in terram quasi ex cælorum arca thesauraria profusum atq; emissum, in eo docemur, quod sulphur & ignem demiserit DEVS de cœlo super Sodom & Gomorrha, atque euerterit ciuitates cum omnibus eorum incolis, omnique eo quod viguit in illis, *Gen.* 19. Ab hac etiam arca thesauraria DEVS fulgura & tonitrua sua depromere solet, & ignem suum de cœlo sæpissime emittere, quemadmodum temporibus Moysis & Eliæ accidisse legimus, sed de occulta & mystica istiusmodi meteororum procreandi ratione, in tractatu nostro de causa Meteororum efficiente latius DEO volente dicemus. Ad Bituminis autem procreationem quod attinet, certissimum est & experientia comprobatum, ipsum à terræ cum sulphuris adusti mixtione, vel potius viscositatis vnius cum illa alterius amplexu generari, quemadmodum ab effectu ciuitatum Sodomæ & Gomorrhæ in hunc vsque diem videre licet, à quo lacus, mare mortuum dictus, abundare traditur istiusmodi gummios specie, quod cementi loco in longe dissitos locos pro structuris affertur, & inter medicos haud raro in vsu habetur.

Correlatiuum ad Microcosmum.

- Meteora Microcosmi lucida sunt vel
  - Manifesta seu sẽsibilia ad quorũ cõpositionem duo cõcurrunt videlicet vel
    - Spiritus igneus seu cholericus, humores aereos Microcosmi animans & illuminans, estq; ille vel
      - Fulgetrans,
      - Coruscans,
      - Fulgurans,
      - Fulminans,
        - Vnde variæ intemperierum calidarum formæ atq; differentiæ luti in inflammationibus & febribus diuersis apparet) oriuntur.
    - Corpus Microcosmi aereum animatũ, seu aeris Microcosmi condẽsati portio illa à seminariis meteororum macrocosmi dissipatorũ illuminata estque vel ordinis
      - Superioris, videlicet corp⁹
        - Cometarum
        - Columnarũ } Ardẽtium
        - Stipularum
        - Atq; aliorum portẽtorum ignitorum huiusce regionis seu ordinis
          - In aerem Macrocosmicum prius dispersorum, & tum postea in aerem Microcosmicum inspiratione attractorum & alimento perfusorum, & istiusmodi cõsistentia est valde subtilis.
      - Medij nẽpe illud
        - Tonitruorum, chasmatum atque id genus aliorum
          - Et hæc portio est consistentiæ mediocris
      - Inferioris & magis densi & sunt consistẽtiæ vel magis
        - Aereæ, vt sunt
          - Faciei
            - Rubedo diuturnior, rubedini vespertinæ comparatur
            - Color rubicundus, cito apparens, & cito disparens, vt in verecundis, iracundis, & in aliis leuibus irradiationibus more coruscationum leuium apparentibus & disparentibus.
          - Fumi interni, seu in interiori spiritu Microcosmi aereo procreati, cuiusmodi solent phantasiæ etiam clausis oculis, tam sanis quam morbo affectis, more spectri ignei apparere, Et istiusmodi somnia seu visiones igneæ in somno apparere videntur.
        - Terrestres & ad dispositionẽ adustam tendẽtes sunt que vel cõsistentiæ
          - Grossioris vel naturæ
            - Sulphureæ, vt inflammationes omnes grossæ,
            - Similiter lepra,
            - Scabies sicca &c.
            - Bituminosæ vt gũmata omnia seu excretiones ex carne exurgentes.
          - Tenuioris consistentiæ est vel
            - Humor, est bilis flaua seu adusta.
            - Fumus, vnde fit icteritia flaua, & morphea flaua.
  - Occulta. Vide L.

Vt inter spiritum fulgetrantem, coruscantem, fulgurantem, & fulminantem in Macrocosmo illa est differentia, quæ inter plus & minus solet esse, adeo vt videantur esse quasi gradus splendoris lucidi è nubibus diuino mysterio emissi, ita quidem tales & tanti sunt spiritus ignei gradus in medio aereo ipsius hominis, mediantibus quibus morbi febriles diuersi generis actu se præbent, & visibiliter in sanguinis sero seu vrina percipiuntur, inter quos febris diaria coruscationi, omnisq; intemperies vix sensibilis fulgetranti spiritui rite æquiparari potest, vel aliter vti inferius est relatum.

Quæ


Quæ autem sunt altioris naturæ meteora ignita, hoc est, loci eminentioris, videlicet cometæ species, illa quidem locum sublimiorem in medio hominis aereo tenent, videlicet in spiritibus vitæ, vnde fit, vt non modo letaliter afficiant istiusmodi meteororum seminaria, in aere macrocosmico dissipata, & à spiritu humano hausta, & ob loci sublimitatem etiã invitæ essentiam penetrant. Hinc oriuntur pestes & febres pestilentiales, omnes que morbi contagiosi: hinc etiam experientia docemur, quod cometæ apparitio non modo hominibus, verum etiam plantis & fructibus tabem atque dispositionem indicare soleant, vnde de peste & fame fieri solet prognosticatio. Porro videmus, Cometæ apparitionis spatium minimum esse septem dies, in quo etiam tempore morbi pestilentiales & præcipue pestis & febres pestilentiales in 7. diebus terminari solent, nam istiusmodi continuatione metitur morbi peracuti crisis.

In aere ergo humano tria inter se discrepantia percipiuntur, videlicet locus supremæ aeris regioni comparatus, in quo & similia etiam contenta procreantur, & locus mediæ assimilatus cum suis contentis seu meteoris ei adaptatis, & locus infimus spiritibus grossis & humoribus assignatus. Terræ autem respondet corpus hominis solidum: quare vt terra multis accidentibus est obnoxia, videlicet sulphureis flammis, aquis calidis, & huiusmodi aliis, ita etiam gummata succino similia, inflammationes sulphureæ, & huiusmodi alia corpori humano adueniunt.

Cap. XVI.

Particula Secunda.

De Meteoris vtriusque Cosmi occulte lucidis & consistentia tenuibus.



Cap. XIV.

Particula tertia.


De Meteoris macrocosmi lucidis ex aere conflatis.

QVod Auster cum ventis suis collateralibus aerem grossum & spissum faciat, illumque corrumpat & putridem reddat, in sequentibus declarabimus; sed hoc raro fit sine nubibus, attamen aerem etiam sine manifesta nubium apparitione adeo spissum, licet non perfecte ad sensum, reddit, vt obiecta faciat ob hanc causam minora oculo comparere, quam reuera sunt. Hi venti meteora quandoque occulta & quandoque visibilia & manifesta producunt, quæ iterum venti oppositi flatu; cuius est effectus, Australes annihilare atque disiicere, inuisibilia dissolutione faciunt, vnde seminaria eorum maligna inuisibiliter in aere dispersa, partim in fructus & escam hominum ingredientia, partimque per asperam arteriam à corde per medium aereum attracta, spiritum etiam humanum, videlicet illum aereum, facillime inficere solet, vnde pestes & morbi putridi vtplurimum sequuntur, & præcipue in iis, qui oppositis flatibus à natura sua optime muniti non sunt: atque hinc est, quod alii istiusmodi seminariis contagiosis intoxicantur, alij velle diuino salutares atque ab eorum malignitate immunes remanent. Hinc dictum reperitur, *quod DEVM à meridie cum splendore lucis, hoc est, fulgure venientem anteiuerit pestis, & præcesserit anthrax ad pedes eius, & quod vbi constiterit mensus sit terram, & viderit & disturbauerit gentes, Abak.* 3.2. Ex quibus liquet, quod vt mandato diuino istiusmodi meteora lucida ab Austro emittuntur ad puniendos impios, tamen non omnes soleat iisdem percutere, sed nonnullos tantum, vnde dictum est, quod mensus sit terram, Et etiam propheta regius in hæc verba loquitur; *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine seu nocte peruadente, à lue vastante in meridie*, vel (vt Hieronymus interpretatur) *à dæmone meridiano, plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, nam angelis suis præcipiet de te, Psal.* 91. In quo quidem sermone per pestem in meridie intelligit seminaria pestifera, quæ inuisibiliter & quasi caligine absconduntur in aere. Per primum ergo exemplum videmus, quomodo DEVS à meridie properans, fulgure & tonitru ac nube circumclusus, fecerit pestem & morbos contagiosos nuncios suos, quibus solet gentes & populos ei rebelles perturbare. Quod autem DEVS meteora omnia producat, vel ad flagellum vel ad faciendam beneficentiam terræ incolis, Iob innuere videtur hisce verbis, *Turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, tonitru & fulgura, quodcunque præceperit DEVS istis faciendum in superficie orbis in terra, siue ad flagellum siue ad faciendam beneficentiam efficit vt præsto sint: Iob.* 37.8. De huiusmodi etiam spiritu procelloso in aere inuisibiliter, sed sensibiliter agente, sic loquitur sapiens, *spiritus potentiæ*, vel spiritus potestatis vel virtutis *stabit contra impios, & tanquam procella seu turbo venti iactabit eos.* Quod autem istiusmodi spiritus sint angeli seu ministri DEI vastantes, infra suo loco ostendemus.

Quæ autem sint meteora lucida magis particularia ex his etiam quæ antea sunt dicta explicatur: quare ea leuiter hoc in loco transibimus.

Corre-

Correlatiuum.



QVomodo venti Microcosmici dependeant à ventis Macrocosmi, & quanta sit inter aerem Microcosmi cum illo Macrocosmi relatio in præcedentibus satis superq; à nobis est disceptatum. Porro etiam, quod meteora in aere Macrocosmico visibilia inuisibiliter dissipata, in eo tam per nutrimentum, quam per inspirationem introducantur in spiritum hominis aereum, & similes in eo pariant effectus, quales in aere Macrocosmico, antea est luculenter à nobis demonstratum.

Cap. XIV.

Particula Quarta.

De Meteoris Macrocosmi occulte lucidis großioris consistentiæ.

- Macrocosmi meteora occulte lucida, ex terra & aquis scaturientia, proueniunt vel
  - Secundum loci naturam eaq; vel
    - Terrestria, vt sunt fumi
      - Vegetabiles, animales, & minerales, in suis naturis bene maleue olentes, sulphurei, vt est vapor ille venenosus, ex terra in antrum canis Promontorii Puteolensis exiliens.
      - Bituminosi, vt vapores ex territorio iuxta mare mortuum exurgentes; seu ex lacu Sodomæ & Gomorrhæ.
    - Aquatica vel aerem
      - Maligniter inficientia vt fumi
        - Lacus Auerni in Puteolis
        - Paludum oriẽtalium iuxta Scanderon.
        - Thermarum sulphur earũ male sanarum.
      - Salubriter afficientia, quales sunt aquæ orientales.
  - Accidentaliter, eaque dupliciter, vel scilicet
    - Arte profluẽtia vt suffumigia
      - Turpia & fœtida.
      - Venenosa.
      - Suauia & salubria.
    - Fortuito contingentia videlicet
      - Ab eruptione vaporis ex loco putrido & venenoso,
      - A fractione vitri, vt in chimia sæpicule accidit.

Corre-

Correlatiuum.

M Microcoſmi meteora occulte lucida, ex terra & aquis ſcaturientia ſunt vel

- Secundum naturam rei vel loci eaque ſunt vel
  - Terreſtria vt ſunt fumi
    - Vegetabilium, animalium vel mineralium, intrinſecus ſumptorum, vel olfaciendo extrinſecus, tam bonos quam malos producentes effectus.
    - Sulphurei, vti vapores venefici in leproſis, & lue venerea affectis.
    - Bituminoſi, qui videlicet concreſcunt in gummata, tophos doloroſos, atque etiam diſſolutis illis in fumum redeunt, vel morbum ſoluentes, vel ipſum exaſperantes.
  - Phlegmatica & aquea eaque vel
    - Morbo inficientia vt ille
      - Lacuum, vt in hydropicis empyematicis, apoſtemate bilioſo & fluxili laborantibus. Phtiſicis, humoribus ventriculi corruptis.
      - Paluſtrium putridorum, vti in vlceribus virulentis & putridis, ſcabie humida, puſtulis ſanioſis &c.
      - Thermarum corruptarum, vti in fiſtulis bilioſis ſeu bile infectis.
    - Salute afficientia qualis eſt ille chiloſus & naturalis humor.
- Accidentalia, vt ſuffumigia omnia, vel arte facta, vel fortuito prouenientia.

Tantus (vti antea eſt declaratum) eſt ſpiritus aeris mundani cum illo humano reſpectus, atque tam proxima relatio, vt hic ſine illo nullo modo viuere aut ſuſtentari queat. Hinc ergo euenit, quod fumi ab aere terreſtri prouenientes, ſiue animales, ſiue vegatabiles, ſeu minerales cum ſimilibus in corpore humoribus & ſpiritu humano tantam habeant affinitatem, vt facilime connectentur cum iis, & in ſuam naturam ſæpicule conuertant, non aliter, quam vel ſulphuris vel olibani Zibetæue odoribus aerem cubiculi, de priori ſua conditione in dictorum odorum naturam mutatum videmus. Sic etiam illum odoribus veneno ſis ad mortalium perniciem infectum quandoque obſeruamus, vti in illis apparet, qui peſte, vel variolis, vel morbillis, vel phtiſi, vel lippitudine inficiuntur, ad communionem quorum ſpirituum aereorum, cum illo nempe aere cubiculi, velociter inficitur aer mundanus, vnde fit, vt etiam ille alios in loco commorantes inficere ſoleat.

MEM.


MEMBRVM TERTIVM.

LIBRI TERTII

Cap. XV.

Particula I.

De Meteoris Macrocosmi ex simplicibus ortis.



TAm presteris quam Turbinis igniti, atque fulguris seu fulminis materiam eandem fecerunt Peripatetici, nempe exhalationem supra modum calidam & siccam, quæ est multa & copiosa, atque hanc agitatione, attritu & collisione atque pugna incendi mediante æstu solis dicunt. At vero nos contra ipsorum doctrinam dicimus, quod materia tam presteris quam turbinis igniti, sit ventus seu aer sulphureus, ab arca DEI thesauraria seu cœlo aereo, velle diuino productus, & quod causa eiusdem efficiens sit ipse Iehoua, & nō creatura solaris, & quod finis eorum sit vt plurimum ad impiorum pœnam, licet quandoque turbo inflammatus ad electorum etiam vtilitatem à DEO procreari soleat.

In hunc igitur modum sacrarum literarum authoritate stipatus, tam presterem quam turbinem describere aggredior.

Prester est pluuia magna, & quasi diluuium ignis & sulphuris, quam Iehoua à cœlis, tanquam arca sua thesauraria (cuius est pro velle suo aeris occultum in quacunque forma manifestare) in terræ portionem ad impiorum flagellum demittere nonnunquam solet.

In qua quidem descriptione causam presteris materialem pluuiam igneam seu sulphuream facimus, causam vero efficientem ipsum constituimus Iehouam, vtpote qui eum quasi de nouo ex nihilo creat, seu ex arca Dei thesauraria, seu inuisibili aeris arca thesauraria eum producit. Causa formalis in eo explicatur, quod dicitur pluuia non aquea, sed ignea, atque sulphurea. Deniq; finem in eo expressimus, quod ad impiorum pœnam & destructionem procreari soleat.

Sacræ paginæ testimonio has omnes presteris causas in hunc modum probare possumus. Apud Psalmistam igitur regium primo hæc inuenimus scripta. *Impluit Iehoua super improbos prunas, ignem & sulphur, ventumq; vario prestere coniunctum,* Ps. 11.6. Vbi tam materiam quam formam, atque etiam efficientem causam & finem exprimit Propheta. Materiam quidem in eo, quod dicit *prunas, ignem, & sulphur*: atque in his dictis etiam per formam satis patentem distinguit presterem ab alia pluuia aquea. Tum postea causam efficientem, non solem, vtpote creaturam ponit, sed Iehouam creatorem, qui agit immediate in omnibus. Denique finem facit, vti impios cruciet & morte afficiat. De istiusmodi etiam meteori effectu sic scribit Dauid alibi. *Vt ignis exurit syluam, vt flamma accendit montes, ita prosequere eos procella tua, & turbine tuo conturba eos,* Vbi Propheta videtur presterem accipere pro specie turbinis: Similiter istiusmodi meteori effectum sic verbis expressis describit Moyses. *Sulphure & sale adeo adusta est eius terra, vt neque seri neque pullulare possit, neque prouenire in ea vlla herba,* Deut. 49.23. Denique in Genesi verbis planis & apertis sic confirmantur descriptionis nostræ supradictæ membra. *Demisit* (inquit Textus) *Iehoua è cœlis pluuiam sulphuris & ignis super ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ, qua subuertebat ciuitates & totam planitiem, & omnes incolas & fœtum terræ, propter impietatem inhabitantium.*

Quare quam sit vana Ethnicorum Philosophantium, & Christianorum ipsorum sectatorum hac in re opinio, etiam luculentissime sapienti, hisce quæ à nobis prolata sunt, diligenter reputatis, apparebit. Quod autem (vt dicit è cœlis) textus intelligat per cælos aeris penetralia, quæ arcam meteororum omnium thesaurariã in præcedentibus esse declarauimus, confirmant hęc antistitis dicta, *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam tempore suo,* Deut. 28.12. Et alibi dictum est, *Peruenisti in thesauros niuis? aut in thesauris grandinis inspectionem habes?* Iob. 38.22. atque ita in cæteris; Vbi certum est, quod cuiuslibet speciei meteoricæ arcas suas thesaurarias DEVS habeat, & quod de potentia occulta in actum manifestum pro placito creatoris producantur. Nec certe impertinens videri debet sapientibus hæc nostra de huiusmodi meteori inquisitione disputatio, in qua contra istiusmodi seculi philosophantium opinionem, eiusdem generationem Deo Opt. Max. Iehouæ attribuimus, & non causis in natura fortuitis, aut rebus creatis, cuiusmodi sunt sol & stellæ &c.

Nam cum certum sit, & textu sacro confirmatum, quod mundus mediante diluuio istiusmodi igneo die vltimi iudicii forma hac sua præsenti priuabitur, destruetur atque purificabitur, inprimis inter Christianorum doctos sedulo reputandum putamus, quod istiusmodi philosophorum Ethnicorum error à statu Christiano in exilium, vltra montes Hyperboreos pellendus sit, & in perpetuam bonorum hominum obliuionem tradendus: Videlicet quod causa istiusmodi meteori (mediante quo mundus in vltimo pereat destrui, hoc est, à forma priori purificatione mutari atque purgari debeat) à terra mediante solis & astrorum æstu oriri soleat, & non à Deo omnium mirabilium patre, cui sit laus & gloria. Nonne ob hanc causam dictum est, *quod hominis filius veniet ab oriente in occidentem, more fulguris & ignis consumentis?* Matth. 27. Sic etiam Iehoua dictus est *ignis consumens, coram aspectu cuius nihil perdurare potest, montes enim sicut cera liquescunt &c.* Deut. 4. Et tamen Peripatetici & Christiani, qui eos sequuntur, volunt istiusmodi potentiam ab exhalationibus imaginabilibus solummodo oriri. sed ad propositum.

Cum materia turbonis seu Typhonis sit eadem, quæ Presteris, licet alia forma & quantitate minori è cælis emitti obseruetur, ideo ipsi etiam ex Sacri Biblii consensu descriptionem hanc sequentem attribuimus; Et primum diuidimus in turbinem igneum seu inflammatum, atque non igneum, sed in gyrum pulueres, & paleas, resque quandoque grandiores circumrotantem.

Turbinem autem inflammatum sic ex sancto testimonio describimus.

Turbo inflammatus est ventus igneus, in globum seu rotam circumuolutus, qui è penetrali suo, tam à plaga septentrionali quam Australi, atque etiam Aphrico, numine diuino prodiens, factus est quandoq; Iehouæ vehiculum, ex quo quasi tabernaculo sanctis apparere, ipsos alloqui, quandoque etiam ad se in cœlum rapere, & vt plurimum in impios vindictam suam emittere ei placet. Vbi causa materialis est ventus seu aer igneus; formalis est ille aer inflammatus, in rotam circumuolutus. Locus est penetrale suum, hoc est, nubes eius generationi appropriata, efficiens est virtus Iehouæ, mediante qua ex thesauris ipsi propriis depromi: finis, vt sit sedes essentiæ diuinæ, & quasi tentorium, à quo cum sanctis suis quandoque loqui, & sæpicule pænas in impios effundere solet: Plagas etiam mundi, à quibus prodire solet vt plurimum, expressimus. Atque hæc omnia contextus sacri authoritate defendimus.

E penetrali (inquit Iob) *prodit turbo, & à dispergentibus frigus,* Iob. 37.9. hoc est à septentrione, vt

Hieronymus interpretatur. Et apud Iesaiam legimus: *Sicut turbines ab Aphrico venit*, *Isa.* 21. Et alibi scribitur, *quod Iehoua in tuba canet, & vadet in turbine Austri, Zach.* 9.14. Ex quibus locis plaga mundi vnde vt plurimum emittitur explicatur. At Ezechiel sic habet. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio ignis quasi species electri, & ex medio eius similitudo quasi animalium, & hic aspectus eorum similitudo hominis in eis &c. Ezech.* 1.4. In quibus verbis denotat, quod materia turbinis sit ventus, plaga mundi à qua, Aquilo; forma describitur per nubem magnam, & ignem ventum inuoluentem, & per splendorem in circuitu eius. Per speciem Electri in medio ignis thronus DEI exprimitur, cum spiritibus in rotis, & similitudine hominis, seu filii hominis, Iehouæ essentia intelligitur, ab hoc ergo suo vehiculo Prophetam alloquitur. Hinc ergo patet, quomodo Iehoua hæc omnia faciat mediantibus suis spiritibus angelicis, ad nutum cuius omnia quæ faciunt, præstare solent. Quod etiam DEVS è turbine alloqui electos soleat, testatur Iob, vtpote *cui respondebat Iehoua è turbine*, *Iob.* 38. 1. Ad finem denique istiusmodi meteori quod attinet, certum est, ipsum esse tam ad hominum beneficentiam, videlicet tum, quando DEVS cum electis suis vocaliter conferre solet, atque etiam quando homines via transfigurationis rapit à societate mortalium. Sic Enoch dicitur ex mortalium commercio fuisse raptus, & cum DEO ambulasse, sic de raptu Eliæ legimus hæc. *Ecce igneus currus & ignei equi diuiserunt vtrunq; & ascendit Elias per turbinem in cœlum*, 4. *Reg.* 2.11. Quod autem DEVS fuerit in hac re solus actor in præcedentibus scriptum est, in iis scilicet verbis: *cum vellet Dominus eleuare Eliam per turbinem in cœlum &c.* 4. *Reg.* 2.1. At vero vt plurimũ in vindictam & pænam ob hominum inobedientiam talem impressionem procreare solet Deus: Vnde scriptum est: *A Domino Deo exercituum visitabitur, in tonitru, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, & flamma ignis deuorantis*, *Is.* 29.6. Et alibi dictum est: *Spiritus potentiæ Dei ventilans, & iustitia persequens iniustos. Sap.* 11.21. Et alibi, *Vt ignis exurit syluam, vt flamma excindit montes ita prosequere eos procella tua, & turbine tuo conturba eos*, *Ps.* 83.15. Et alibi, *Turbo impium noctu furtim abripit*, Vel vt Hieronymus interpretatur, *Tollet eum ventus vrens, Iob.* 27. Et alibi, *Spiritus potentiæ stabit contra impios, & tanquam procella vel turbo venti iactabit eos*, *Sap.* 5.24. Denique apud Ieremiam legimus, *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum quiescit. Ierem* 30.23. Quibus videre licet, quod turbo igneus in Iehouæ iracundia frequentissime ad hominum flagellum procreetur.

Turbinem ventosum & minime inflammatum describimus in hunc modum.

Turbo ventosus, at inflammationi minime obnoxius, est spiritus quidam inuisibilis, è penetrali suo diuino numine prodiens, qui in terram emissus, voluntatem creatoris. vel in bonum vel in malum exequi solet.

E penetrali (inquit Iob) *Prodit turbo, & à dispergentibus frigus*, *Iob.* 37. De istiusmodi etiam turbinis specie intelligit Iob vbi dicitur, *Erunt sicut puluis ante faciem venti, sicut fauilla quam turbo dispergit*, *Iob.* 21.18. De ea etiam intelligit Oseas vbi dicit: *Sicut puluis turbine raptus ex area, &c. Osee* 13.3. De huiusmodi etiam vento intelligit Psalmista regius, vbi in hæc verba loquitur, *Ps.* 107.33. *Descendentes ad mare nauibus, ipsi vident opera Iehouæ & mirabilia eius in profundo, dicitque & flare facit spiritum turbinis, & exaltat fluctus eius &c. Tunc clamant ad Iehouam in angustia sua & de angustiis eorum deducit eos, & stare facit turbinem in silentium, & silent fluctus.* Hæc ille. In quo sermone ventum illum tempestuosum, inuisibilem & minime inflammatum intelligere videtur.

Cap. XV.

Particula Secunda.

De tempestate marina seu Lacuum.

TEmpestatem procellosam, cuiuslibet speciei, à voluntate diuina dependere, vbicunque in sacris literis docemur, vtpote quæ imperium sibi vendicat, tam in animam quam spiritum, Vnde dictus est *Dominus Deus animæ & corporis, Deus fortis spirituum, Num.* 16.22. nec quidem est vlla tempestas, quæ non à ministris Dei angelicis, Verbo seu velle diuino incitante, perficiatur: Vnde dicit Propheta regius: *Angeli Dei validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, facientes placitum*, *Ps.* 103. 20. Et alibi. *Qui facis angelos tuos ventos seu spiritus, &c. Ps.* 104.4. Et quidẽ tempestatum omniũ maxime horrenda est illa marina, in qua vndæ instar montium videntur quandoque ad cælum eleuari, & subito tum postea deorsum in Barathri quasi abyssum detrudi obseruantur.

Peripatetici & alii philosophiæ Ethnicæ sectatores causam istiusmodi tempestatis ventis haud inepte, sed in eo cum sacra scriptura conuenientes attribuerunt: at vero de ventorum ortu, videlicet de eorum causa materiali & efficiente, male atque incongrue sunt opinati, quippe qui illam (materialem nempe) exhalationem calidam & siccam, à terra exhalatam esse falso asseuerauerunt, simul atq; causam efficientem, non Iehouam, mediantibus suis angelis, sed solem, stellas, & frigidam mediæ aeris regionis intemperiem.

Nos

Nos vero ab iis longe dissentientes, causam materialem dicimus ab arca Dei thesauraria, hoc est, cœlis seu aere esse abstractam, internumque agens spiritum quendam angelicum vocamus, quem spiritus Iehouæ animat, & ad voluntatem suam præstandum in vndis agitare solet, vnde Tempestatem marinam ex sancti scripti authoritate hunc in modum describimus.

Tempestas marina est maris à spiritu turbinis (quem agitat Iehoua verbo suo ad voluntatem suam in aquis perficiendam) perturbatio, hoc est, fluctuum eiusdem nunc ad cœlum vsque exaltatio, eorumque mox ad voraginem depressio, mediante qua anima nauigantis in malo liquescit, omnisque eius sapientia absorbetur, ac tandem, nisi Iehoua in sua misericordia stare faciat turbinem in silentium, aquis vndosis deglutitur, atque ita ob peccata sua perit.

In hac descriptione causam tempestatis materialem aquas esse marinas perspicimus, efficientem ipsum Iehouam, qui mediante suo ministro, turbine nempe, aquas perturbat. Forma istiusmodi tempestatis in eo depingitur, quod vndę seu fluctus quandoq; vsq; ad cælum quasi sursum eleuantur, & mox ad imam vsq; voraginem deprimuntur. Denique finis istiusmodi operationis in eo explicatur, quod scilicet inprimis iis, qui descendunt ad mare nauibus, ostendat animæ humanæ vigorem, aut sapientiæ mundanæ potestatem confundi & pessundari, vbi spiritus diuinæ potentiæ se opponit: deinde quod sit in Dei manibus, aut spiritui illi turbinoso silentium imponere, eumque cum fluctibus marinis quietum reddere, tunc scilicet, cum ei placet nauigantium misereri, aut illum eo vsque exagitare & animare, quousque impii submergantur. Atq; hoc ex Psalmistæ regii testimonio confirmatum habemus, à quo hunc accipimus sermonem: *Descendentes ad mare nauibus ipsi vident opera Iehouæ & mirabilia eius in profundo, dicitque, Et flare facit spiritum turbinis, & exaltat fluctus maris, ascendunt vsque ad cœlum, descendunt vsque ad voraginem, ita vt anima eorum in malo liquescat, iactantur & nutant sicut ebrii, ita vt omnis sapientia eorum absorbeatur: Tunc clamant ad Iehouam in angustia sua, & de angustiis eorum deducit eos, stare facit turbinem in silentium, & silent fluctus eorum, celebrant Iehouæ misericordiam, & mirabilia eius filiis hominum prædicant, &c. Ps.* 107.33.

Quæ quidem Dauidis verba includere videntur omnia descriptionis nostræ supradictæ membra. Porro etiam, quod tempestatum pater sit Deus exercituum, mediantibus ventis, in his verbis alibi declarare videtur, *Oceani naues perfringes Euro: Psal.* 48.8. Similiter quod in eius potestate etiam sit compescere fluctus maris atq; lacuum, & efficere spiritum turbinosum silere, fluctusque quiescere, authoritate Iobi colligendum est, in quo dicitur: *quod potentia eius quiescere faciat mare, & intelligentia percutiat eleuationem, Iob.* 26.12.

Concludimus autem, quod hoc idem, quod dictum est de fluctibus & tempestatibus, intelligi etiam debeat de fluctibus lacuum, stagnorum, fluminum, &c.

Cap. XV.

Particula Tertia.

De Terræmotu & eiusdem accidentibus.

PHilosophorum Ethnicorum, & præcipue Peripateticorum sententia est, quod causa terræmotus materialis sint vapores varii, in eius ventre cauernoso meatibusq; inclusi, efficientem autem faciunt ipsorum inter se resistentiam & pugnam, mediante qua ipsi seipsos dilatantes, viam faciunt violenta eruptione è terræ speluncis seu cauernis, atq; ita secundum leuitatem suarum naturarum sursum rapto motu tendunt. Hinc ergo concludunt, quod in violenta istiusmodi è terra eruptione ipsius terræ massa vel integra vel sola pars aliqua concutiatur, & tremere causetur, voluntque pestē plerunq; sequi istam terræ cōmotionem, ob fumorum è terra prorumpentium malignitatem, quibus tam aerem quam ipsas aquas corrumpi asseueranter dicunt.

Quorum quidem opinio si esset probabilitate aliqua munita, fides ei à sapientibus fortior esset attribuenda; sed proh Deum atq; hominum fidem! quis prudentia aliqua præditus, & in mirabilium Dei speculatione iusta versatus, credere & asseueranter dicere est ausus, tantam molem solo fumo in visceribus suis abscondito, tam leuiter, atq; etiam tam vniuersali tremore, rugitu & conturbatione vibrari atq; conquassari posse? aut si fumus sit causa illius materialis, quis obsecro est in re tam stupenda actor? Anne vaporum inter se pugna? Et si eorum pugna, quis primarium in ipsis agens? At vero non est mirum, quod philosophi isti Ethnici, atq; ipsorum asseclæ Christiani, in effectuum causis errauerunt, cum ipsum Iehouam eiusque verbum, à quo & per quod omnia sunt facta & in lucem producta ignorauerint. Nos autem affirmamus, quod sit spiritus aereus in terra, mediante quo viuit tota massa terrestris, & in suo esse continuatur, non aliter quam ipsum corpus humanum ab aereo suo interno, in statu & esse suo præseruari cernimus, qui spiritus, nisi de spiritu mundano omni momento absorbeat atque hauriat portiunculam, persistere nequit. At vero videmus sacrarum literarum testimonio instructi, *quod Iehoua solo suo aspectu timorem incusserit nubibus & aquis, atque ipsam abyssum turbauerit, Psal.* 76. 17. Vnde multitudo sonitus aquarum atque nubium, imo & alibi dictum est, *quod voce tonitrui sui aquæ formidauerint, Psal.* 103. Et alibi, *Quod*

nubes in conspectu eius transiuerint. Haud dissimiliter etiam agere solet creator in aere terrestri, quando terra pauore quasi contremiscere & concuti videtur, videlicet sola voce & aspectu Iehouæ. Hinc n. dicitur, *& concutitur & mouetur terra. fundamenta cœlorum cōmouentur, concutiuntur cum ira accenditur ei, cū ascendit fumus per nasum eius, & ignis ex ore eius consumit, prunæ ardent ab eo, & demittens cœlum descendit cum caligine sub pedib. suis, & insidet Cherubinis & volat &c.2.Sa.22.8.* Vnde liquet, quod sit spiritus seu fumus à Deo emissus, qui est causa perturbationis & concussionis, non modo aeris aperti & nubium eiusdem, vnde tonitrua sonitus & tremor in aere & nubibus, verum etiam in spiritu aereo in terra inclusо, qui spiritus aereus flatu vel fumo angelico à Iehoua procedente, non minus accenditur quãdoque more fulminis in nube, sed etiam accensus cogitur non aliter cum ingenti tremore ex terra erumpere, quam spiritus in nube accensus, à nubis cauernis, non sine immensa perturbatione & concussione massæ aqueæ in nubis speciem collectæ. Nam proculdubio ita se res habet, quod vt *DEVS angelos suos fecerat ventos, & ministros ignem vrentem & fulminantem, Psal.104.* ita quidē hi ministri ventosi tã visibiles, quã inuisibiles, officia sua præstant, in voluntatis diuinę executione, tã in spiritib. inclusis, quã illo vniuersali aperto. Dicimus ergo, ꝙ vt spiritus mundanus sit vehiculū ministrorum DEI, per quos & in quibus operatur quicquid ipsi placet, ita necesse est, vt harum operationum mirabilitas procedat immediate ab essentia diuina, in ministris hisce tanquam anima increata, vel verbo diuino regnante; sic non dicimus fistulam hanc vel illam melodiam edidisse, sed flatorem: quare vtcunque DEVS angelis vtitur tanquam instrumentis, ad producendum terræ motum, atq; etiam aeris & nubium perturbationem in tonitru, nihilo minus tota ista operatio Deo, vtpote immediato actori, est ascribenda, Hinc dicit Iob. *Terram commouet DEVS à loco eius adeo, vt columnæ eius contremiscant, montes transfert, &c.Iob.9.5.* Et alibi, *Terra intuente DEO tremuit, & attingente ipso montes fumant, Psal.104.32.* Quare necesse est, vt cum illo ipso Propheta confiteamur *quod terræ ima Vestigia sint in manu DEI, Psal.9.5.* & per consequens, quod ipsa ab eo solo gubernetur, hoc est, vel quiescat, vel vibretur, pro beneplacito suo, & quamuis angeli præsentiæ ascribatur quandoq; eius concussio, tamē certum est, vbicunque angelus DEI adest, ibi etiam & ipsum Iehouam esse præsentem: quippe in quo nomen DEI magnum, hoc est, verbum eius ineffabile inest; hincque est, quod Dionysius haud inconsulte Angelos *Agalmata* vocat, hoc est, clarissima specula lumen DEI, hoc est, eius emanationem suscipientia. Ob hanc igitur causam scriptum est; *Ecce terræ motus magnus factus est; angelus enim Domini descendit de cœlo, erat autem aspectus eius sicut fulgur, Matth.28.2.* Quibus innuere voluit, quod aspectu essentiæ fulgidæ DEI irascentis in angelo Iehouæ, spiritus terræ esset taliter agitatus atque commotus vt violenter è visceribus suæ molis eruperit.

Concludimus igitur, quod ex præcedentium locorum authoritate nobis erit (vt opinor) licitum, huiusmodi de Terræ motu descriptionem facere.

Terræ motus fit, quando spiritus & quasi anima vniuersæ massæ terrestris, intuitu Iehouæ, seu angeli eius irascentis affatu perturbatus, & dilatatione incitatus atque exagitatus, è suo corpore terrestri, in aerem apertum, more suspirii ingentis, cum gemitu, aut aeris accensi è nube (non sine montium, ciuitatum, templorum, atque ædificiorum regalium concussione & ruina, hominumque strage, & peste frequenter insequente) violenter erumpere cogitur, vtpote cuius impetu contremiscit atque commouetur massa terrestris, & malignitate inficitur atque intoxicatur aer apertus.

Vel sic:

Terræ motus fit, quando spiritus terrestris aspectu atque afflatu Iehouæ ira accensi, pauore quasi atq; formidine concitus, corpus suum terreum, more spiritus hominis timore inexpectato percussi, contremiscere atque commouere facit.

In priori descriptione causam terræ motus materialem spiritum terrestrem seu terræ internum fecimus: sic enim videmus, quod in spiritus nitri distillatione, spiritus internus massæ nitrosæ, propter vehementem ignis exagitationem è corpore suo exiliat, ipsum recipiens quandoque corrumpat, & in mille portiunculas vibret, non sine horrendo sonitu, similiter ipse aer in nube densa inclusus, spiritu vel solo aspectu Iehouæ, irascentis inanimatur, illuminatur, atque dilatando exagitatur, vnde fit, vt magna cum nubium commotione ipsarum latera impetu violento perforet ac findat, & cum tremore ac strepitu egrediatur, ad voluntatem creatoris exequendam. Huiusmodi ergo erat terræ motus ille famigerabilis quondam in promontorio Puteolensi, qui accidit, vtpote cum flammis sulphureis, fulgure, & tonitru tremendo adueniens; atque ille non multos ante annos, qui cum ruina oppiduli Plurensis Italiæ, montisque eminentissimi ei vicini subuersione, non sine flammis typhoneis, è terræ & montis cauernis exurgentibus, simul atque fulmine & tonitru ab alto emisso fertur accidisse.

De illis terræ motibus, qui à spiritu non accenso proueniunt, vbertim scripsere sanctæ scripturæ, & hominum adhuc viuentium experientia testatur: quare verba de his plura hoc loco facere non intendimus.


De tonitru nube & fulgure atque lapide fulminari supra vbertim disceptauimus.

Corre-

Correlatiuum.


DIximus in supra prolatis, quod spiritus tam terræ quam hominis, & cuiuslibet alterius rei animatæ vel non sit ita in substantia sua adligatus cum spiritu mundi aperto, quem aerem vocamus, vt dispositio partium subito (nisi res aliqua maioris momenti impediat) mutetur in dispositionem totius; Vnde liquet, meteororum in magni mundi aere procreatorum seminaria, vbique in aere illo per dissolutionem dispersa, facillime cum eodem aere successiuis vicibus penetrare, & magnetica quadam inspiratione introduci in aerem particularem tam terræ quam corporis humani, & rerum animatarum aliarum, vbi secundum naturæ suæ appetitum eosdem aut saltem similes solent in aere corporibus incluso producere effectus, quos manifeste in aere aperto obtinent, verbi gratia, ad cometarum apparitionem insequi solet pestis, seu febris pestilentialis, in summa spiritus humani regione, videlicet spiritibus vitalibus, vnde petechiæ seu maculæ purpureæ oriuntur, fulminis & chasmatum apparitiones sæpissime morbos putridos generant, & sic in cæteris, vti in sequenti tabula demonstratur.

K Meteora microcosmi mixta, ex meteoris orta sunt vel
- Tempestuosa seu procellosa eaque participant de natura
  - Presteris seu ignis volatilis
    - Fumosi
    - Sulphurei
    - Fulminantis
      - Manifeste cuiusmodi sunt
        - Formica
          - Corrupta.
          - Non corrupta.
        - Serpigo volatica,
        - Erisypelas,
        - Ignis Persicus,
        - Noli me tangere,
        - Lichen dictus ignis Volagrius, ignis Saluaticus.
      - Occulte vt
        - Lippitudo
        - Pestis
        - Variolæ
        - Morbilli.
  - Ecnephiarũ ex variis vẽtis deorsũ flantib. vel
    - *Per se vt in*
      - Passione
        - *Colica,*
        - *Iliaca.*
      - Voluulo.
      - *Sternutatione.*
    - Cum aliis accidentibus, vti in calculo affectis.
  - Turbinis, qui est duplex videlicet
    - *Non inflammatus, vti in*
      - Vertigine.
      - *Matricis suffocatione.*
      - Flatu Hypochondriaco &c.
    - Accensus vt in
      - Typhomania
      - Lycanthropia
      - Furore, & delirio, & Phrenesi in febribus.
  - Flatuũ & pituitæ simul vt tẽpestas procellosa in mũdo paruo, illi mari similis, vt in
    - Euomitionibus vndosis seu fluctuantibus,
    - Epilepticis insultib. vndas grossas vaporum ad cerebrum eleuantibus ventremque sursum & deorsum deprimentibus.
  - Flatuum & partium seu membrorum corporis simul vti in corporis
    - Tremore seu motu
      - Diurno & vehementi vt in tremore affectis.
      - Pro tempore, vt in febrib. intermittentibus.
      - Repentino & subito euanescente.
    - Hiatu, qualis est ruptura, syphac, fissurę à flatibus æstuosis factæ.



Cap. XVI.

De Meteoris pacificis quæ ex simplicibus oriuntur.



Cap.

Cap. XVI.

Particula Prima.

De Iride seu arcu cælesti.

A Peripateticis Iris dicitur esse arcus varii coloris in nube rorida, opaca & concaua, ex radiorum solis oppositi reflexione apparens oculis spectantium. Hunc dicunt non posse aliter se habere, quam vt figura sua sit arcuata vel semicircularis, quamuis certum sit, & experientia comprobatum, quod arcus huiusmodi iuxta paginæ sacræ testimonium quandoque gyret cœlum incircuitu, quemadmodum in speculo nostro meteorographico ad oculum demonstratur.

In hac ergo eorum descriptione causam arcus materialem ex qua, seu in qua, faciunt nubem roridam, opacam, & concauam, Formalem in eo explicant, dum dicunt esse arcum varicolorem, Efficientem radios solares faciunt, ex quorum reflexione oculis spectantium apparet.

Nos vero ex sacrarum literarum textu colligimus, Iridem posse in hunc modum à Philosopho Christiano describi:

Iris est circulus seu arcus DEI, valde gloriosus in splendore suo, quem manus altissimi ita extendit, inque nubibus die pluuiæ posuit, vt esset signum fæderis sempiterni, quod ipse pepigit cum omni anima viuente, quæ carne vegetat, videlicet quod non erit vltro diluuium ad delendum vniuersam terram.

Vel sic.

Iris est arcus inter nebulas gloriæ die pluuiæ refulgens, quem DEVS manibus suis fecit, cœlumq; in circuitu gloriæ eius gyrauit vt omni animæ ex carne viuente esset signum inhibiti diluuii vniuersalis.

In quibus descriptionibus causa materialis videtur esse spiritus quidam gloriosus, in splendore suo se manifestans in nebulosa nube cœli; Formalis etiam in eo exprimitur, quo dicitur esse arcus gloriosus in splendore suo, in nubibus die pluuiæ positus: Vel quod sit arcus inter nebulas gloriæ refulgens, cœlum in circuitu gyrans, Porro etiam & efficientem eius causam in hoc descripsimus, quo diximus, ipsum factum atque in nubibus positum vel impressum esse, manibus & quasi digito altissimi. Denique quamuis effectus eius generalis sit pluuias producere, tamen finis eius præcipuus & omnium prior erat, quod esset signum fœderis inter DEVM & omnem carnem, non venturi posthac diluuii vniuersalis: ac si per virtutem hanc suam DEVS nubes à copiosa pluuia cohiberet, aut quod illius apparitio & præsentia esset signum recordationis & commemorationis promissi, facti inter DEVM & terram.

Vnde liquet, quod gloriosus & refulgens ille splendor quem Ethnici varicolorem à radiis solis ortum dicunt, nos à DEO eiusque throno gloria pleno prouenire dicimus, imo vero cum sacro Biblio dicimus, ipsum DEVM in persona & gloria sua, non modo in glorioso corpore solari habitantem, sed etiam vbique in spiritu mundano præsentem mirabile hoc signum fecisse atque reflexu suæ gloriæ exornasse.

Et quamuis certum sit, quod radii solares videantur esse in istiusmodi operatione præsentes, tamen vis longe radiis solaribus procul dubio potentior, ad istiusmodi meteori figurationem & generationem concurrit, videlicet splendor Dei mirabilis, qui pro velle suo vel occultatur vel manifestatur, vti in cæterorum meteororum procreatione est dictum. Nam certe si nubes roridæ atq; radii solares essent in sola causa istiusmodi impressionis, vix dies vlla præteriret, quin iridem seu arcum cælestem videremus, quoniam nubes roridæ vbique in cœlo sunt frequentes: præterea alibi ostendimus DEVM esse nubium & coruscationis cuiuslibet speciosæ patrem, & quod quælibet eorum habeat arcam thesaurariam à qua diuino nutu extrahantur, iuxta illud sapientis: *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum: Valde speciosus est in splendore suo, gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum: Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicii sui, propterea aperti sunt thesauri, & euolarunt nebulæ sicut aues. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis: In conspectu eius commouebuntur montes, & in voluntate eius aspirauit Notus, vox tonitrui eius reuerberauit terram, tempestas Aquilonis & congregatio spiritus &c. Eccles. 43. 15.* Quibus innuere videtur, quod nec Sol, nec stellæ, nec quicquam aliud, sed solus DEVS sit causa efficiens tam iridis quam nubis atque etiam omnium aliarum impressionum. Porro etiam in eo quod dicunt Iridem à solis reflexione in nubis opacæ concauitate esse factam; hoc siquidem falsum esse nos docet experientia, vtpote quæ fieri solet in nebuloso aere, in inferiori parte infimæ aeris regionis, neque ab oculo vltra trecentesimum passum quandoque apparere solet: quod in eo declaratur, quia inter montem & quandoque syluam oculo obiectam, discernere possumus Iridem splendentem, quasi supra herbas imbre roridas descendentem;

dentem; vnde fit, quod contra Philosophorum Peripateticorum opiniones, non requiratur, vt illa fiat in concauitate nubis opacæ, vtpote quæ in aere satis denso at diaphano & transparente sæpissime apparere animaduertitur: vnde mediante illo & per illum montem aut syluam discernere fas est: Atque de hoc aere nebuloso videtur textus sacer agere, vbi dicitur à sapiente. *Ecclef.* 50.8. *Arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & de tali etiam nube* nebuloso scilicet aere videntur alia literæ sacræ testimonia loqui, videtur ergo Arcus apparere inter nubes densas & oculum in nebuloso seu rorante aere. Et quamuis nonnulli Philosophi & quidem optici volunt de varietate colorum Iridis suo more discurrere atque disceptare, dicentes, colorum Iridis diuersitatem tam ex nubis quam luminis variatione prouenire, & quod concurrere debeant ad colorum diuersorum procreationem aqua tenuis in nube rorante, & aer alioqui lucidus, & nubes caliginosæ, quæ omnia à sole irradiata dicunt diuersos præbere colores, videlicet puniceum, viridem, flauum, citrinum, rubeum, glaucum vel cæruleum, (Hæc videtur Aristoteles in lib.3. Meteor. tractare) tamen nihilominus si rem paulo accuratius considerare velimus, illam aliter se habere videmus, quam ipsi existimauerunt, vtpote sine quibus mediis & in alio subiecto iridis colores produci solent, vti *Rogerus Bacon* in libro suo de scientia experimentali atque etiam experientia vulgari docet; nam in rebus inferioribus permultis obseruantur colores huiusmodi apparere: Nam si lapides Indiæ vel Hyberniæ hexagonios sumamus & si eos teneamus contra radios solis per fenestram vel foramen aliquod penetrantes, in vmbra seu aere vmbroso, percipiemus iuxta radios omnes colores iridis eodem ordine, quo in arcu cælesti disponuntur. Quare certum est, colores istiusmodi posse sine mediis prædictis produci, vnde non videtur sequi, quod colores isti ob reflexionem radiorum solarium in nubem roridam concauam & opacam in lucem edantur. Nec quidem ex necessitate sequitur, solares radios immediate ferientes esse causam tantam colorum varietatem efficientem, quia quod si teste Rogeto Bacon, operator acceperit dictum lapidem hexagonium & seipsum conuerterit in locum aliquantulum obscuriorem, & lapidem applicauerit oculo suo semiclauso, in aere discernet protinus dictos colores iridis; sunt ergo nonnulli qui credunt istiusmodi colores à lapidis illius proprietate procreari, atqui vero, hoc est falsum, quoniam vel cum crystallo vel corpore vitreo bene polito in formam triangularem redacto in eo apparent istiusmodi colores tam in vmbroso quam luminoso aere, Porro etiam in remis cymbæ alicuius rore madentibus & guttulis distillantibus eleuatione ab aqua tales colores nonnunquam apparent, idem fit etiam quando aqua violenter proiicitur contra radios solis: Nec tamen vti dictum est necesse est, vt habeamus præsentiam solis in istiusmodi apparitione, quoniam sæpe accidit vt etiam nocturno tempore absente scilicet sole colores isti obseruentur circa candelam apparere, sed tamen fatemur quod necesse sit vt lumen nobis adsit sine quo coloratum discernere nequimus, multo minus colores qui sine colorato videri nequeunt. Sed quod ad subiectum attinet, in quo colores isti sunt conspicui, dicimus illud posse esse ipsum aerem lumine imbutum, nam memini me matutino tempore in lecto iacentem in & iuxta radios solares colores iridis perspicue & diu perspexisse.


Quare procul dubio causa horum colorum mirabilium efficiens est magis occulta & abdita quam vt ab Ethnicis Philosophis, imo vero ab ipsis Christianis huius seculi eorum sectatoribus, possit facile comprehendi. Nam DEVS qui est omne, & in omni, & qui spiritum mundanum vndique suo fulgore licet inuisibili implet, est causa rei istiusmodi in natura mirabilis: qui seipsum per signa, per colores, per fulgura, & infinitas alias vias hominibus reuelare solet. Hæc in natura humida lux à Mercurio Trismegisto Pimand.1. luminis vox vocatur, seu verbum, quod humidæ naturæ astans eam fouebat, Et quidam alius in mysteriis naturæ se valde immergẽs, De art. Chim. c.9. naturam istam occultam dicit esse vim quandam infinitam, ex similibus similia procreantem, cunctas res augentem alentemque, & ob hanc causam omnium in se nomina rerum habentem, nullius coloris, & tamen omnium colorum participantem & effectricem, omnium qualitatum rerumque fæcundam genetricem, vnde concludit, naturam istam esse DEVM, & DEVM naturam istam increatam, humidam creatam creantem fouentemque, quam agnoscunt Platonici esse mundi animam, in eius toto & qualibet parte, licet in se inuisibiliter existentem more animæ humanæ in eius corpore, & Zoroaster, cui etiam Heraclitus Ephesius astipulari videtur, ignem inuisibilem hanc appellat, ex quo cuncta sunt genita; Et alii ex Doctoribus Hebræis volunt illam esse vigorem illum igneum quem spiritus Elohim, qui est amor igneus qui ferebatur super aquas, iisdem edidit, & consequenter vbiq; licet inuisibiliter in mundo dispersus. Nam teste D. Petro, *Cæli & terra erant prius de aqua, & per aquam, consistentes DEI verbo*, 2. Pet. 3. hoc est, emanatione primaria à throno diuinitatis, mediante qua *omnia sunt facta & sine ea nihil*, Ioan.1. Nonne etiam de istius solis spiritualis natura seu luce inuisibili luculenter agit sapiens vbi in hæc verba prorumpit, *sapientia est spiritus omnes in se habens virtutes, simplex & tamen multiplex, omnia prospiciens, omnes spiritus intelligibiles capiens, omnibus mobilibus mobilior, & vbique propter suam munditiam attingens, vtpote qui est emanatio quædam claritatis omnipotentis DEI, syncera, sole speciosior, & supra omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior &c. Sap.* 7. Vnde liquet, quod huic potius soli & luci spirituali attribuenda sit, tam iridis quam cæterorum omnium meteororum

operatio, quam aut soli aut stellis, quippe qui vigores & proprietates suas ab hac lucis radice sortiuntur & habent. Vnde scriptum habemus, *Opera mirabilia & ampla quæ fecisti omnia in sapientia*, Ps.103. 24. Et alibi, *spiritu suo ornauit cœlos*, Iob.26.13. Et alibi, *DEVS sapientia sua aptauit pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum &c.* Iob.28.25. Ex quibus colligere fas est, quod spiritus iste disciplinæ sanctus, qui implet orbem terrarum, & vbique in cœlis reperitur, licet inuisibilis, quandoque per media seipsum reddit inuisibilem, vti in materia solis, iridis, & cæteris meteoris: nam quamuis in se sit spiritus simplex, est tamen & multiplex respectu varietatum operationum & apparitionum. Sed quid verbis opus? expresse hoc designatum habemus in sacris literis, videlicet quod sit Deus eiusque spiritus qui est causa Iridis seu arcus cœli, Apud Ecclesiasticum habemus hæc cap.43.12. *Vide arcum cœli, & benedic eum qui fecit illum; Valde speciosus est in splendore suo, gyrauit cœlum in circuitu gloriæ eius, manus altissimi extenderunt illum.* Sic etiam alibi legimus quod causa aspectus veluti arcus, cum fuerit in nube in die pluuiæ, qui erat aspectus splendoris per gyrum, erat præsentia DEI & ministrorum eius in nube; similiter in Apocalypsi hoc idem explicatur. Hinc etiam & alibi reperitur, *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, vbi nebulæ gloriæ denotare videntur gloriosum quendam actorem in arcus illius fabrica: At vero textus hic sequens non modo causam efficientem Iridis luculenter depingit, verum etiam ipsius finem primarium denotare videtur; *Arcum meum* (inquit Iehoua) *ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carne vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuii ad delendam vniuersam terram, eritque arcus meus in nubibus, & videbo eum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter me & omnem animam viuentem vniuersæ carnis quæ est super terram*, Gen.9.12. Ex quo sermone patet, quod materia Iridis sit aer in nubibus, subiectũ in quo apparet est nubes, forma autem aperte indicatur in eo ꝙ dictum est, ꝙ arcus cœli sit valde speciosus in splendore, cœlumq; in circuitu gyrauerit. Efficiens est Deus, vtpote qui eum facere dicitur. Finis occultus est, vt sit signum inhibiri diluuii. Quare certum est, spiritum DEI vbique, licet inuisibiliter se dilatantem, tam in cœlis quam in terris esse authorem & actorem creaturæ istius gloriosæ, qui omnia pro velle suo componit, alterat, & mutat tam in figura quam in colore, & omnia facit, in qua quidem actione vtitur creaturis suis angelis tanquam organis. Et quoniam huiusmodi colorum atque figuræ arcus cælestis ratio, ab opticis & in perspectiua scientia peritioribus more optico pertractatur, quid ipsi in sua arte de Iridis generatione existimauerint, infra tam verbis quam oculari demonstratione in speculo nostro Meteorographico explicabimus.

In arte Chimiæ vera peritiores aiunt, quod mysticum ipsorum sulphur Iridis instar fulgeat per aquas, idque cum omnibus fere coloribus in Iride, & dicunt quod ipse Iridis arcus sit, quia est medius in pura, liquida, & fluente aqua, & medius super terram, ideo totam sulphuris proprietatem, eiusque naturalem similitudinem per Iridem exprimunt, non enim conspicitur in cœlo mundano, iris nisi sole fulgente, cui etiam pluuia solet succedere, venientibus enim nebulis aut nubibus opacis, Sol ipse simul atque arcus Iridis occultatur, eodem plane modo non conspicitur in cœlo chimicorum Iris, nisi sole centrali fulgente, qui est spiritus incorruptibilis in sulphure puro centraliter inhabitans, quem etiam arcum more simili pluuia Microcosmica solet succedere: Venientibus autem nebulis aut nubibus opacis Sol ipse similiter atque arcus iridis occultatur. Hæc scribit quidam in isto arcano expertientissimus (De art. chim. cap.13.) Et certe sciendum est, quod vt spiritus DEI incorruptibilis omnia viuificans, & tanquam mundi anima, dicitur esse in toto & in qualibet parte, ita quidam in particula agit secundum actionem suam in toto. Et quamuis Iehouæ solius sit mundos creare de nouo, cui (vt testatur Salomon) *ad fuit sapientia vt alumnus cuncta componens in creatione mundi*; Sap.9.10. tamen mediante hac sapientia (quam Iehoua homini mittere solet vt præsens versetur cum illo in labore) data est homini cognitio certa constitutionis mundi & vis elementorum, & principii, medii, & finis temporum, & varietatis tempestatum & stellarum situs &c. Sap.7.17. nam spiritus hic centralis gloriosus liberatus ab elementari immunditie, labore & industria humana praxin mysterii diuini homini reuelare solet, iuxta verba sapientis loco superius allegato. A Deo igitur solo mirabilium operatore hæc omnia, siue in vsitato cursu naturæ, siue præter expectationem humanam, & astrologorum vulgarium præscientiam accidant, perficiuntur, mediante verbo mirifico, in cuius potestate sunt omnia.

Quod ad meteora pacifica aqueæ constitutionis atque etiam terreæ attinet, verbo quasi & succincte in præcedenti tabula, peritioribus tamen satis aperte disseruimus, quare de iis plura hoc in loco inferre & mihi tædium & lectori fortasse iniucundum foret.

Correlatiuum.



Cap. XVI.


Particula Secunda.

De Meteoris pacificis Macrocosmi terreis, natura humidis.

Meteora Macrocosmi pacifica terrea, constitutionis magis humidæ se habent vel cum

- Frigiditate vt illa
  - Paludosa seu palustris, estque terra corrupta & cœnosa.
  - Multis fonticulis tam ex aquis dulcibus quam acidis aluminosis atq; salsis & huiusmodi aliis mineralibus contaminatis inebriata.
  - Aquis stagnantibus profundius cauata.
  - In massam cænosam conglomerantia.
- Caliditate cuiusmodi sunt
  - Paludes marinæ, seu terra à fluxu aquarum salsarum paludosa facta, ab iis corrupta & insalubris facta.
  - Paludes seu terra paludosa, aquis vel amaris vel sulphureis infecta, vel extrinsecus protuberans, vel in profundum excauata.

Correlatiuum ad Hominem.



- O Meteora Microcosmi terrea pacifica, constitutionis magis humidæ se habent vel cum
  - frigiditate quasi paludosæ terræ nẽpe
    - Apostemata quasi
      - Paludes stagnantes vt Hydropesia
        - Vniuersalis vt
          - Anasarca.
          - Leucophlegmatia.
        - Particularis vt Ascites.
      - Paludes cænosæ & limosæ
        - Oedema.
        - Acrochordines.
        - Lupiæ.
        - Strumæ seu scrophulæ.
    - Vlcera frigida & minime dolorosa
    - Pustulæ aqueæ & serosæ vt Phlyctænæ quæ sunt papulæ paruæ.
  - Caliditate quasi terra palustris quo referuntur
    - Apostema vt
      - Phlegmon
      - Herpes miliares.
    - Pustulæ vt
      - Epicyclide à sanguine cholerico
      - Aliæq; ex
        - Phlegmate salso.
        - Sanguine bilioso.
    - Pruriginosus vapor, salsus, nitrosus, & amarus, cum aliquibus partibus terreis adustis, ex quibus scabies & pruritus humidus.

BRE-



Prognos		
V Æ A H	♄	Turbi res Ca ssio Ne na N
V Æ A H	♃	Aeri per
V Æ A H	♂	Frig hum ga.
V Æ A H	☉	Aeri tio p ra te
V Æ A H	♀	Cœlun Calor Nebula Nix
V Æ A H	☿	Venti do n

CATOPTRVM METEOROGRAPHICVM.

Ensoph seu diuinitatis infinitudo.



Prognosticatio Meteorologica per planetarum inter se aspectus et ad. ☽. ☌. ☍. □

		☽	☿	♀	☉	♂	♃
VÆAH	♄	Turbidi humores Caloris remissio Nebulæ. Pruina Nix.	Venti pluuiosi. Venti. Venti nubiferi. Venti niuosi	pluuia frigida Nubes pluuiosæ frigidæ	Pluuia frigida Grando Tonitrua Pluuia frigida. Nix. Nebula	Tempestas pluu Tonitru Grando Tempestas plu	Tempestas. Grando Tonitru Venti ud pluuia Tempestas.
VÆAH	♃	Aeris temperies.	Ventus magnus.	Temperies.	Ventus. Tonitru Fulgu Ventus. Frigoris profligatio.	Venti robusti. Tonitru Tempe Venti ualidi Frigoris profligatio.	
VÆAH	♂	Frigoris & humoris fuga.	Venti aliquando nubiferi.	Pluuia. Imbres. Pluuia. Frigoris remissio.	Venti siccitas. Tonitruum. Venti siccitas. Frigoris remissio.		
VÆAH	☉	Aeris alteratio pro natura temporis	Ventus.	Pluuia Tonitrua nimbosa Pluuia Humiditates.			
VÆAH	♀	Cœlum caliginos Caloris remissio Nebulæ crassiores Nix.	Venti humidi nubiferi.				
VÆAH	☿	Venti aliquando nubiferi.					



Subsolanus Apheliotes.

ORIENS.

OCCIDENS.



Meteora Homini in beneficentiam missa.


Angelus bonus.	Ne timeto a pauore nocturno, a sagitta uolante in die, a peste in caligine inuadente, uel ab occursu et dæmonio meridiano. Plaga non appropinquabit ad tentorium tuum nam Angelis suis præcipiet de te, et conseruet te in omnibus uijs tuis. Psal: 10.11.
Ventus.	Impellit Eurum in cœlos et inducit robore suo Austrum cum impluisset super eos carnem tanquam puluerem. Psal: 78.
Pluuia.	Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos dando pluuiā terræ tuæ tempore suo. Deut: 28.12.
Ros Manna.	Iannas cœlorum aperuit depluens mannam ad commedendū. Ps: 78.23
Turbo. Frigus. Glacies. Nubes. Pluuia. Fulgur.	Turbo, Frigus, Glacies, Nubes, Pluuia, Fulgura &cæt: quodcunque præcepit Deus istis facindum in superficie terræ siue ad flagellum siue ad terrorem siue ad faciendam beneficentiam, efficit ut præsto sint. Iob: 38.

Corus Argestis.

Meteora Homini in flagellum seu pœnam missa.

Angelus malus.	Deus ab Austro uenie splendor eius ut lux erit & cat ante faciem ibit mors et eggredietur diabolus seu pestis seu lues uastans in Meridie ante pedes eius. Abuk. 3.
Prester cum dæmonijs.	Ignis a Deo æterno in eam ciuitatem ad multa tempora imittetur, diuq a dæmonijs habitabitur. Baruc. 4.
Prester.	Dimisit super Sodom et Gomorram pluuiam sulphuris et ignis a Iehoua e cœlis quæ subuertit ciuitatem et omnes incolas terræ. Gen: 9. 24.
Ventus.	Flauisti uento tuo et opernit eos mare. Exod: 15.
Pluuia et Fontes.	Aquas ... cohibet Deus ut arescant et ita emittit eas ut subuertant terram.
Tonitru. Fulgur.	Tonabit de cœlo Iehoua, misit sagittas suas et dissipauit impios, fulgura multiplicauit et consumpsit eos. 2. Reg: 21.
Grando.	Cecidit grando in tota terra Ægyptiarum, quiquid erat in agr... tam homines quam iumenta et herbam læsit illa. Exod: 9.

BREVIS SPECVLI SEV CATOPTRI HVIVSCE NOSTRI METEOROGRAPHICI EXPLICATIO ATQVE ELVCIDATIO.



EN ecce (Lector optatiſſime,) quod alii multa oratione & ſubtili docendi genere, ſcientiam videlicet meteorologicam, exprimere ſunt aggreſſi, illam pictura hac quaſi curta & breui, atque oculari demonſtrandi ratione intuitui veſtro offerre geſtio, vtpote in qua tanquam ſpeculo politiſſimo vniuerſam meteori cuiuslibet conditionem, effigiem atque ſitum, imo vero & opticam quorundam, (qua nonnullæ impreſſiones tales videntur in cœlo, quales reuera nonſunt) rationem delineauimus. Huius ergo ſpeculi fabricandi intentionem, partiumque eiuſdem explanationem atque regionum in Hemiſphærio unius ab alia diſtinguendi ſcientiam ſic breuiter accipiatis velim.

Lineis binis parallelis ſupra Horizontem aſſurgentibus, & ab ortu ad occaſum circulariter ductis hemiſphæriumq; delineantibus cœli ſtellati ſine ætherei cauitatem repræſentare intendimus, Atque ideo Soli & Lunæ multiplices in interſtitio ſeu ſpatio inter duas parallelas cœlum ſignificantes ſtationes ſeu poſitiones aſſignauimus, quoniam impoſſibile nobis videbatur, vt ad vnum ſitum vel locum quælibet in hoc ſpeculo demonſtratio de Sole & Luna dependens referri queat, atque etiam in vna picturæ parte variæ impreſſionum ſpecies depingi nequeunt: Quare totum illud ſpatium, lineis parallelis binos ſemicirculos ab ortu incipientes & in occaſu finientes, comprehendens, cœlum dicimus, in quo viam lacteam, Solem & Lunam impoſuimus. Imus autem ſemicirculus ad ipſius terræ imaginem refertur, à qua multiformis ad obiecta meteorologica fieri ſolet aſpectus.

Omnis autem locus inter cœlum æthereum atque terram interpoſitus vaſtam denotat aeris ſedem ſeu ſpiritus mundani extenſionem, in cuius capacitate tanquam communi medio tota inſtituti atque propoſiti noſtri ratio includi atque contineri videtur. Hic etiam locus generalis lineis duabus curuis arcum conſtituentibus in partes tres diuiditur, quas vulgus aeris regiones dictitare ſolet, neglecta earum dimenſione, de qua nimis contendere videntur philoſophi vulgares; Nos autem inferiorem aeris regionem altiſſimos montes in ſua dimenſione ſeu extenſione non excedere putamus:

tamus: at vero ſuperiorem vaſtiſſimum eſſe atque admodum ſpatioſum concredimus: regionem vero inter has duas ſitam ſeu mediam mediocriter in dimenſione ſua inter illas extremas ſe habere putamus: In his autem aeris regionibus includuntur præcipua (vti dictum eſt) intentionis noſtræ argumenta, atque hoc inprimis pro varia meteororum ſede atque ſitu à vobis inprimis conſiderandum, oculisque veſtris ſubiiciendum putauimus.

In regione vero ſuperiori actum diuinum organaque ſiue miniſtros, in & per quos omnia in his inferioribus imo vero & in cœlis ſuperne perficiuntur, pro captus noſtri vigore diſtinguendum ordinauimus, de quibus, vtpote rerum omnium, tam perfecte quam imperfecte miſtarum initiis, verba quidem hoc in loco leuia & breuia, à ſpeculi vertice ad baſin vſque deſcendentes faciemus, quoniam tam in præcedentibus quam ſequentibus vbertim de ipſis mentio eſt facta, in honorem DEI omnium creatoris, atque eruditionem hominis, qui eſt finis & perfectio omnium.

Cum omnia in mundo creata ſiue ſimplicia ſint ſiue ex ſimplicibus orta, (cuiuſmodi ſunt Angeli, vtpote alteritas, & ex duobus conflati, ſtellæ, atque etiam inter ſublunaria inprimis corpora imperfecte miſta, quæ in aere atque ex aere componuntur, ac tandem in perfecte miſta cuiuſmodi ſunt animalia, vegetabilia, & mineralia) ex forma lucida, ſiue ſit apparens ſiue occulta, atque materia, tanquam ſubiecto ex quo componantur, quarum huius eſt pati, illius vero agere, ſine quibus qualitatibus nihil in mundo exiſtere aut ad perfectionis metam, quo omnia tendunt, pertingere queat; ita quidem in primo loco imprimis conſideranda veniunt, quinam ſit in actionis continuatæ motu fons & initium, à quo actus diuerſimodi vndique per mundum impluuntur, ac diſſeminantur, ac tum poſtea quales ſint immediati actoris primarii miniſtri ſeu organa per quæ & in quibus agit, ſeu emanationis ſuæ actus effundit: Ac tum poſtea diligenti intuitu conſiderandum putamus, quænam ſint præcipua in mundo ſubiecta, tam in cœlo æthereo quam in aere, vtpote in quo omnis generis meteora (de quibus hic præcipue intendimus) procreari ſolent, ac denique in aqua atque in terra, circa quæ prædicti Dei actus agere atque verſari animaduertuntur.

In primo ſeu ſuperiori loco reperimus, ipſum Deum in immenſa & infinita ſuæ diuinitatis dimenſione literis quaſi quodammodo deſcriptum, vtpote effigie nunquam depingendum, aut mente humana comprehendendum in ſua infinitudine, quam per vocabulum *Enſoph* cum Cabaliſtis & Secretioribus Theologis ibi loci ſignificare ſeu exprimere placet, quod ſignificat Infinitudinem, quam aſſeuerauerunt eſſe vnicum vitæ & eſſentiæ diuinæ fontem, infinitatem nempe, ſine qua nihil viuit, & nihil eſt, omnia enim ab vno proueniunt, atque hunc fontem vnicum (in cuius arcana penetrare non eſt poſſibile) videlicet duplicem ſcaturiginem haud inconſulte faciunt, naturalis videlicet & ſpiritualis, quippe à quo aquæ viuæ proueniunt, quæ inprimis per riuulum in portam lucidam paternam, *Elion Cheter* dictam, hoc eſt, corona ſuprema, more emanationis deſcendunt, & tum poſtea in filio *Hochmá ſeu ſapientia*: Hinc dicit Pſalmiſta regius, *apud te eſt fons vitæ.* Ex quibus colligere fas erat, quod DEVS in intima ſua eſſentia ſit extra omnia, & vltra mundi cauitatem, nec mentis acie comprehendendus: & nihilominus per varia ſua ſpiracula, quæ numerationes Sephiroticæ ſeu portæ lucidæ, varias in mundum emanationes lucidas, proprietate ab inuicem diſtinctas, deorſum vndique per mundi cauitatem diſpergit atque diſſeminat, quæ emanationes ſpiritum mundanum inducentes nomina & proprietates Angelorum induere ſolent, quorum tres priores ex numero denario ad mundi regiones, cœlos, atque elementa conflanda ordinantur, quarum prior corona Patri, ſecunda ſapientia dicta Filio, & prudentia Spiritui Sancto aſcribuntur: quod etiam & Propheta regius arguere videtur in hoc ſermone, *verbo Domini firmati ſunt cœli, & ſpiritu ab ore eius omnis virtus eorum*; Vbi Dominus eſt pater, verbum ſeu ſapientiam emittens, mediante qua cœlum & terra ſunt creata ex aquis (vt teſtatur D. Petrus) & ſpiritu ab vtroque omnis virtus in iis. Septem autem aliæ emanationes à ſeptem reliquis ſpiritibus Angelicis recipiuntur atque imbibuntur quaſi, mediantibus quibus dicti Angeli informantur, aguntque & operantur ſecundum proprietatem nominis Diuini, à quo impluuntur in ſubiecta illa mundana, vbicunque per ſpatioſum mundum diſpoſita: atque hi ſunt illi angeli qui Planetis Septem præſidere dicuntur, de quibus infra latius.

Ad receptacula ergo ſeu organa iſta angelica ſiue ſpiritualia quod attinet, quæ ad influxuum diuinorum ſpecies recipiendas à Deo ſunt ordinata, ipſa ad meliorem lectorum intelligentiam in hunc modum cum influxuum canalibus, atque angelorum ordinibus, qui ipſos inprimis recipiunt, & tandem quibus regionis cœleſtis orbibus eos ex officio conducant verbis quidem paucis explicabimus.

Inprimis ergo ſciendum eſt, atque diligenti intellectu obſeruandum, quod ex infinito diuinitatis immenſæ fonte, Enſoph dicto, decem (iuxta Cabaliſtarum intentiones) emanationes lucidæ per canales totidem proprietate differentes, vbique in mundum ſecundum Dei voluntatem profuſæ atque emanantes, in decem varios Angelorum & ſanctorum ordines inprimis effunduntur, à quibus iterum Archangeli decem (animam Meſſiæ inter eos numerando) ad hoc negotium à DEO creati, videlicet eorum quilibet quaslibet earum emanationum, quaſi influxus lucidos à quolibet ordine recipiunt: Nam omnes fere Theoſophi in hoc conueniunt, quod vt ordines Angelorum

superio-

ſuperiores lucem ſeu emanationem lucidam recipiunt, immediate à Deo ita ipſam emittunt & manifeſtant illis ordinum inferiorum, vnde Angeli ſpecula dicuntur, vtpote potentes recipere lumen Dei, & in hoc conueniunt Dionyſius, Baſilius, Iſidorus, Gregorius &c. ſimiliter vti ex ſeria Biblii ſancti obſeruatione decem diſtinctas animaduerterunt ſecretiores theologi in DEO proprietates, quibus etiam varia DEI nomina ad eas ſpectantia, à prophetis & patriarchis attributa perceperunt, ita quidem cuilibet harum emanationum Angelus peculiaris aſcribitur, qui rem ſolam ac præcipuam habet circa illam DEI proprietatem, cui ab origine fuit deſtinatus; Nam hoc eſt generale inter ſecretiores Theologos, Cabaliſtas, & alios, cum quibus etiam Dionyſius conuenire videtur, quod nulli angelo permittatur opus ad alium pertinens ſuſcipere: At vero quoniam Angeli *Metattron* officium erat tam vniuerſale, vt circa mundi efformationem, tenebrarum à luce diuiſionem, atque mundi viuificationem, cælorumque motum verſaretur, ideo quidem ipſe creditur eſſe ſapientia illa prima (vt ait ſapiens) ante omnem creaturam creata, mediante qua omnia tum poſtea ſunt facta, vnde & illa totam naturæ angelicæ perfectionem in ſe continet, non aliter quam vniuerſi radii ſolares dicuntur eſſe in ſole.

Progredimur ergo ad dilucidam iſtiuſmodi rei demonſtrationem quatenus in ſuprema Catoptri noſtri Meteorographici regione depictam eam habetis hunc in modum.

Prima emanatio ab æterno diuinitatis fonte ſcaturiens iuxta DEI proprietatem beneuolam & ad benignitatem pronam dicta eſt EHIEH: quod DEI vocabulum ad æternitatem & vniuerſam temporis rotam videlicet præteritum, præſens, & futurum reſpectum habet, Huius gratiæ diuinæ ſcaturiginis canalis ſeu porta lucida, ſeu ſephirota, ſeu numeratio Cabaliſtica eſt *Cheter ſeu corona*, vtpote radix totius arboris ſephiroticæ, a qua porta emanatio vitæ & eſſentiæ impluitur in ordinem *Seraphin*, qui eſt ſupremus primæ Hierarchiæ ordo, qui angeli, teſte Iſidoro, ſunt quaſi ignei, & ardore atque amore igneo accendentes, atque illam inſignem claritatem habent mediante iſtiuſmodi effluxu lucidiſſimo, amoris atque concordiæ dono pleniſſimo, eſtque hic ordo Charitatis fons: Deinde iſta lucida influentia ab illo omnium Angelorum primo & maximo Metattron accipitur, qui eam dirigit in ſupremam cœli ætherei ſphæram, primum mobile dictam, virtute cuius omnia animat cælum in mundo vniuerſo ab ortu vſque ad occaſum, & ab occaſu iterum in ortum die naturali circumrotat, atque ita vniuerſum ſpiritum mandanum ſuo motu & luce animare videtur, vnde à Platonicis mundi anima di itur.

Secunda emanatio dicitur IAH: à beneuola etiam & clementi ſua proprietate: nam mediante hoc nomine diuino forma per vniuerſum mundi ſpiritum diſpergitur: Canalis per quem tranſit, & porta lucida per quam egreditur, dictitatur à Cabaliſtis *Hochma id eſt Sapientia*, à qua omnia ſunt facta. Iſta emanatio ſcaturiginem ſuæ lucis dirigit ad ordinem *Cherubin*: qui ideo ſcientiæ plenitudine atque dono ſapientiæ & intellectu abundare dicuntur. Hic ordo commendat iſtam emanationem deorſum tendentem ad cuſtodiam Archangeli *Ruziel*, qui eſt factus cuſtos atque director iſtiuſmodi effluxus, eumque in ſphæram octauam ſeu ſtellarum fixarum dirigit, per cuius medium Zona vel cinctura illa cœli tranſit, qui dicitur Zodiacus, inde arguens à nominis etymologia, quod hic ſpiritus ſeu hæc emanatio virtute ſua ad viuificationem & animationem in primis agat, Atque hic influxus varias in aere generat impreſſiones meteorologicas.

Tertia emanatio ſeu fluxus diuinus vocatur ELOHIM, & canalis ſeu ramus in quo mouetur, ſimul atque porta lucida à qua egreditur, dicitur *Binah, ſeu prudentia*, à qua deſcendit in infimum ſupremæ hierarchiæ ordinem videlicet *Thronos*: inde arguens proprietatem DEI ſeueram & iudicio plenam: Ab iſto ordine fluxus huiuſmodi deſcendentes recipit Archangelus *Zabkiel*, vel vt alii volunt *Oriphiel*. qui eos conducit in Sphæram Saturni: Vnde vt Saturnus eſt planeta grauis, fixus, & Melancholicus, ita ſeueros, & ad iudicium & punitionem dicitur in inferiora impluere effectus, Quare & Infortunium maius dicitur ab Aſtrologis. Et quandoque triſtes & tenebroſi effectus, quales ſunt nubes denſæ, nebulæ tetræ, pluuiæ tenues & ſiccæ, & quandoque cum tonitru mixtæ, more ſeparationis elementi ignei à chaos ab eo producuntur.

Quarta emanatio à fonte Enſoph vocatur EL: quod arguit miſericordiam in hac DEI proprietate: Vnde & Canalis ſeu porta eius lucida nuncupatur *Cheſed*, hoc eſt, *clementia*: atque hic influxus luminis diuini emittitur in ordinem Hierarchiæ mediæ ſupremæ, Dominationes dictum, mediante quo poteſtas datur contra malignos ſpiritus, atque vitæ beneficia, flatusque beneuoli in ſphæram Iouis ducente Archangelo *Zadkiel*, vel vt alii volunt *Zaccariel*; Atque hæc eſt ratio quod planeta Iupiter adeo erga genus humanum atq; creaturas viuificas impletur beneuolentia, quare ab Aſtrologis fortunium maius non aliter dicitur quam Saturnus infortunium maius, At vero inter meteora quæ in aere quandoque profert, nubes ſunt albeſcentes cum rubedine permiſtæ, quæ vel in pluuiam leuem, vel in ventum nonnunquam migrare atque reſolui ſolent.

Quinta emanatio nuncupatur ELOHIM KIBBOR, quod nomen DEI importat ſeueritatem, vnde canalis ſeu porta ex qua effluit à fonte Enſoph, dicitur *Geburah*, hoc eſt, *punitio*, atque iſta emanatio deorſum tranſit in ordinem medium Hierarchiæ tertiæ, qui eſt *Principatus*, qui ordo eſt ordo

imperii atque dominationis in rebelles, eos vi & armis quaſi cogendo ad verum Dei cultum & reuerentiam: atque Angelus cui hic influxus ab hoc ordine commendatur eſt ſeuerus ille *Samael*, qui eum conducit in ſphæram Martis, à qua ignea influentia atque ſeminaria iracundiæ deorſum in mundum inferiorem immittuntur: Et virtute iſtiuſmodi influxuum aer nubibus croceis impleri cernitur, quæ tonitrua fulgura atque tempeſtates quandoque emittunt, imo vero iuxta Aſtrologorum ſententiam cometæ atque impreſſiones ignitæ hinc oriuntur. Atque hinc accidit vt ob infectum & malignum iſtius influentiæ Martialis æſtum, febres, peſtes, & morbi quandoque calidi inter mortales induci animaduertantur, vnde ab Aſtrologis Mars Infortunium minus dictitatur.

Sexta Emanatio vocatur ELOAH: atq; hæc omni virtute lucida pleniſſima habet pro ſuo canali *Tipherith*, quod ſignificat *gratiam, pulchritudinem, & claritatem*, atq; hic influxus vim ſuam dirigit in ordinem Hierarchiæ mediæ infimum, qui eſt *Poteſtatum*, cuius eſt prauos angelos ſeu ſpiritus ſibi ſubiicere, idque vi atque poteſtate, vti Gregorius ait: Atque hic ordo committit iſtum influxum ſub poteſtatem & cuſtodiam *Michael*, qui eſt magnus ille Angelus, qui ſuum internum fecit iſtiuſmodi emanationem, virtute cuius Draconem & omne ipſius conſortium ſibi ſubiecit: Hic ergo Angelus iſtum influxum conducit in ſphęram ſolis cui præeſt, à qua tum poſtea eum effundit liberaliter in inferiora, vt eius contactu vita multiplicetur in vegetantibus, generatio fiat in terra, & in mari, atque omnia digna gratia & pulchritudine ſolari reficiantur.

Septima effluxio dicitur à Cabaliſtis IEHOVAH ZEBAOTH, cuius canalis ſeu porta ſephirotica vocatur *Netzeth*, hoc eſt, *Triumphus*, per quam egreditur hæc emanatio, & deſcendit in ordinem Hierarchiæ infimæ, ſupremum, quem appellant *Virtutes*, vtpote in quo virtus diuina eluceſcit; nam vt ait Iſidorus, angeli iſtius ordinis recipiunt illuminationem, purgationem & perfectionem, ordinum mediæ Hierarchiæ; Atq; Archangelus in Comm. in Dogm. Cab. videtur aſſerere, quod ſit in ordinem iſtum quod influxus à *Tipherith* diriguntur, quod quidem veriſimile etiam videri poteſt propter lucidam, claram, atque pulchram ipſius conditionem: vtpote in quo lumen DEI mirifice lucet; At nos Dionyſium & Iſidorum hic ſequimur: Hic influxus ab hoc ordine Angeli bono *Anaeli* accipitur, & deorſum in ſphæram veneris fertur, cuius præſentia & virtute bonæ influētiæ & generi humano gratæ vbique per aerem ſublunarem, aquam, & terram diſſeminantur, Præſentia etiam cuius tenues nubes & nonnunquam pluuia tenui cribrantes procreari ſolent; Hinc etiam eſt quod ab Aſtrologis hic Planeta videlicet Venus, Fortunium minus nuncupetur.

Octaua emanatio vocatur ELOHIM ZEBAOTH, à proprietate, atque hæc habet pro ſua porta ſeu canali ſephirotico *Hod*, hoc eſt, *Laudem*; atque hæc deſcendit in ordinem Archangelorum, à quo *Archangelo Raphaeli* remittitur, qui illam in ſphæram Mercurii, qui eſt (iuxta Poetarum ſententiam) magnus Iouis nuncius, conducit, à quo tum poſtea in regionem ſublunarem emiſſa ventos in aere quandoque rapidos procreat, qui imbribus atque pluuiis haud raro copioſis aſſociantur: Præterea hic influxus in homine varieformiter agere obſeruatur, videlicet ſenſum reddit bonum & ingenium facit acutum, memoriamque fæcundam.

Nona appellatur SADAI cuius porta lucida eſt *Ieſod* qua deſcendens in ordinem Angelorum tranſit, à quo Cuſtodiæ *Gabrieli* committitur, qui eam dirigit in ſphæram Lunæ qui humidas influentias atque frigidas impluit in aerem, aquam, & terram varias atque multiformes in iis impreſſiones procreantes, videlicet ventos, pluuias, & huiuſmodi alia.

Denique Decima vocatur ADONAI id eſt Dominus, cuius canalis eſt *Malchut*, hoc eſt, regnum, à quo hæc emanatio deſcendit in ſphæram animarũ (vti Cabaliſtæ volunt) duce anima Meſſiæ, quæ tandem ab ea deorſum vehitur in elementa, vbi ſeueri vtplurimum ob hominis inobedientiam producuntur effectus.

Hic autem obiter vos ſcire velim, iuxta Magorum atque Cabaliſtarum intentiones, quod quiſque prædictorum angelorum grandis eſt Princeps, habens poteſtatem multæ libertatis, quatenus eſt in ipſorum officiis hæc DEI dona, ſeu has eius proprietates pro eius voluntate vel clementer vel ſeueriter diſponere, cum creaturis huius mundi ſublunaris, atque plus videntur creſcere eorum vires ſecundum communem & naturalem ſeu vſitatam ſuam in curſu annuali diſpoſitionem, in dominio ſuorum planetarum & ſignorum, & conſequenter in ipſorum ordinatis temporibus, annis nēpe, menſibus, diebus, & horis, & in elementis & partib. mundi, & vētis ipſis appropriatis; Et certe, vt verius dicamus, dominiũ eſt neq; ſignorũ, neq; planetarũ, ſed reſpectu vberioris effluxus diuini, qui magis ei aduenit vno tempore quam alio, pro velle diuino, & conſequēter Angelus ſiue intelligentia planetæ ſeu ſtellæ eſt quaſi ſpiritus eius internus ipſum mouens, cuius anima centralis eſt illa ipſa emanatio diuinitatis, qua aſſidue inebriatur quaſi diuino nectare, quare male dicitur à Magiæ peritis, quod Angeli agant in dominio ſigni aut planetæ, ſed potius quod ſignũ & planeta fortior ſeu potentior ſit pro maiori aut minori intelligentiæ ſuæ in emanatione diuina, quam recipit, fortitudine: Porro etiam intelligendum eſt, quod vnus quiſque iſtorum Angelorum potentum (quorum ſeptem dicuntur aſtare coram facie Dei) pluribus dominetur legionibus, quibus tam in cœlo quam in regione elementari agere ſolet.

Hic ergo habetis causam meteororum efficientem solam atque vnicam cum suis organis variis pro varia emanationis proprietate designatam.

In regione vacua.


In regionis vacuæ parte sinistra habetis triangulum depictum atq; in plura quadrata diuisum, cui triangulo titulus huiusmodi inscribitur.

Prognosticatio meteorologica per planetarum inter se aspectus & ad lunam. ☌. ☍. □.

In quo triangulo ad partis leuæ marginem inuenietis istis literas V, Æ. A. H. quæ sunt, Ver. Æstas, Autumnus, Hyems.

Porro & in parte vacuæ regionis dextra duplex in vnica sphæra habetis mysterium descriptum videlicet portarum cæli, atque tum postea valvarum magnarum apertiones; de quibus omnibus quoniam mentio ampla est facta in membri 3. libro 1. De causa Meteororum cælesti efficiente, verba hoc in loco ampliora facere minime intendimus. Quare vos pro harum duarum machinarum explicatione atq; expositione pleniori ad illum librum tertii membri remitto.

De toto illo spatio quod inter cælum & terram interiacet, & de meteororum speciebus, quæ in singulis dicti aeris regionibus reperiuntur.



Videntur & non sunt, quorum ratio è scientia optica elicitur; suntque hæc
- Halo: Lunæ. Stellæ.
- Parelion: Solis. Lunæ.
- Arcus cælestis: Integer. Dimidius.
- Luna colorata in aere halituoso solis magnitudo in occasu
- Lineæ perpendiculares.
- Rubedo vespertina.
- Templum in aere, &c.

At vero jam ad propositum præ manibus versans peruenimus, videlicet ad formarum, in Catoptro nostro Meteorographico depictarum, locorum atque qualitatum expositionem atq; explicationem: Ad ipsorum autem locum quod spectat inuenimus illum esse vel communem vel proprium: communem autem dicimus integrum aeris spatium inter cœlum æthereum & terram. Propria vero loca tres aeris integri & communis regiones statuimus, quarum superiorem cometis varii generis atq; effigie differentibus repletam cernimus, simul atque chasmate trabeque ardente, de quibus non nisi verbo hic, quia alibi plenius.

Cometarum vt variæ sunt species ita etiam & nomina effigiebus ipsorum conuenientia iis imposuerunt Philosophi.

Lanceam ignitam primam speciem dixerunt, vtpote in longum exporrectam.

Xiphias est lancea breuior, estque hæc cometæ species in mucronem fastigiata.

Mercurialis est cometa, qui est calore aliquantulum cæruleus, quantitate paruus, habens caudam minutam & longam.

Miles ita dicitur quia habet colorem Martialem, estque hic cometa etiam caudatus vti eum in Catoptro delineatum habetis.

Aurora habet effigiem stellæ, sed omnem excellit stellam sua claritate & splendore.

Rosa est cometa quantitate magnus & rotundus, qui faciem humanam præ se gerere atque ferre videtur.

Tenaculum est cometa, qui quasi super igneam basin erectus, mirum in modum est caudatus.

Niger est cometa colore fusco, caudaque curta atque breui præditus, isque capillamento perpauco quodammodo exornari videtur.

Ceratias est cometa, qui ex ardoris specie seu forma ignis cornutus dictitatur.

Sunt etiam & alia meteora ignita, quæ in hac regione quandoq; sunt perspicua, quæ nihilominus cometas minime nuncupamus, quoniam vt cometæ ita incenduntur, vt non celeriter restinguantur, ita cæteræ apparitiones cuiusmodi sunt Chasma, Trabs, & scintillæ volantes, minus, vtpote ex materia seu spiritu minus firmo magisque inconstanti ortæ, sed quoniam de his antea, atque etiam ipsorum formas in Catoptro nostro explicauimus, sermonem hoc in loco prolixiorem facere non statuimus.

Pro cæteris meteoris, tam luminosis quam tenebrosis, sine vlteriori hoc in loco explicatione, videlicet pro ipsorum formis atque locis, vos inprimis ad catoptri nostri inspectionem, ac pro eorum ordine ad tabulam seu distinctionem supra dictam breuitatis gratia referendos censeo.

De Meteoris quæ videntur & non sunt talia qualia videntur.

Nunc autem ad ea meteora peruenimus quæ speciem seu effigiem quandam in aere exhibent, & tamen non sunt ea quæ videntur: At vero quoniam inscientibus & inscientia optica minime peritis hoc durum & difficile apparebit prima fronté considerare, ideo rationem illorum aspectuum perspectiuo more in Catoptro nostro meteorographico expressimus, idque demonstrationibus iustis atq; consentaneis, quibus facilius ad istiusmodi in aere visionum cognitionem certam sine magna fatigatione pertingatis: in quo demonstrandi negotio Vitellionis de videndi ratione doctrinam me sequi atque imitari fateor, qua docemur, nos videre per actionem formæ aspectabilis in oculum & passionem aspectus ab eiusmodi forma. Huiusmodi autem meteora, quorum rationem in sola scientia optica colligimus, vtpote quæ non sunt ea quæ apparent, sunt Parelii, qui fiunt oriente sole vel occidente ex obliquo, in inferiori nubis parte, hocque in infima aeris regionis parte, Et sunt effigies seu imagines solis vel Lunæ, quæ in nube rorida repræsentantur, non aliter, quam in aqua vel speculo cerni videtur. Rationem auté visionis ostédimus per lineas pyramidales à loco aspectus ad obiecta Solis & Lunæ in imiori nubis parte, quemadmodum demonstratur in Catoptro nostro.

Simili-

Similiter arcus cœlestis vel oriente vel occidente sole videri solet vt plurimum, sed raro in meridie, nisi quandoque in tempore hiemali: Atque hic fit virtute diuina eum delineante ab aere madente ad aspectum, non enim à leuioribus refertur aspectus, sed obiecta coloribus leuiora mouentia aspectum agitant. At nunc contra communem philosophorum opinionem inprimis sciendum existimamus arcum non fieri in nube, sed in inferiori parte infimæ aeris regionis, vti in præcedentibus à nobis declaratum est, vtpote qui ab oculo non multum, videlicet non vltra trecentesimum passum distare animaduertitur, quod quidē in eo comprobatum habemus, quoniam inter oculum montemue aut syluam non longe distantem obiectum cernere possumus iridem suis quatuor coloribus resplendescentem, imo vero & ipsum supra herbas mediante roscido imbre descendentem quandoque vidimus, quod si apertam huius rei rationem cognoscere velitis, necesse habetis, vt hęc quæ iam sunt dicenda, attentione diligenti, abiectis hac in re vanis philosophorū plurimorū opinionibus, nebulis & tenebris obrutis, recte colligatis atque intelligatis. In lucido crasso (veluti aqua) reflectitur imago solis rotunda parua, in tenuiori rotunda magna: adhuc extenuato fit maior, cum tamen omnia circa centrum imaginis nuda apparent, quoniam radii dissipati non referuntur in punctum, iamque modo illic in aere leuiori dissipantur, quemadmodum nos vitris radios ad corpora comburenda congregare solemus, & sane magnum habet momentum ad subitaneam illam aeris constrictionem. Adhuc extenuato atque in aerem humidum guttosum halituosum mutato, maxima non imaginis sed luminis repræsentati cernitur rotunditas, sicque gradibus quibusdam peruenire possumus à prima, à minima scilicet ad maximam relationem. Est autem colorata ex lumine in humore longius dissipato, semicirculus tantum cernitur terra obstante, aspectus in superiori loco collocato integer videtur, atque hoc experientia comprobatur, atque per aspectus & obiectorum in catoptro explicatorum rationes demonstratur.

Corona etiam eodem modo fit, nisi quod facta est inter aspectum & solem.

Augmentatio solis in occasu fit, ex refractione luminis in crassiori aere.

Lunæ decoloratio sine augmentatione fieri solet ex translatione facta per aerem halituosum, sed non crassum.

Lineæ perpendiculares propter inæqualitatem nubium fiunt, transmisso per foramina lumine solari.

Rubedo vespertina oritur à luminis per inferiores nubium partes penetratione.

Templa, ædificia & homines in aere ambulantes, oculis nostris apparent quandoque, non aliter quam corporum obiecta in speculo videri solent: Sic scribit Plinius, quod nonnulli sint qui visum habent adeo debilem, vt seipsos in aere tanquam in speculo videre possint, hocque præcipue flante Austro.


Denique concludimus, quod quidem licet rationes horum meteororum ab effectu hoc in loco produximus, tamen ipsum aerem dicimus horum omnium arcam DEI thesaurariam, Deumque eius verbum seu sapientiam diuinam, statuimus vnicum, simplicem, & solum in his rebus omnibus actorem & authorem, in organis & ex organis suis Angelicis operantem, vti antea & inferius latius.



PORTIONIS QVARTÆ

PARS SECVNDA

De causa Meteororum Efficiente.



Cap. I.

De causa efficiente in genere.

MIRVM est, ipsos Peripateticos posuisse causæ efficientis definitionem esse quod sit, vnde principium motus & quietis est; & tamen hi actum actuum seu primum rerum omnium motorem ignorare vel saltem agnoscere noluerunt, loco cuius qualitates primas, quas actiuas vocant, intelligere volentes, atque ita effectus, à motore, verbo nempe diuino, omnia creante atque illuminante procedentes, pro efficiente male acceperunt & nonnulli profundius in istius primi motoris naturam perquirentes, eum esse ipsum Fati actum & quasi naturam internam concluserunt. Nos vero ex sacrarum literarum doctrina instructi dicimus, solum rerum omnium actorem solumque in omnibus motorem esse DEVM, videlicet verbum diuinum seu Spiritum sanctum. *Verbo Domini* inquit Dauid *firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* Vnde non modo mundus & mundi partes ab eo quasi solo actore perficiuntur, sed etiam omnis actus, & virtus, & opus in eo, siue sit terræ seu cœli & elementorum, perficiuntur mediante eius spiritu. Hinc alibi dictum est: *Venite videte opera DEI, Dicite Deo quam reuerendus es factis tuis, Psal.66.5.* Et alibi. *DEVS quicquid vult facit in cœlis ac in terra per maria & omnes abyssos, Psal.135.7.* Et alibi. *Opera tua sunt mirabilia & ampla, quæ omnia fecisti in sapientia, Psal.103.24.* At fortassis respondent nonnulli, hæc esse intelligenda & accipienda de rebus in creatione editis, & non de naturali rerum productione atque progressione, & quod meteora varia, quæ secundum temporis statum atque dispositionem oriuntur, non proueniant à Deo, sed à rebus à Deo creatis, & à calore seu frigore tanquam primariis in natura qualitatibus, agentibus. At DEVS bone, quam absurdum est existimare, calorem posse procreari, nisi vbi sit natura ignea, cuius est indesinenter

sinenter mouere, & quod ignis seu lux possit agere, vbi spiritus incorruptibilis tanquam forma interne & centraliter agens illam non incitat! Vnde hæc scripta inuenimus, *Ignem mitescere fecit Deus ne combureret*, modo *ignem DEVS facit ardere. nam creatura tibi, qui fecisti omnia, subseruiens ad punitionem contra iniustos tenditur, & remittitur ad beneficentiam pro iis qui confidunt in te, Sap.16.* Hinc etiam & alibi dictum est (vnde liquet quod ipse ignis ab interno agente regatur atque moueatur) *percipe istud Iob auribus, consiste & considera mirabilia DEI fortis: Nostine cum disponit DEVS de illis, vt splendeat lux nubis suæ. Nostine de libramentis densæ nubis mirabilia DEI perfecti scientia Iob.*37.13. Et alibi, *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia tibi dicent adsumus? Iob.*38.35. Et alibi, *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, qui producit ventos è thesauris suis.* Infiniti sunt alii loci, qui apertis verbis confirmare solent, ipsum DEVM seu sapientiam diuinam esse causam meteora calida efficientem.

Porro etiam hoc idem de frigidis effectibus est dicendum, nam contextus sacer sic habet, *A flatu suo DEVS fortis edit glaciem & latitudinem aquarum coarctat. Iob.*37.9. Et alibi, *Emittente sermonem suum in terram quam celerrime excurrit verbum eius, qui niues emittit sicut lanam, & pruinam sicut cineres dispergit, deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistet? Psal.* 147.16. Et alibi. *Pruinam cœli quis genuit? Iob.*28.29. Anne cum Peripateticis respondebimus, quod frigus seu ventus septentrionalis aut calida & sicca exhalatio? certe si rem nucleo tenus considerauerimus, hæc omnia soli Deo attribuenda esse percipiemus, & minime creaturis, sic n. asseuerare possumus, q̄ ensis sit causa efficiens vulneris, cum manui hominis percutientis illud sit ascribendum, & tamen reuera nec gladius nec manus sunt efficientes sed spiritus in homine agens, qui tanquam vehiculum ab illo primo omnium actore, qui vbique habitat, & pro velle suo agit, vel ad hominis flagellum vel ad beneficentiam, exagitatur atque dirigitur, more fulgurum (quæ sunt DEI ministri ad voluntatem diuinam exequendam.) Hinc dicit sapiens, *DEVS omne opus adducit in iudicium cum omni re occulta siue bonum siue malum, Eccles.*12.16. Nec tamen reputandum est illud pro iniquitate & malo, quod homini tale videtur. Nam vti Iob ait, *DEO forti absit improbitas, & ab omnipotente iniquitas, Iob.*34. Nam iuxta opus hominis reddit ei, & iuxta viam cuiusque inuenire facit ei, Et alibi, *DEVS facit quicquid vult, & nemo eum est interrogaturus quid aut cur ita facis? Sap.*12.12. Sed de omnipotentis Iehouæ actu & operatione, non modo mirabili in rerum meteorologicarum, sed etiam perfecte mistarum productione, atque etiam de ipsius ministris organisque primariis, mediantibus quibus tam in cœlis quam in terris operari solet, per totum membrum hoc fusius discurrere nobis est propositum. In duobus vero membri huius partibus postremis more mundano verba faciemus, videlicet diuinitatis tam Deiformis, quam angelicæ effectus pro causis efficientibus habentes, solem nempe, lunam & stellas, cum calidis aut frigidis ipsorum influentiis apud regionem cælestem, atque primarias elementorum, ignis, aeris, aquæ, atque terræ qualitates, cum variis humorum generibus inter illas elementares.

Cap. II.

Quid Deus sit in se & per se, nulla ad res creatas consideratione habita: in cuius dubii resolutione tam Philosophorum quam Cabalistarum ac denique Sacrarum literarum testimonia explicantur.

Simonides (Philosophus excellens, & pro scientiæ suæ profunditate ab Aristotele ipso atque Cicerone haud immerito celebratus) cum ab Hierone Tyranno esset interrogatus, quidnam rei esset Deus, pro huiusce dubii resolutione spatium vnius diei requisiuisse fertur, reuertente ergo ad eum Tyranno die sequente, iterum petiit, vt de eo dubio certum eum faceret, at tunc philosophus petebat spatium duorum dierum, ad petitionis seu quæstionis resolutionem, quo tempore finito atque redeunte Tyranno, ipse tempus duplicans quatuor requisiuit dies, atque ita omni vice reduplicauit spatium. Denique huiusce rei temporis videlicet duplicationis rationem ab ipso requirens rex huiusmodi traditur ab illo accepisse responsionem: *quanto magis de re ista tam excelsa cogito, tanto intellectui meo obscurior apparet*, vtpote quæ lucem quandam habitare solet ad quam spiritus humani pertingere atque peruenire nequeunt. Et in hoc cum sacris literis conuenire videtur, à quibus docemur, Deum inhabitare lucem in accessibilem. At vero Doctor ille cælestis per Euangelium Diui Matthæi nos docet viam, qua tam ad DEI patris quam filii notitiam perueniamus, asseuerando *neminem filium cognoscere posse præter patrem*, atque iterum, *quod nullus ad DEI patris cognitionem pertingere poßit nisi filius, aut ille cui filius vult reuelare*, quare certum est, quod de essentia tam supereminente res est valde ardua imo vero impossibilis iudicare, nisi à verbo Dei & sacris literis instruamur. Et quamuis Deum patentem à posteriori, hoc est, ab eius creaturis, atque eius gloriam in lucidis ipsius

vestimentis nobis discernere fas sit, tamen eius magnitudinem scrutari est præter humani ingenii capacitatem, quippe *quæ non est* (teste Propheta) *comprehendenda*, *Psal.* 145.3. atque multo minus pura eius essentia datur oculis humanis & carnis conspicienda iuxta illud Prophetæ atque Euangelistæ *Deum nemo vidit vnquam Ierem.* 1. *Ioan.* 4.

Sequemur ergo in Dei descriptione partim philosophorum præstantium doctrinam, partimque illam Cabalistarum, in re vbi cum sacro Biblio conueniunt, ac tandem quid ex verbo Dei sit ad viuam Dei descriptionem colligendum paucis declarabimus.

Colligimus ergo ex scriptorum diuinorum testimoniis, Deum duplicem, quo ad nos, habere naturam, latentem scilicet atq; patentem. Latentem, nempe in qua ante mundi creationem visus est captui humano in infinitis tenebris quiescere, & nihil quasi facere. Sed ardorem & virtutem suam in seipsum reflectere, lucisq; suæ radios ad mundi creationem minime applicare: Atque hoc idem etiam de eius radiis seu essentia in rebus mundi opacis atque tenebrosis conquiescentibus & occultatis est dicendum, in quali figura à Mercurio Trismegisto in his verbis describitur. *Monas (inquit) ante mundi creationem monadem genuit, & in seipsam reflexit ardorem suum, hoc est sibi ipsi tantum reluxit.* Quibus verbis innuere videtur, quod diuina natura, fons lucidus, actus actiuorum, origo vitæ, Oceanus formæ, in seipsum reflexerit radios naturæ suæ igneæ & mere formalis. Vnde factum est, quod priusquam ei vlla inesset ad mundum creandum voluntas, abyssus infinita erat deformibus tenebris obruta atque inanis: quod quidem & alio in loco inferre videtur dictus Philosophus, *Erat* (inquit) *vmbra infinita in abysso*. In quo sermone videtur cum Moyse conuenire dicente, *quod tenebræ fuerint super faciem abyssi.* Atque hæc erat illa materia Peripateticorum in potentia, quam primam dixerunt, vnde istiusmodi natura occultata à nonnullis dicitur potentia diuina, vti inferius declarabitur. Vt autem Philosophi istam naturam diuinam, tenebris & caligine absconditam, & seipsam minime dilatantem, mathematice considerauerint, ita quidem illam vnitatem Arithmeticam dixerunt, & quandoque punctum Geometricum. Vnitatem dico in se simplicem, sine vllo ad numerum respectu, atque punctum, nulla ad circumferentiam relatione habita, sed quatenus in vtraque arte considerantur, in natura sua simplici, indiuisibili, nullius quantitatis, qualitatis aut substantiæ, & tamen omnium horum principium, vtpote quæ semel dilatata est, omne quod est, aut quod in decem prædicamentis comprehendi potest, vti in Dei patentis descriptione latius declarabitur; in quo vnitas hæc omnium simplicissima suis numeris periferícis, vt punctus sua circumferentia muniri docebitur.

In arte Cabalistarum peritiores diuinam istam potentiam ita occultatam *Aleph* vocauerunt *tenebrosum*, quemadmodũ illam manifestatam & effulgentem è tenebris *Aleph lucidum* dixerunt. At vero ipsi per *Aleph tenebrosum* intelligunt numerationem secundum Cabalisticam, videlicet *Hochma* seu sapientiam, seu monadem illam, quam Monas ante vllam creationem genuit, ardorem cuius iterum in se reflexit: Hanc sapientiam diuinam à patre emanatam & in sinum patris redeuntem ante creationis actum dixerunt sapientes principium, de quo scriptum est in libro Bahir. *Nihil est principium nisi sapientia*, Reuch. l. 3. De art. Cab. nam, inquit, infinitudo ipsa trium summarum cabalisticæ arboris numerationum, quas nos Christiani tres in diuinis personas appellamus, absolutissima essentia, cum sit in abysso tenebrarum retracta & remanens, quasi otiosa, vel vt aiunt, ad nihil respiciens, idcirco dicitur *Ein* id est nihil, siue non ens, ac non finis, quia nos tam tenui ergo res diuinas ingenii paupertate mulctati, de iis quæ non apparent, haud secus atque de iis, quæ non sunt, iudicamus. At vbi se ita ostenderit, vt sit aliquid & reuera subsistat, tum *Aleph tenebrosum in Aleph lucidum* conuertitur, Atque tunc vt Aleph tenebrosum erat dictum *Aleph paruum*, ita Aleph lucidum dictum erat *Aleph magnum*; Hæc illi. Per *Aleph lucidum* intellexerunt illi verbum seu emanationem diuinam mediante qua omnia sunt facta, de qua capite sequenti fusius, vbi de Deo patente, hoc est, Aleph lucido & patente verba faciemus. Vnde liquet, quod eadem sit ratio inter *Aleph paruum* & *Aleph Magnum*, quæ est inter *Alpha* & *Omega*, quæ dicta est à Cabalistis Aleph paruum seu tenebrosum & Aleph magnũ seu lucidum. *Ego sum primus & nouißimus* alibi legitur, sed ad rem.

Aleph paruum seu tenebrosum, & quasi nihil, vtpote tenebris absconditum, est quasi vnitas sine numero, & punctus sine respectu ad circumferentiam: denotat enim illud paruum omnia in potentia, vtpote quod se reuelando subito etiam reuelat, creat, & in actum reducit omne quod est, quod omne in luce hac diuina emissa continetur.

Hinc ergo est, quod in Cabalistico nostro discursu, in quo mentionem de patribus tribus fecimus, aptissime cum tribus Cabalistarum matribus conuenientibus, *Aleph matrem* posuimus cum *Iod patre* summopere consentaneam, nam vti Aleph tenebras mundanas repræsentat, videlicet ipsius chaos, ita Iod est immediatus Iehouæ actus, è tenebrosæ Abyssi voragine emissus, vnde & Aleph mundanum seu prima mater recipit splendorem suum. Nam vt Aleph paruum apud Cabalistas denotat vnitatem in Arithmetica, ita Iod importat denarium numerum, qui significatur per vnitatem & Cyphram, quæ vnitas diuina effulgens, facit vnitatem in potentia, videlicet Aleph tenebrosum, quod est quasi nihil, & per Cyphram denotatur aliquid in actu, illuminando aquas deformes

& pro-

& propulsando tenebras. Secunda mater Cabalistarum erat *Mem*, quam demonstrauimus cum secunda Tetrogrammati litera conuenire, videlicet He. Nam vt Mem est Hieroglyphicum aquarum purarum, ita & He denotat spiritum limpidum seu aspirationem: Denique *Vau* in nomine tetrogrammate patrem fecimus, & quasi actum virilem, seu solem increatum ipsius matris Cabalisticæ *Shin*: Nam vt Vau denotat emanationis gradum in palatio solari, vtpote qui posuit Tabernaculum suum in sole, ita & Shin est Hieroglyphicum ignis. Denique vltimum He nominis Tetrogrammati respondet ad Mem clausum: nam vt He denotare videtur grossiores mundi spiritus, ita & Mem clausum arguit aquas grossas & visibiles. Sed de his infra latius.

Denique à sacris literis docemur, quod DEVS fuerit tum latens respectum nostrum, cum in sua existentia existebat occultus, antequam mundus esset creatus, Atque in eo respectu proprium Dei nomen erat *Ego sum*, vt in Genesi habetur cap. 17.

Nam sufficiebat ei quod ipse solus esset, quando nihil præter ipsum esset in infinito mysterio. Atque hinc ipsum per os prophetæ hæc dixisse constat, *Ego non à principio in abscondito loquutus sum, ex tempore antequam fieret ibi eram, & nunc dominus meus misit me & spiritus eius, Es. 40. 16.* Quod quidem de sapientia seu emanatione, quam sapiens dicit ante omnia esse creatam intelligere videtur, de qua alibi, *DEI potentia ante omnia creata finis & initium omnium est, Eccles. 1.* Quibus verbis innuere videtur, hoc idem, quod Cabalistæ voluerunt, videlicet, quod hæc potentia esset *Aleph tenebrosum*, vtpote, quæ fuerat ante omnia creata, & quod esset *Aleph lucidum*, & emanatio primaria à fonte lucido, quatenus ei attribuitur nomen finis & initii omnium, Hinc dicit sapientia in sua persona. *Me sapientiam poßidebat Iehoua in principio viæ suæ ante opera sua, ante vllum tempus, ante seculum inuncta fui, cum nulla essent abyßi edita eram &c. Prouerb. 8. 22.*

Concludimus igitur, quod DEVS ante mundi creationem sibi ipsi soli reluxerit, & quod mundum in sacrario suo Ideali atque archetypico prius ad exemplar sui ipsius delineauerit, priusquam illum quidem typicum conflare voluerit, vti in sequentibus luculentius explicabitur.

CAP. III.

De Deo patente eiusque in rerum creatione officio atque virtute, tam secundum Philosophos & Cabalistas, quam Theologiæ patres, quorum omnium sententiæ literarum sacrarum testimonio lucide confirmantur.

HÆc ergo sapientia, quæ erat cum DEO, antequam vlla res esset creata; hoc Verbum sacrosanctum, quod erat in principio tenebroso ante mundi creationem contractum, sibiipsi solummodo relucens, erat ipse DEVS siue DEI potentia, & Virtus, & emanatio, quæ non minus est ab essentia Deiformi diuidenda quam radii solis à sole, vt Merc. Trismegistus testatur, Pim. 12. quam ipse Pimandrum & Mentem seu DEVM dictitare solet: Hic est, (inquam) spiritus Deiformis, hæc immediata emanatio à Patre, quam dictus in Philosophia diuina Antistes in vno loco vocat *lumen suaue nimium*, à quo omnia sunt reuelata & formata, *Mens (inquit) diuinæ potentiæ mutauit formam suam, & vniuersa subito reuelauit, & vidi omnia in lumen conuersa suaue nimium atque iucundum.* Quibus verbis arguere videtur quod DEVS latens seu Aleph tenebrosum (quod per potentiam diuinam significat) seipsum ad mundi reulationem atque tenebrarum propulsationem reuelarit, Et alibi, spiritum hunc splendorem sanctum vocat, è tenebris emanantem, Verba eius sunt hæc. *Erat vmbra infinita in abysso, aqua autem & spiritus in chaos inerant, floruit autem splendor sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit, grauiaque tenebris submersa sub arena humida resederunt.* Quibus Philosophus videtur declarare, non modo spiritus istius sapientiæ è tenebris emanationem, verum etiam harmonicam ipsius virtutem, mediante qua membra ipsius chaos litigantia concordi pace ligantur, atque ad inuicem disponuntur. Hic ergo est spiritus ille ignis de quo Plutarchus sic loquitur; *DEVS est spiritus ignis intellectualis non habens in se formam, sed in se transformans omnia quæ vult, seque aßimilans rebus omnibus & res omnes sibi*, quod quidem non efficit mediante igne elementali, sed per se solum aut per ardorem seraphicum qui proximus est igni diuino. His ergo notum facere vult Philosophus, omnem actum in rerum natura spiritui intellectuali creanti supremæ conditionis esse attribuendum, & minime creaturis, atque inprimis videtur confirmare, quod mundi & cuiuslibet rei in mundo existentia procedat ab actu igneo istiusmodi spiritus diuini, quem actum vtpote purissimum agnoscit esse DEVM. Hinc ergo concludere videtur Merc. Trismeg. Quod nihil sit in rerum natura, quod non repræsentet imaginem diuinitatis; atque Platonici vocant hunc spiritum sic in rebus omnibus infusum, Animam mundi: Vnde & ab alio definitur hic ardor seu lux diuina esse vnitas continens in se res omnes licet diuersas, Et Zenon Philosophus agnoscit eam esse principem seu

seu gubernatorem & dispositorem naturæ; Et alius ipsam hanc lucem diuinam mundi exemplar vocat, eique videtur Mercurius Trismegistus astipulari, dicens mundum esse imaginem & filium Dei creatum, quare etiam & ab alio vocatur speculum in quo res omnes relucent. Denique ipse Aristoteles agnoscit hunc spiritum Deiformem esse primum in mundo motorem: Habetis ergo secundum philosophorum præstantiorum sententiam iam circulum completum seu periferiam illam circa punctum lucidum tenebris absconditum delineatum; Habetis (inquam) lineam viridem Cabalistarum, habetis mundum sphæricum ad exemplar Iehouæ, cuius literæ Iod. He. & Vau sunt sphæricæ (vti in discursu nostro Cabalistico supra literas formales ineffabilis nominis Iehouæ est explicatum) Habetis Deum centrum & Deum circumferentiam. DEVM (inquam) in se contractum & quasi nihil seu punctum indiuisibile, & vix imaginabile, & consequenter latentem, & habetis DEVM dilatatum, manifestum, atq; omnia creantem atque informantem: Habetis Aleph Cabalistarum tenebrosum in lucidum conuersum, omnia creans, cælumque & terram informans, & consequenter habetis *Alpha & Omega*, principium & finem; Habetis denique spiritum illum, cuius centrum est vbique, circumferentia nullibi, vtpote extra omnia; Habetis *Ensoph* seu infinitudinem Cabalistarum, quam alii dixerunt mare & Oceanum infinitum; Habetis mundi animam, cuiuslibet rei vitam & existentiæ esse; Habetis omne in omni, atque ita iuxta Poetæ sententiam

Iupiter est quodcunque vides, quodcunque mouetur.

Sed videamus jam, quomodo hæc Philosophorum & Cabalistarum dicta cum sacri fontis testimonio conueniant. Inquit Esdras, *DEI potentia ante omnia creata finis & initium omnium est, Esd. 6.* per quam potentiam intelligit sapientiæ iste presbyter monadem illam, quæ iuxta Mercurii Trismegisti sententiam genita erat ante omnia à Monade, tanquam filius à patre, & reflexione voluntatis patris in seipsam reuersa est, & nondum emanauit, quousque de mundi, cælorum videlicet & terrarũ creatione determinasset Pater omnium rerum, & tunc dixit FIAT, & emanatione hac seu verbo suo olim occultato iam manifestato & reuelato, quod voluit pater ordinator factum est immediate. Hæc ergo potentia erat sapientia, fortitudo, prudentia diuina, ante omnia, (vti dictum est) creata, de qua sic loquitur Ieremias, *DEVS est qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia, prudentia sua extendit cœlos, Ierem. 10.* Vnde in hoc sermone inclusæ sunt tres primariæ & principes arbores apud Cabalistas, sephiroticæ numerationes, quarum prior dicitur *Chezer* seu corona cui præsidet nomen DEI Ehieh seu pater, secunda *Hochma* seu sapientia, cui præest ineffabile no[me]n Iah & Iehouah; atque tertia *Binah* seu prudentia cui attribuitur nomen Elohim, quarum numerationum prior datur patri, secunda filio seu sapientiæ, atque tertia spiritui Sancto ab ambabus deriuato. Hinc etiam apud Psalmistam regium inuenimus, *Quod verbo Domini cœli sint facti, & spiritu oris eius totus exercitus seu virtus eorum, Psal. 33. 6.* vbi per Dominum, patrem & ordinatorem denotat, per verbum, sapientiam & filium, atque per spiritum oris eius, spiritum sanctum, qui est cuiuslibet exercitus tam spiritualis quam corporalis effector & actus; Et tamen quamuis hic tres personarum diuinarum proprietates assignantur, tamen non nisi vnam & eandem Deitatem atque essentiam habemus, cui omnia sunt attributa, quod etiã & ipse proprio sermone asseuerare videtur, in quo nõ est falsitas; *Ego sum Dominus redemptor tuus & formator tuus in vtero, Ego sum dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram & nullus mecum, Isa. 44. 24.* Et tamen testatur sapiens, *Quod aderat sapientia apud eum, quando firmauit cœlos desuper & roborabat fontes abyssi, veluti alumnus cuncta componens: Prou. 8.* Quibus euidenter liquet, quod Sapientia etiam sit DEVS at à Patre proprietate solummodo & non essentia distincta: Hinc scriptum etiam reperimus. *DEVS hæc dicit creans cœlos, extendens eos, firmans terram & quæ germinant ex ea, & dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam: Isa. 42. 5.* Ac si dixisset, vnus DEVS, at tres personæ, videlicet Dominus pater ordinat, verbum filius firmat cœlos, & Spiritus Sanctus ab vtroque infundit vitam spiritum & virtutem omni rei creatæ iuxta supradicti Prophetæ regii contextus sensum: Vnde & alibi, *Hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse DEVS formans terram & faciens eam, ipse Plastes eius non in vanum creauit eam vt habitaretur, formauit eam, Isa. 45* Patet igitur quod vbi aliqua DEI proprietas adest ibi etiam & alia. Quare sapientia hæc diuina seu emanatio à fonte lucido, est ipsa tetrogrammati virtus, & quasi voluntas patris eiusque verbum quod manebit in æternum, imo vero & eius potentia fortitudo & veluti manus est mundi creator atque eiusdem ex vili informi tenebrosa atque inuisa materia formator, iuxta illud sapientis. *Manus omnipotentis mundum ex informi materia effecit seu creauit* vt Pagniani & Tremellii translatio habet, *Sap. 11. 8.* Vel secundum illam Hieronymi ex materia inuisa, quod etiam sermone hoc sequenti videtur statuminari. *Aquilonem* (inquit Iob) *extendit DEVS super inane & vacuum, & suspendit terram super nihilum.* Vbi per inane intelligit vmbram lethalem ita dictam, quoniam deest illi anima lucida, neque de DEI bonitate visa est participare; atque hinc etiam à Moyse dicitur terra inanis & vacua, quoniam tenebræ sunt materia originalis ipsius terræ opacæ.

Hoc etiam videtur ipse alibi in his verbis confirmare. *Reuelat* (inquit) *fundamenta è tenebris, & educit in lucem vmbram lethalem*; vbi per fundamentum intelligit mundi bases tam materiales; nam aquæ (ex quibus tum postea, teste Diuo Petro, Cœli & terra fuerunt originaliter) verbo seu sapientia erant

tia erant creatæ: quam formales, lucem videlicet creatam. Per tenebras vero & vmbram lethalem tenebrosam intendit abyssum, super cuius faciē tenebrę fuerūt, vnde sine anima manebant. *Iob.* 12.22.

Ex his igitur colligere fas est, pro possibilitate captus humani, quid sit generaliter loquendo spiritus istius diuini natura, & vnde eius emanatio, & qualis in mundi creatione proprietas seu officium illius; iam vero in sequentibus magis particulariter de eius essentia, virtute & officio, in mundi atq; creaturarum eiusdem creatione ex nihilo, seu materia informi, seu inuisa, verba quidem prolixiora, sacri scripti authoritate statuminata, volente DEO faciemus.

Cap. IV.

Quid sit spiritus hic diuinus omnia creans, quomodo Verbum quandoque, & nonnunquam Sapientia vocetur.

QVod spiritus hic virtutis immensæ sit ipse DEVS, vtpote non magis ab essentia diuina seu fonte lucido diuidendus, quam radii solis à corpore solari, ex sententiis tam literarum sacrarum quā philosophorum in præcedentibus demonstrauimus: Quod etiam eiusdem è tenebris emanatione tenebræ seu abyssus obruta eluminetur, aquæ tam tenues quam grossæ animentur, & ex nihilo quasi in actum & esse producantur jam in sequentibus explicabimus; & jam quidem in præcedentibus à nobis sat liquido est dictum, hinc enim scriptum est *Spiritus Domini ferebatur super aquas* iis vigorem impertiens, quæ aquæ, antequam spiritus hic liquidus à fonte lucido seu sinu patris est egressus, dictæ sunt abyssus, super cuius faciem tenebræ fuerunt, vti in textu sacro habetur: Quod deniq; spiritus hic sit *Alpha* & *Omega*, principium & finis omnium, vtpote à quo, & per quem, & in quo sunt omnia, ex multis sacri contextus locis docemur, *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis dicit Dominus, Apoc.* 1. Et alibi, *Ego primus, ego nouissimus, manus mea fundauit terram, dextra mea mensa est cœlos, Ego vocabo eos & stabunt simul, Isa.* 48. Et constat, *quod in Deo ipso viuimus mouemur & sumus, Act.* 17. quod etiam & de omni re creata est intelligendum, quoniam *incorruptibilis Dei spiritus dicitur esse in omni re, Sap.* 12.1. Et ob hanc causam & ratione huiusce spiritus dictum est ab Apostolo, quod *Deus operetur omnia in omnibus,* 1. *Cor.* 12. Hinc ergo alibi concludit dictus Apostolus *Deum esse omnium patrem, quem dicit esse super omnes, & per omnia & in omnibus nobis; Ephes.* 4.6. Et alibi dicit. *Quod Deus viuificat omnia; Tim.* 6. Quod etiam verificare videtur Euangelista affirmans, *quod verbo omnia sint facta & sine eo nihil quod factum est, & quod in eo sit vita. Ioh.* 1. Et alibi ab Apostolo docemur, *quod à Christo & per Christum sunt omnia, Ro.* 11. Et in alio loco dicit: *Christum implere omnia, Eph.* 4.8. Et alibi; *ex eo in eo & per eum sunt res omnes cui sit laus & honor,* in eadem etiam epistola agnoscit, *quod Deus creauerit omnia per Iesum Christum, Eph* 3.9. Atque hoc nomen *Iesus* à Cabalistis dicitur omnia Dei nomina virtute sua comprehendere, imo vero nomen illud Dei essentialissimum Tetrogrammaton seu Iehoua, vtpote *ad nomen cuius, videlicet Iesu, flectetur omne genu, cœlestium terrestrium & infernorum, Philipp.* 2. vnde fit, vt omne illud quod in veteri testamento ascribitur ineffabili nomini *Iehouæ*, illud in nouo transfertur ad illud *Iesus*: Hinc dicit Iob (De hoc spiritu creante intelligendo & de huiusmodi eius efficacia loquendo) *Iehoua extendit Aquilonem super inane, suspendit terram super nihilum, ligat aquas in densis suis nubibus adeo vt non scindantur nubes sub iis: continet superficiem solii, expandit ad illud nubem suam. Decreto circinauit superficiem aquarum, vsque ad consummationem lucis cum tenebris: Virtute sua disrumpit mare, & intelligentia sua discindit pelagus, spiritu suo cœlos ornauit, &c. Iob.* 26. *v.* 7. Vnde liquet quod illud opus in creatione, quod ascribitur DEO, Iesu Christo in nouo testamento etiam Iehouæ assignatur. Quod autem hoc nomen sit verbum Dei, & quod istud sit ipse Deus, ex sermone ab Euangelista prolato declaratur: *In principio, inquit, erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. omnia per ipsum sunt facta, sine ipso factum est nihil quod factum est, In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt, &c. Erat lux vera, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, &c. Iohan.* 1. Quibus verbis arguit: inprimis excelsissimam istius diuini spiritus prosapiam, videlicet quod sit Diuini & Deiformis ortus, deinde, quod locus à quo egressus est, sint tenebræ, quem tamen nihilominus tenebræ non comprehenderunt. Vnde dictum est, *Ne tenebræ quidem ita obtenebrari possunt, quin tu præuideas, sed nox tibi vt dies perlustrat ac tenebræ DEO sunt ac ipsa lux, Psal.* 139.11. Porro etiam eius essentia & pura formalitas exinde indicatur, quod sit *lux mundi & lux in tenebris lucens*, imo vero & lux non modo mundi sed & ipsius hominis; denique eius officium in eo explicatur, quod ab ipso omnia sint facta, atque ratio est, quoniam in eo est vita cuiuslibet rei. Hinc scriptum est alibi, *In DEO ipso viuimus & mouemur & sumus, Act.* 17. Et alibi, *Deus viuificat omnia,* 1. *Tim.* 6. Et alibi. *Ego sum Deus redemptor tuus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram & nullus mecum, Isa.* 44.24. Hinc & Propheta regius, *Verbo Domini formati sunt cœli & spiritu ab ore eius omnis virtus eorū*: Deniq; à D. Petro luculentissime cōfirmatur hoc omne, quod à nobis dictū est, *Cœli erāt prius, & terra per aquā & in aqua, consistens verbo Dei,* 2. *Pet.* 3.5. quib.

verbis liquido nobis indicat materiam inprimis mundi, quam narrat esse aquas, ac tum postea formam depingit, increatum verbum videlicet diuinum, illas creans, præseruansque adeo, vt in hunc vsque diem in eodem statu persistant.

At vero hic *Christus Iesus*, hic *Iehoua DEVS*, hoc verbum diuinum, ex aliis literarum sacrarum locis apparet esse spiritus disciplinæ sanctus, hoc est, ipse spiritus sapientiæ diuinæ, vtpote cui eadem data est in mundi creatione proprietas seu officium, tam in creaturarum viuificatione, quam voluntatis paternæ exequutione, tam in cœlis quam in terris. Ad diuinam eius prosapiam & æternitatem quod attinet, in Biblio sacrosancto dicitur. *Ego sapientia ex ore altißimi prodii, primogenita ante omnem creaturam, Eccles.* 24. Et alibi, *Ab initio & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam, & in babitatione sancta coram ipso ministraui*: Et alibi, *Sapientia prior omnium creata est, & intellectus prudentiæ ab æuo, Eccles.* 24. & alibi, *Sapientiæ fons verbum DEI, ingressus illius mandata æterna, Eccles.* 1. Similiter à Salomone accipimus, quod *Dominus poßidet sapientiam in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret, à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Prov.* 8. Denique dicitur *quod sapientia sit à Domino & cum illo fuerit semper*, id est, ante æuum; *Eccles.* 1. In essentia seu natura sua simplici videtur esse lux summa atque increata; vnde dicitur vapor virtutis Dei, emanatio quædam claritatis omnipotentis sincera, candor lucis æternæ, speculum sine macula maiestatis diuinæ, atque imago bonitatis illius, *Sap.* 7. imo vero tam excellens atque incomparabilis est illa lux diuina, vti sole esse speciosior dicatur, & super omnem stellarum dispositionem luci comparata inuenitur prior, vti testatur sapiens in eodem capite. Porro etiam inuenimus proprietates ipsi soli proprias, vtpote qui est fons & origo illarum in hoc mundo, videlicet quod sit spiritus intelligentiæ sanctus, multiplex, vnicus, subtilis, disertus, mobilis, imo vero omnibus mobilibus mobilior, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonũ, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, vbique propter suam munditiam attingens, qui cum vnus sit, omnia potest, & in se permanens omnia innouat &c. *Sap.* 7. Hisce ergo virtutibus munitus ipse, paratus est officio à patre ei assignato mundum omniaq; in mundo creare, ipsasq; tenebras deformes in actum producere. Hinc dictum est: *Sapientia præparauit Deus terram in æterno tempore, repleuit eam bipedibus quadrupedibus &c. Bar.* 3. Et alibi, *Sapientia Deus fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia, ea eruperunt abyßi & nubes rore concrescunt, Prou.* 3. 20. Et alibi, *Ego sapientia aderã, quando præparabat cœlos, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, Prou.* 8. Et in alio loco, *Sapientia in cœlis fecit vt oriretur lumen indeficiens, Et sicut nebula texit omnem terram, cœli gyrum circuiuit sola, profundum abyßi penetrauit, in fluctibus maris ambulauit, & in omni terra stetit, Eccles.* 24. Et alibi, *DEVS saphireas nubes effecit sapientia, & vtres cœli prosternit, Iob.* 28. 37. Et alibi, *DEVS sapientia sua aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, Iob.* 28. *Facit pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum: Iob.* 26. 12. *Qui sapientia seu potentia sua quiescit mare, & intelligentia sua percutit elationem eius, qui sapientiam suam fecit Israelitis tegumentum interdiu & lucem stellarem noctu. Sap.* 10. 17. Denique *DEVS omnia opera sua mirabilia fecit in sapientia sua, cœlosque in ea confirmauit & ornauit; Psal.* 104. 24. imo vero quicquid agitur, quicquid creatur, & quicquid vel viuificatione, vel multiplicatione, vel corruptione alteratur in hoc mundo, illud vim suæ mutationis à centrali & intrinsecus agente principio hoc creato habet; nam teste Sapiente, *Spiritus DEI incorruptibilis est in omni re, Sap.* 12. 1. atq; in alio loco dicitur, quod *Deus effundat sapientiam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se, Eccles.* 1. quibus inprimis indicatur, quod spiritus hic diuinus in omni opere Dei inest, iuxta prædictam sapientis assertionem, & tum postea spiritus hic disciplinæ sanctus possit illis qui amant & timent Dominum reuelari, atque è tenebris creaturæ in lucem ad dilectorum vtilitatem & fælicitatem proferri, iuxta illud Prophetæ, *Aperietur terra & pariet saluatorem.*

CAP. V.

Quomodo hæc sapientia seu emanatio claritatis diuinæ creatura, & interdum nomine angeli nuncupetur.

SI sapientia sit verbum, & verbum sit DEVS, & DEVS non creatura sed creator æternus, admirandum nobis videbitur, quod in multis scripturarum locis inueniatur, sapientiam esse *primo omnium creatam, Eccles.* 1. Et iterum dicitur quod *sapientia ab initio ante secula creata sum, & vsq; ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso administraui*: At vero si rem paulo accuratius consideremus, percipiemus quidem, hoc non de pura illa sapientia, quæ emanabat à fonte lucido omni à materiali constitutione immuni intelligendum, quippe quæ est Sapientia, Verbum, imo vero & ipse Iehoua Deus omnia creans; sed de spiritu humido mundano, præsentia illius emanationis lucidæ, seu virtutis tetrogrammati inspirato, animato, in actũ reducto à potentia, nam ante emanationẽ hanc scriptum est quod tenebræ fuerint super faciem abyssi, at cum spiritus ferebatur super aquas, tunc

tunc aquæ in actu apparebant totæ, quæ antea deformibus tenebris eſſent inanes, & aliquid ſolummodo in potentia, vnde (inquit Auguſtinus) ſpiritus ille erat amor diuinus, igneum aquis vigorem impertiens, ex quibus aquis ita reuelatis & creatis ab iſto ſpiritu lucido, tum poſtea cœlum & terra teſte D. Petro creata ſunt 2.*Pet.*3. operante eodem verbo. Atque huic quidem rei videtur Mercurius Triſmegiſtus verbis expreſſiſſimis aſtipulari: *Sic effatus Pimander formam tranſtulit, & illico cuncta concepi temporis articulo, tunc cerno indefinitum ſpectaculum, omnia enim lumen effecta ſuaue ac hilare, quod amaui expectans*: & paulo poſt: *Vmbra ſeu tenebræ deorſum ferebantur obliqua reuolutione, vt imaginarer me vidiſſe commutatas tenebras in humidam quandam naturam, vltra quam dici poteſt, agitatam, & velut ab igne fumum euomere ac ſonum aliquem edere inenuntiabilem: Sub hæc vox ex ipſa inarticulata ſic emittebatur, vt ſuſpicarer vocem eſſe luminis, ex lumine verbum ſanctum naturæ humidæ aſtabat eamque fouebat.* Hæc ille; Quibus coloribus viuis depingere videtur modum primordialis luminis, è tenebroſa abyſſo emanationis, atque luminis diuinitus emiſſi, quaſi formæ informantis atque creantis cum materiæ mixtione, quam dicit verbum ſanctum fouere, atque aſtare: deinde ibi loci narrat creationem ordinem atque diſpoſitionem elementorum, *Ignis inquit purus exiliit ex humida natura in ſublime ſurſum, leuis enim erat & acutus, ſimul ac efficax, Aer autem agilis exiſtens conſequebatur ſpiritum dum aſcenderet ad ignem vſque à terra & aqua, vt crederetur ab ipſo pendere, Terra quidem & aqua manſerunt in ſeipſa commiſta: Hæc autem mouebantur à verbo ſpirituali, quod ſuper ea ferebatur, &c.* Videmus igitur iſtum antiſtitem à prædicta D. Petri ſententia non diſcrepare, vnde liquet, quod emanatio hæc ab ore altiſſimi, ſeu *Aleph lucidum* Cabaliſtarum ab *Aleph tenebroſo* & occulto procedens tanquam anima vniuerſalis, vniuerſum mundi ſpiritum, ſeu naturam humidam (quæ aqua dicitur) animet atque informet, eſtque more animæ in corpore, in toto ſpiritu mundano, & in qualibet eius parte; vnde ſcriptum eſt à Poeta, quod *mens agitet molem.* Et alibi, *Spiritus intus alit*, & de hoc ſpiritu ſcribitur, quod omnia impleat & vbiq; adſit, & in omni loco. Et propheta regius ait, *quod Deus ſit vbiq;, videlicet in terra, in inferno, in cœlo, in extremis maris, in nocte & in tenebris, Pſal.*139.7. atque hinc etiam dictum eſt, *quod DEVS quicquid vult facit in cœlis, in terra per maria & omnes abyſſos. Pſal.*135.7. *Rotunditatem* (inquit ſapientia) *cœlorum circuiui ſola, in profundo abyſſi ambulaui, Eccleſ.*3. Quibus concludimus, iſtam emanationem diuinam (quæ non magis eſt diuidenda ab eſſentia diuina, quam radii ſolares à Sole vt Merc. Triſmegiſtus ait) eſſe ſpiritus mundani vitam, & quod ſpiritus hic mundanus ſit ab illa emanatione in actum productus.

Hinc ergo eſt quod iſta emanatio in ſe, increata tamen reſpectu ſpiritus, in quo tanquam vehiculo ineſt (qui in ſe nihil eſt, niſi reſpectu præſentiæ ſeu aſſiſtentiæ iſtiuſmodi lucis increatæ) dicitur quandoque creata & creatura. At vero reſpectu ſui, nulla ad materiam aliquam creatam relatione habita, *Iehoua*, ſpiritus incorruptibilis, ſpiritus ſapientiæ atque virtus Tetrogrammati dici poteſt; Sed hoc è ſacris literis luculentius demonſtrabimus. Inprimis dicitur, quod prima die creata ſit Lux: & tamen certum eſt iſtam lucem non pro emanatione ſimplici diuina intelligi, nec quidem pro re aliqua alia abſente dicta emanatione diuina, vtpote ſine qua nulla fieri poteſt creatio, Quare certum eſt, quod per lucem iſtam intelligatur ſpiritus mundi, lucis diuinæ præſentia creatus, ſeu radiis ſpiritus, qui ferebatur ſuper aquis, animatus, & ſplendore formoſo ornatus, quare ſpiritus ita illuminatus dictus eſt creatura, ſeu lux creata, hoc eſt, externum pro toto, cum vero ſi internam eius naturam reſpiciamus, eſt equidem creator, informator, actus primus, primusque in mundo motor, DEVS, verbum, Iehoua, Ieſus, Meſſias, qui eſt virtus Tetrogrammati.

Hic vero obiter ſtultas & vanas Ariſtotelis & Damaſceni opiniones enucleare haud inutile fore exiſtimamus, qui volunt lucem eſſe accidens, & non quid ſubſtantiale, quorum ſententiis vehementer adhærent huius ætatis Peripatetici: At ſi ſibi ipſis conſtare volunt, certum eſt, atque omni dubio procul, idque ſecundum propriam illorum doctrinam, quod accidentis eſſe ſit ineſſe, quare ſi lux primo die creata ſit accidens, neceſſe eſt quod aliquod corpus ſeu ſubiectum ſubſtantiale præceſſerit vel præextiterit, quod quidem eſt contra ſacrarum literarum ſenſum, qui faciunt lucem opus primi dici, ſed ad propoſitum.

Hinc enim eſt, quod ſpiritus hic increatus cum ſpiritu mundano more animæ cum corpore mixtus, dicitur à Platonicis mundi anima, hinc & mundus ipſe vocatur creatura, licet eius internum agens ſit ipſe ſpiritus increatus, à quo quandoq; totus mundus denominatur: Vnde poeta

Iupiter eſt quodcunq; vides, quodcunq; mouetur.

Qui quidem ſermo cum literis ſanctis conuenire videtur, *Chriſtus DEVS omnia implet*, inquit Apoſtolus, *Epheſ.*4.8. Sed vmbra lethali ab oculis noſtris abſconditur, ita vt ipſum non niſi de longe & à poſteriori in creaturis diſcernamus, at ablatis illis nebulis Cymmeriis omnia erunt Deus; nam quæ non ſunt de Deo, re uera nihil ſunt, & euaneſcent in fumum, vnde alibi dicit Apoſtolus, *Chriſtus erit omnia in omnibus, cum ille patris regnum obtinuerit*, Et alibi. *Cum ero exaltatus, omnia ad me traham*, 1. *Cor.*15.


Dicimus ergo, quod reſpectu exterioris ſeu creaturæ, in qua ineſt ſapientia, dicta eſt quaſi creari & creata, h. e. quatenus rem creatam inhabitat, ſic *Chriſtus homo* dictus eſt creatura, homo ſcilicet licet

V 2 reſpe-

respectu spiritus æterni qui eum inhabitabat, DEVS, verbum, atque sapientia sit dictus. Similiter in Angeli compositione obseruamus duo, videlicet externum, quod est substantia ætherea subtilissima, & forma seu lux increata, quæ est ipse *Iehoua seu sapientia*, vnde à Dionysio angeli agalmata vocantur, hoc est, clarissima specula, lumen DEI suscipientia, eiusque imaginem recipientia, hoc est creaturæ, consistentiæ aereæ, in quibus lux diuina inest quasi forma seu agens centrale, quam lucem nos nomine ineffabili Tetrogrammati, seu Verbi, seu Sapientiæ æternæ insignire possumus. Hinc quidem de magno illo angelo qui præcedebat Israelitas in via illorum per desertum hoc scriptum legimus. *Ecce ego mitto angelum ante te ad seruandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparaui, caue tibi à facie eius & ausculta voci eius, ne acerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo, Exod.*23.20. Quibus verbis colligere fas est, quod verbum, seu lux DEI increata, seu ipse Iehoua fuerit in aerea Angeli istius constitutione, quasi anima corpus eius aereum animans, & pro voluntate sua dirigens, vnde liquet, quod respectu eius interni, angelus ille non angelus, sed Iehoua dictus sit interdum, hoc est respectu habito ad eius internum seu lumen DEI, quod à Diuinitate separari nequit, & quandoque angelus dicitur respectu habito ad eius externum; Videlicet ad creaturam. Hinc scriptum est in eodem capite; *Angelus qui præcedebat castra Israelitarum in columna nubis in die & in columna ignis noctu*, Et tum postea; *Iehoua anteiuit Israelitas nocte in columna ignis & die in columna nubis*; Vnde patet, quod quandoque angelus & quandoque Iehoua nuncupetur spiritualis ille Israelitarum dux. At quando nomine Iehouæ insignitur, tum ignea natura columnæ innotatur, vt in angeli nominatione aquea & vaporosa, qualis est tenuis corporis angelici consistentia.

Porro etiam & alibi dictum est, *quod angelus Iehouæ apparuerit Moysi in flamma ignis in medio cuiusdam rubi*, At in eodem capite dictum est, *quod Iehoua Moysen allocutus sit è medio ignis rubi dicens, Ego sum DEVS Abraham &c.* Quibus innuere videtur Antistes, quod vbi erat angelus Iehouæ, ibi etiam & Iehoua, seu lux diuina, seu emanatio à patre, seu sapientia, Imo vero euidenter ex sacræ scripturæ consensu apparet, quod angelus ille, qui præcedebat Israelitas in itinere per desertum, fuerit Sapientia, considerando eius internum agens, *nam fuit Sapientia ils tegumentum interdiu, & lux stellaris noctu: traduxit eos trans mare rubrum & trans aquas multas, Sap.*10.17. Denique si quis legat integrum illud caput, percipiet quidem, quod angelus ille esset sapientia primitus creata ante omnia, & quandoque denominationem habeat in æterna sua natura, quatenus scilicet sit lux mere & simpliciter formalis, & quandoque pro tota compositione angelica, videlicet pro spiritu creato, quo tegitur lux illa, & ipsa lux animans, & lux simul, ac si quis diceret anima & corpus angelicum simul: Et certe natura istius angeli Deiformis est tam immensa, vt omnia in mundo impleat, & tamen extra omnia se extendat, *Ex ore altißimi* (dixit) *proueni, & tanquam nebula cooperui terram, Ego in excelsis locis tentorium habui, & fuit thronus meus in columna nubis, Rotunditatem cœli circuiui sola, & in profundum abyssorum ambulaui sola, in fluctibus maris atque in omni populo & gente acquieui: Eccles.*24.3. Et alibi dictum est, Sapientia supremo cælo altior, imo abysso profundior. Dicimus ergo, quod huius immensæ fortitudinis angeli minime cóprehendendi vestimentum sit vniuersus spiritus mundanus, qui est vehiculum istiusmodi emanationis, luce & fulgore præcellentissimæ: ita vt totum illud, quod Platonici acceperunt pro mundi anima, sit nihil aliud quam sapientia ista, quæ vestitur lumine quasi vestimento, vt ait Dauid, hoc est, ipsa spiritum mundanum & præcipue cælos ornando sua præsentia splendescente, *posuit in illo suum tabernaculum*, atque maiori pulchritudinis suæ aspectu copiose reddidit Solem locupletem, diuitiisque suis fulgurantibus ornatum.

Quomodo autem hæc Sapientia, summus in voluntatis patris sui exequutione minister, cuius imperio angeli atque dæmones omnes alii subiiciuntur, dictus sit à Cabalistis angelus Mitattron, in membro huius secundo latius declarabimus. Hic autem Demonstrationem quandam ocularem, qua res captui legentium luculentius explicetur, exposuimus.



In præcedente demonstratione delineauimus emanationis diuinæ fluxum à patre, in tenebris olim inhabitante, quam emanationem seu spiritum intelligentiæ sanctum ideo in forma columbæ depinximus, quoniam spiritum istum super Christum in tali forma descendisse legimus; vnde & sapientia, verbum, & DEVS non aliter quam angelus quandoque eodem respectu Iehoua & sapientia erat dictus; Porro quod peripherice moueretur iste spiritus lucidus, seu emanatio, seu candor & splēdor lucis æternæ, in eo declaratur quod spiritus Domini dictus est ferri super aquis, & quod ipsa sapientia sit fassa, *quod rotunditatem cœlorum circumiuerit sola. Eccles.* 4. Et alibi, *DEVS qui facit terram in fortitudine sua præparat orbem in sapientia, prudentia sua extendit cœlos, Ierem.* 10. *conuertit cœlum in gyro in locum suum vno die: 3. Esdr.* 4. Hoc omne innuere videtur Mercurius Trismegistus *Pim.* 1. dicendo; Quod cum DEVS se reuelasset, omnia conuersa sunt in lumen aspectu iucundum: Et paulo post vmbra horrenda obliqua reuolutione subterlabebatur in humidam naturam, &c.

Cap. VI.

De Igne creatura, & quomodo mediante hoc diuino actu in primordio mundi procreetur.

IGnis à DEO creatus (quoniam distinguimus ab illo increato, qui dictus est quandoque ignis consumens) à sapientiæ actu, in spiritum mundi varie pro suę consistentiæ diuersitate patientem atque resisten-


resistentem, per reflexionem producitur, qui etiam & varieformis est pro diuersitate resistentiæ, nam resistentia quæ fieri solet in spissiori mundi spiritu, ignem grossiorem & magis sensibiliter agentem profert; Verbi gratia, Ignis cæli supremi magis suauis, benignus, intellectualisque redditur, ob spiritus loci illius munditiem & puritatem, vnde creaturis maxime spiritualibus assignatur ille locus, qui etiam ob hanc rationem cœlum Empyræum seu Igneum dicitur: deinde ignis, in media mundi regione die secundo procreatus, atque vndique dispersus, ob spiritus resistentis duplicitatem creatur, cuius natura est aliquantulum violentior, ob maiorem resistentiam quam ille primi gradus, atque hic ignis ante diem tertium vndique in æthere expanditur per loci spiritum, qui ob hanc causam nuncupatur æther, quasi ætha aer id est igneus aer: Denique hic ignis infimæ regionis eo est sensibilior, & magis rebellis quam illi duo graduum superiorum, vnde consumit, vti in fulgure & igne terrestri declaratur. At vero actus internus cuiuslibet horum ignium est ipsa lux vera mundi, spiritus increatus, atque minime corruptibilis, qui ignem, creaturam suam, conuertit ad quemlibet actum, ad voluntatem patris efficiendam necessarium, sic dictum est de igne superioris ordinis. *Qui facis angelos ignes vrentes*, *Psal.* 104. Et tamen (vti in præcedentibus dictum est) angelorum internus actus est ipsa sapientia: Sic etiam alibi. *Igne lucente per noctem totam deduxit DEVS Israelitas. Psal.* 78.14. Et tamen dicit sapientia, *Thronus meus in columna nubis & ignis: Eccles.* 4. Et alibi, *Fuit sapientia iis tegumentum interdiu, & lux stellaris noctu, Sap.* 10.17. Nonne etiam de igne cœlesti dictum est, quod posuerit tabernaculum suum in sole, sed admirabile spiritus diuini dominium in igne creato arguunt hæc verba, *Ignem mitesiit DEVS ne combureret, Sap.* 16.18. modo *DEVS ignem facit ardere inter aquam*, nam (inquit sapiens) creatura tibi qui fecisti omnia subseruiens ad punitionem contra iniustos, intenditur & remittitur nonnunquam ad beneficentiam &c. Vnde liquet quod Diuinus atque increatus iste spiritus (qui est centrum & circumferentia) à centro cuiuslibet creaturæ, vel vires emittendo eiusdem, vel centraliter contrahendo ad mandata sua perficienda mouere atque agere soleat; nam spiritus incorruptibilis est in omni re, atque habitatio eius est in cœlo cœlorum, tam creaturæ cuiuslibet particularis quam vniuersi mundi spiritu, hoc est, in sancto sanctorum, à quo tanquam centro intimo aspectus suos emittit vel in se reflectit pro placito suo. Hinc ergo est, quod Augustinus & alii habent, quod, quanto plus aliquid lucis habeat in se, tanto plus DEI sibi vendicare videatur, nam Deus (qui est fons lucis & lux mundi) dicitur *habere habitaculum suum in igne inaccessibili, Leuit.* 10.2. hoc est, in centro ignis, atque ob hanc rationem mentio facta est in literis sanctis de igne DEI deuorante. Et alibi dicitur DEVS ignis esse consumens, quibus intelligitur ignis ex centro cuius Iehoua irato aspectu conspexit impios, vnde in eodem loco dicitur, *quod ignis ille esset incendium quod incendit Iehoua, vers.* 6. Sic etiam & alibi *Ignis à Iehoua egressus consumebat ducentos quinquaginta illos viros qui admouerunt thus. Num.* 16. Et alibi, *Ignis ille maximus Iehouæ nos consumet.* Denique ob hanc causam dicitur *Deus vestri lumine quasi vestimento. Deut.* 5. Concludimus igitur, quod in prima mundi creatione forma lucis creatæ centralis, erat verbum seu sapientia, à qua cœli & omnia mundi sunt procreata, estque hic immediatus in mundo actus, in quo sapientia seu spiritus creatus induit spiritum ab ipso immediate creatum, tanquam vestem, atque ita lux dicta est creari, & cœlum illud ornari, quod ob istam rationem dicitur *Empyreum*, ita vt in simplici hoc actu spiritus increatus sit mundi Mens & quasi vitæ centrum, & lux cuiuslibet rei, cuius circumferentia est infinita: cuius spiritus seu vehiculum creatum est humida natura: Tum postea ista compositio magis deorsum penetrans est anima creata mundi, cuius nihilominus intimus agens est increatus, ac denique anima cœli cum suo vehiculo densiori, est anima cuiuslibet tam elementi quam elementati, iuxta illud Poetæ

Principio cœlum & terras camposq; liquentes
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, magno se corpore miscet
Mens agitat molem ----

Atque hic spiritus secundum illud D. Ioh: est lux illa mundi, in qua est cuiuslibet rei vita. Dicimus ergo quod radii spiritus sapientiæ deorsum in tenebrosam abyssum penetrantes, gignant ignem reflexione radiorum suorum, à materia grossa & tenebrosa resistente resilientium, atque ob hanc causam motu contrario à deorsum sursum versus ascendit, iuxta illud Mercurii Trismegisti, *Pim.* 1. Verbum sanctum naturæ humidæ superstabat, & purus ignis exiliuit ex humida natura in sublime sursum, leuis enim erat & acutus simul ac agilis & efficax.

Rationem istiusmodi reflexionis primariæ in cœlo summo factæ, pro captu meo exili hoc in loco depinxi, vbi radii sapientiæ directe descendentes, atque in chaos penetrantes, simul atque radii sursum reflectendo ob repercussionem more vibratili ascendentes explicantur, quorum quæ in sublime tendunt, ignis creatus est primi gradus, consistens ex spiritu creato, à spiritu increato animato, & in igneam seu lucis naturam conuerso.

Lucis Creatæ Primariæ Apparitio.




Cap. VII.

De primo Motore, primo mobili, & voluntate Diuina.

PRimum omnium motorem diximus ipsam esse sapientiam vtpote quæ ante omnia creata, & à sua proprietate (vt testatur sapiens *Sap.* 7.) est omnibus mobilibus mobilior, atque vndique attingens propter suam munditiam; nam emanatio à DEO est actus omnium viuacissimus, & actuum cunctorum origo & fons. Hic quidem repercussis tenebris ad regionem terræ immediate vim suam mobilem primariam in eo primum cœlo exercuit, quod primum mobile nuncupatur: Vnde & primum mobile appellatur, quippe ad motum cuius cæteræ mundi spheræ motus suos ab ortu in occasum sortiuntur. Hinc scriptum inuenimus, *quod DEVS fortissimus qui veritas est conuertat cœlum in gyro in locum suum in vno die*, 3. *Esdr.* 4. Et ipsa sapientia dixit *se circumiuisse cœlos solam*, ad motum cuius quasi voluntatis diuinæ, spiritus primo die creatus, tanquam corpus ad motum suæ animæ constanter mouere solet: vnde liquet, quod ipsa sapientia diuina est quasi voluntas DEI, à verbo immediate emanans, vtpote cum eo continua & ab eo minime diuisa, *Eccles.* 1. Quare in hæc verba loquitur sapiens, sapientiæ fons verbum DEI in excelsis, ingressus illius mandata æterna, Imo vero voluntatem DEI esse ipsum quasi verbi effectum innuere videtur Euangelista huiusmodi saluatoris nostri verbis *Voluntatem vt faciam patris qui misit me descendi de cœlo, Ioh.* 6. Hinc ergo quale verbum, talis DEI voluntas, talisque sapientia. *Verbum* (inquit Propheta) *DEI nostri manet in æternum, Esa.* 40. Et sapiens dicit, *voluntas Domini permanebit in æternum*, *Prou.* 19.22. Voluntas DEI est verbum FIAT. Et aliter dicitur, *voluntas non mea sed tua fiet*, Hinc ergo est, quod quia primus motor vires &

virtu-

virtutem suam exercuit in primo mundi mobili, ad mundi agitationem & viuificationem, quod voluntas humana à philosophis peritioribus huic mundi cœlo seu sphæræ attribuitur, vtpote quod cœlum, cum sit illi intellectuali contiguum, virtutem talem possidet, vt voluntatem suam ab eo deriuatam, cum intellectu diuino coniunctam habeat, semper ad mentis bonum tendens, & influxus varios à primo motore omni momento impluens in inferiora: Atque hæc quidem mentis diuinæ voluntas ad mundi & creaturarum productionem, in earumque naturæ cursus ordinaria continuatione operatur, cum vero cursu extraordinario sæpicule in mundo creaturisque agere solet voluntas Diuina, mediantibus ministris suis angelicis, quorum est efficere verbum & placitum creatoris, vnde dicit Psalmista regius, *Angeli DEI validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri facientes placitum eius*, *Psal.* 103. 20. Quibus innuere videtur propheta, quod verbum & placitum, seu voluntatem DEI perficere soleant angeli quasi ab officio, quorum princeps & summus est Metatron, vti suo loco dicemus. Quomodo sapientia primum à cœli Empyrei & beatorum creatione in primum mobile agat, mundique spiritum integrum ante solis creationem impleat, pro exiguo capacitatis nostræ acumine hic depinximus.



Cap. VIII.

In qua re Voluntas Diuina cum illa humana conueniat, & in qua dissentiant ab inuicem, & quod hæc ab illa essentialiter dependeat.

VT duæ à Philosophis enumerantur principes & primariæ partes hominis, intellectus videlicet seu ratio, atque ipsa voluntas; ita quidem voluntatem, huiusmodi experientia docti, inuenimus nonnunquam ita contra rationis leges atque directionem gubernari, vt plane irrationalis atq; sensitiuus appetitus & sensualis dicatur à Theologastris, vtpote mediante qua homo à bruto minime discrepare solet, atque in hoc voluntatis humanæ statu, ab illa diuina summo gradu discrepare videtur,

videtur, quippe quæ est semper iusta, ad bonum inclinata nisi ad impiorum pænam incitetur, in suo esse æterna atque intellectualis in supremo gradu, vnde fit, vt vera hominis voluntas (vtpote ortum suum ducens ab illa diuina) sit illiusmodi conditionis & naturæ videlicet quod appetit, vt bona, vel renuit, vt mala.

Vt igitur voluntas diuina definiri potest, idque haud inepte, videlicet vt sit potentia essentiæ diuinæ motiua, mediante qua DEVS quicquid vult facit, tam in cœlis quam in terris, quod omne ab effectu tum postea vidit esse bonum; Sic etiam illam hominis veram & non spuriam dicimus esse potentiam animæ rationalis motiuam, qua homo res à ratione manifeste productas vel cupit vt bonas, vel respuit vt iniquas, vnde euidens est quod voluntas seu appetitus humanus debeat rationi suæ obtemperare, & nihil agere, velle, aut præstare nisi à ratione ducta possit causam probabilem reddere sui motus, atque hinc patet, quod ratio seu intellectus debeat dare regulam seu metam actui voluntario. Et quamuis bona aliquando voluntatis intentio malum producat effectum, quod quidem fieri aliquando solet, quia intellectum ob sensuum incertitudinem atque phantasiæ deceptionem falli atque aberrare aliquando contingit, in quo eius defectu à voluntate diuina immaniter videtur discrepare. Hæc autem est vera illa hominis voluntas, videlicet potentia animæ intellectualis, quæ loco principis se habet ad illam, quam physici naturalem vocant, per quam vel res naturaliter & necessario homini appetibiles desideramus, verbi gratia viuere, scire, edere, bibere &c. Vel è contrario eas quasi odio habemus & abhorremus, atque auersamur, videlicet mori, famescere, paupertate affligi &c. Rationalis ergo voluntas tanquam princeps, est libera in suo motu, & in hoc assimilatur illi diuinæ, naturalis vero non libera sed à natura corporea desiderante, ad sui ipsius perfectionem rapitur: Vnde & excluditur ab illa rationali, sed ad rem.

Quemadmodum in præcedenti capite dictum à nobis est, voluntatis diuinæ actum in primum cœlorum mobile vim suam primariam in mundi creatione exercuisse, atque quod ille actus motiua sit voluntas diuina, immediate à prima atque omnium summa intelligentia, tanquam fonte generali actuum emanans, quę vim suam primariam in spiritum mundi subtilissimum, & actui ipsius magis obedientem exercet, ita quidem in homine seu Microcosmo res sese habet, in quo voluntas à spiritu intellectuali egrediens atque rationis ministerio gubernata, rotat inprimis spiritum animalem, quasi cœli Empyræi atque intellectualis substantiam, seu primum in homine mobile, vnde manifestum est, quod voluntas in homine sit regina omnium aliarum facultatum quod pro velle suo, ad imitationem illius diuini conducit, vtpote appetitus sui sagittas ad bonum, tanquam metam desiderabilem conducens. Nam quemadmodum videmus in Macrocosmo, quod cœlum stellatum sit motu suo maxime tardum, vtpote quod per centum annos (iuxta Ptolomæi doctrinam) per vnum solummodo mouetur gradum, & quod numerus centenarius sit quadratum ad numerum denarium, qui componitur ex partibus quaternarii numeri elementaris, videlicet. 1.2.3.4. qui simul additi constituunt decem, vnde liquet, quod hoc cœlum repræsentet corpus elementare, vtpote quod quadruplo signorum secundum naturam 4 elementorum genere complectur, videlicet tribus igneis, totidem aqueis, atque iterum tribus aereis, cum totidem terreis, quę signorum partitio triplicitas vocatur ab Astrologis: atque ob hanc rationem corpus magni animalis mundani haud inepte vocatur, cuius viscera interiora sunt Planetæ septem. Vnde & Zodiacus à Zoon (animal) dictitatur eius cingulum: similiter quemadmodum hoc corpus immediate à spiritu primi mobilis quasi anima mente diuina exagitata mouetur: Ita quidem voluntas in Microcosmo, simulacrum mentis primi mobilis Macrocosmici, totum eiusdem spiritum in circuitu rapientis (ad motum cuius cæteræ internæ seu interiores sphæræ ducuntur) repræsentat vtpote mediante qua tota corporis humani moles, quasi octaua seu stellata macrocosmi sphæra mouetur, atque rapitur, omnes eiusdem facultates & organa interna quasi sphæræ planetariæ & regiones elementares exagitantur.

Hoc est etiam illud quod Aristoteles ipse vult, videlicet, quod voluntas in homine sit simulachrum spiritus primæ sphæræ mundanæ, lumine diuino animatæ, vtpote quæ transit & vertit omnia membra & facultates non aliter quam primum mobile alios circulos: & Platonici volunt, quod vt primum mobile sit dux cœlorum, omnia inferiora vigore & virtute sua mouens, nec tamen ducitur ab aliquo inferiori circulo, sed sola intelligentia sancta in eo operante, ita quidem voluntas humana omnia in corpore humano inferiora organa & facultates gubernat & rapit, & à nullo regitur aut mouetur sed actum suum habet primarium, à scintilla illa diuinitatis omnia mouentis, cuius est perpetuo in bonum vergere, licet nonnunquam ob sensuum & phantasiæ delusiones, decipiatur ratio: nam quam sæpissime falluntur sensus circa propria obiecta, Vnde factum est, quod quæ sensui & carni videntur bona à voluntate appetuntur, licet ab effectu mala esse decernantur, idque ob tenebrarum figmenta & cæcitatem ignorantiæ,

rantiæ, aut peruersam erroris diabolici rabiem, radios veritatis obfuscantem & aspectum veritatis obumbrantem.

Voluntatem ergo diuinam, verbi diuini seu sapientiæ, ab essentia DEI emanantis, actum motiuum à suo radio nunquam separandum, cum ipso verbo & emanatione æternam, atque ab eo non magis diuisibilem, quam calor ab igne aut lux à sole existimamus. Hanc eandem facimus prosapiam & parentem Deiformem radii diuini in homine, qui est actus primus in voluntate humana: Nam cum dixisset Deus faciamus hominem ad imaginem nostram, hic verbum *Fiat*, seu motiua verbi virtus erat voluntas Dei, seu signatura voluntatis eius viua, à qua radicitus orta est illa humana, nam immediate cum ipso verbo secutus est actus non modo vitæ, sed cum vita ille voluntatis.

Quid tum postea? An concludemus igitur quod voluntas hominis sit voluntas Dei? Imo vero vt vitam & mentem hominis sublimem à Dei essentia minime separari dicimus, quippe quæ sunt spiracula à Deo, & consequenter ab eius emanatione minime diuidendæ, nam essentia diuina est indiuidua, ita dicimus, quod voluntas hominis ab illa diuina exit, sed ista voluntas Dei erat ad speciem humanam effingendam, & ad illam continuandam, & gubernandam atque dirigendam in hac vita ad res bonas, & ad euitandas res fœdas, coram Deo & natura humana abominabiles: iuxta illud sapientis, *DEVS è sanctis cœlis mittit sapientiam homini, vt præsens versetur secum in labore & cognoscat quid gratum sit apud ipsum, Sap. 9.* Et alibi, *Vt dirigat hominem in via sua*, at scintilla hæc diuinitatis, propter peruersam Adami errorem & peccatum, ita successoribus nostris est obscurata atque tenebris obfuscata, vt quamuis scintilla hæc in suo motu semper tendit ad bonum, tamen nihilominus propter tenebrosam corporis dispositionem, male capiuntur eius impressiones, atque hoc videtur sapiens agnoscere hisce in verbis, *Quis hominum potest scire consilium DEI? aut quis potest cognoscere quid velit DEVS, cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile æstimamus quæ in terra sunt, quæ in cœlis sunt quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sapientiam? & miseris spiritum tuum sanctissimum de altißimis, sic correctæ sunt semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines, Sap. 9.*

Quibus terso verborum filo arguere videtur, quod grauedo & obscuritas corruptibilis corporis sit in causa incertitudinis viæ humanæ, quod autem DEVS radium vitæ & intelligentiæ immediate immiserit in hominem ex his colligimus, *In homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis eum facit intelligere, Iob. 9.* Et alibi, *spiritus Dei fecit me, & spiritus omnipotentis viuificauit me*, Quibus liquet, quod tam rationis quam vitæ humanæ origo sit spiritus seu afflatus diuinus: Similiter quod radius hic vitæ atque intelligentiæ esset ipse sapientiæ spiritus ex hoc sapientis sermone capimus, *Sapient. 9. 2. Hominem (inquit) fecit DEVS sapientia sua vt dominetur creaturis quæ ab ipso sunt factæ*, Atque hinc dictum est, *DEVM fecisse hominem ad imaginem suam, Genes. 5. 1.* Vnde certum est, quod ipsa sapientia (cuius actus est voluntatis diuini effectus) sit fons & origo, non aliter voluntatis humanæ quam diuinæ.

At tenebræ & corruptio corporis humani ob Adami peccatum, astutia & malitia Diaboli ei inductum, sunt erroris in vita occasio, atque prauorum voluntatis tam diuinæ in homine effectuum causa: nam Deus homini in prima eius creatione dedit spiritum sanctum, vt ipsum regeret & conduceret in semitis suis, & à corruptione defenderet, vnde dictus est *Homo templum spiritus sancti*, Hoc autem confirmamus ex hisce dictis sapientis, *DEVS creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ facit illum, inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sap. 2. 23.* Et alibi, *Nolite Zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam DEVS mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit orbis terrarum nationes, Sap. 1. 16.* Quibus indicat, quod donum illud ab ipso homine datum esset sanitatis prudentiæ & fælicitatis actus, & quod illud vitio hominis, malitia diaboli procreato, obũbratur, atq; ita errat homo in vita sua, nisi tenebræ illæ ab influxu sapientiæ diuinæ, è cœlis altissimis emissæ, illuminentur, hoc est, radius radiis augeatur, omnis obscuritas corporea & diabolica tollatur, & ita natura naturâ lætabitur. Atq; ob hanc causam est differentia inter voluntatem humanam atq; illam diuinam, nõ scilicet quod ambæ essentia conueniant, sed quoniam hæc nunquam versatur circa vanos effectus, illa vero licet semper sit in se bona, atq; certissimæ scientiæ, nonnunquam tamen caro putrida & vilis conuertit bonas ipsius operationes in malos & vitiosos effectus, quemadmodum iucundi solis radii in ardore adurentem violenta speculi vstorii reflexione conuertuntur: non quod malas ab illo actu diuino impressiones speculum illud vel caro acceperit, sed quod ipsa male recipiendo eius bonos actus, peccare soleat conuertendo per reflexionem rebellem directum radiorum motum in obliquum ab ipsa veritate, atque ita hominem peruersa & obliqua hæc voluntas errare facit peruersa carnis suæ receptio.

Hinc dicitur quod septies in die erret hominum iustissimus, non (inquam) quod spiritus bonus sit causa mali, sed quod malum obiectum bonos radiorum ipsius actus peruerse recipiendo, peruersos producat sæpissime effectus, more hominis in loco tenebroso vagantis, qui intendit viam suæ libertatis & visionē lucis, at vero tenebris male ductus in foueā inopinate cadit. Nā radiis diuinitatis (mediante qua omnia subsistunt, & ob eius copiā homo præ cæteris creaturis omnib. dicitur dominari) in se non patitur tenebrarum insultus, vnde dictum est *tenebræ non sunt tenebræ tibi, sed tam clara tibi est nox, quam est dies*, Sed tenebræ creaturam animalem falsa sensuum visione obrutam deludunt, & ad mala loco boni illam rapiunt atque tunc dicta est à Mercurio Trismegisto mens illa diuina in homine quiescere, & minime more intellectuali illum gubernare, sed vitæ solummodo functiones ei præbere solet: Sic dictum est, quod *Pater vester cœlestis faciat solem suum oriri super bonos & malos, Matth.5.* inde arguens quod vim & virtutem vitæ tam bonis quam malis concesserit omnium pater, sed intellectum & prudentiam non nisi puris in spiritu, & à tenebrosis actionibus alienis.

Requiritur igitur ad reducendā scintillæ istiusmodi diuinæ virtutem in suum actum intellectualem in corpore humano, vt radiis sapientiæ diuinitus emissæ illustretur, quo dominium habeat in diabolicas corporis tenebras, vt hac via voluntas hominis sensualis & brutalis in talem dispositionem reducatur, vere scilicet intellectualem, (cuius est illa centralis scintilla in essentia sua) *vt in via, recta ambulet & statuta DEI obseruet, quæ iusta sunt in oculis eius discernat; Sap.9.* Vnde sic dicit Iob. *Visitatio tua conseruabit spiritum meum, Iob.10.12.* Et alibi, *Lucem faciei tuæ attolle super nos, & efficiet vt videamus bonum, Psal.7.4.* Atque etiam in alio loco verbis expressis propheta regius videtur hoc idem confirmare dicens *Si tu illustras lucernam meā Iehoua Deus meus, splendentes efficies tenebras meas,* Et alibi. *In lumine tuo videbimus lumen. Psal.36.10.* Et alibi, *Luce faciei Iehouæ saluabimur: Psal.80.4.* Quibus luculenter arguere videtur, quod lux interna hominis seu scintilla veritatis ad hominis esse à Deo concessa jam ob eius peccata tenebris obfuscata, applicatione radii vniuersalis sapientiæ increatæ illustratur, atque à suo simili exaltatur, super tenebrarum potestatem, vt etiam corpus olim tenebrosum & caligine vndiq; obductum iam ita lucescat, vt etiam quandoque coruscatione stellari illustretur, vti de Socrate legitur, videlicet quod hic transfiguratus


Solis luciferum vicisset acumine lumen.

Traditur etiam ipsum Zoroastrum sic fuisse transfiguratum, vt corpore sursum fuerit sublatus. At si hisce fidem minime ascribitis, in sacro Biblio legimus, quod Moysis facies adeo splenduerit (semel sermone Iehouæ illustrata) vt filii Israel ipsum intueri nequiuerint; sic etiam Elias igneo quodam curru cœlos ascendit, Et Paulum in tertium cœlum raptum legimus. &c. De huiusmodi illuminatione Zoroaster loquens hæc effatur verba, Ascendendum est tibi ad lumen ipsum & ad patris radios, vnde tibi missa est anima, plurima indutamente. Et Mercurius Trismegistus ait, Ascendere te oportebit supra cælos, chorisq; dæmonum longe abesse. Et Pythagoras ait, si tu relinquédo corpus, in ætherem liberum transieris, eris immortalis Deus, inde declarando, quod si mediante illa diuinitatis scintilla quæ in nobis est viam ad locum patris recte quæramus, erimus participes radiorum suorum, quibus participes erimus numinis diuini, & à forma hac tenebrosa transfigurabimur in speciem diuinam. Quod etiam & sacræ litteræ confirmare videntur in hunc modum. *Qui adhæret DEO vnus spiritus fiet cum eo:* Et alibi dictum est: *Tandem transformabimur in eandem imaginem:* Et quidem omnes in mundo scintillæ istæ coniungentur in vnam diuinitatis & veritatis essentiam, relictis vanitatis & falsitatis Diabolicæ sordibus, cum Christus veniet ad iudicium, *DEVS* (inquit Apostolus) *erit omnia in omnibus, cum Christus patri regnum tradiderit. 1. Cor. 15.*

Et quamuis reuera scintilla in homine diuina non est magis à suo fonte lucido diuisa atq; separata, quam solis radii ab eius essentia, vt testatur Mercurius Trismegistus; (nam essentia diuina est indiuisibilis) tamen quatenus inest creaturæ quam creauit & per generationes præseruat, videtur à luce diuina distingui, quatenus est creaturæ quasi pars regia, si nomen Dei dictum est fuisse in Angelo, & tamen tota angeli compositio fuit creatura, vnde & eius potentia motiua qua homo appetere dicitur bona & renuere mala, ab illa sapientiæ diuinæ dicitur varia & differens, nam in voluntate Diuina quam verbum in actū producit est æternitas & infallibilitas, certitudo & exacta sine vlla resistentia in executione perfectio, nam legitur, *quod voluntati diuinæ nulla poßit circumspectio hominum resistere, Gen.27.* Et alibi: *Voluntati Dei num possumus resistere? Gen.50.* Hinc à Christo docemur, *Fiat voluntas tua sicut in cœlis sic etiam in terris:* Quod autē hæc voluntas sit in æternū alibi à sapiente indicatur. *Voluntas Domini* (inquit) *in æternum permanebit.* Deniq; quod in actum à verbo producetur tam in macro: quā microcosmo, In vno loco dicitur. *Quicquid vult facit in cœlis & in terris,* & verbū dixit carne vestitū, *Voluntatem eius vt faciam qui misit me de cœlo descendi, non vt faciam voluntatem meam, Ioh.6.* In quo sermone distinguit voluntatem humanā ab illa diuina, & consequenter, agnoscit tam voluntatem Dei, quam hominis esse apud ipsum: Porro voluntatem hominis esse variam, & ab illa Dei, nisi sit vnita cū illa Dei, diuisam, in eo declaratur, quod sit inconstans, incerta in suis effectibus, ad malū propter malā conceptionē inclinans, quoniā sensus falluntur vt plurimum circa propria obiecta, & caro ad voluptates tenebrosis atq; præstigiosis apparitionib. prona, ipsam distrahit, vnde scriptū est, *Volūtatem fecimus in desideriis*

carnis nostræ, Ephes. 2. Et ipse Christus in angustiis carnis suæ superatis orando prius, vt DEVS auerteret illud poculum, *Veruntamen* (inquit) *voluntas non mea sed tua fiat, Luc.* 22. iuxta illud Iohan. 5. *Voluntatem meam non quæro sed voluntatem eius qui misit me.* At si sit vnita cum illa diuina, tunc voluntatem eandem perficere solet, & de huiusmodi loquitur Iohannes, *Voluntatem DEI qui facit in æternum manet, 1. Ioh.* 2. hoc est, vnus factus est cum DEO, quod quidem, vt in Propheta regio fieret, sic loquitur ipse DEVM orando. *Voluntatem tuam doce me facere, quia DEVS meus es, Psal.* 143.10. Ac si dixisset, *luceat facies tua super seruum tuum, & in lumine tuo videbo lumen,* vel vt ipse alibi habet, *Tu Sol vitam & gloriam dans, & illustrans lucernam meam, splendentes efficies tenebras meas, vt viam rectam ad voluntatem tuam exequendam ingrediar, Psal.* 18.29. & 84.12. Ex his ergo videre licet, quod lucerna hominis non differat essentia à sole spirituali, qui dat gratiam & gloriam atque saluationem, nisi in eo, quod illa inest corpori creato, tanquam radius peculiaris illius, ipsi esse & existentiam præbens, & est loco creaturæ; hic vero in se & per se existit vitam spiritui mundano & esse attribuens, & tam extra omnia existens, vnde dicitur *omnia implere, Pater omnium, qui super omnes & per omnia, DEVS viuificans omnia, operator omnium in omnibus, Ephes.* 4.6. *Timoth.* 6. centrum cuiusque rei cuius circumferentia est nullibi, vnitas vnitatum, pater patrum, principium principiorum, fons fontium, radix radicum, syderum sydus Synes. Hymn. Bonorum bonum, idearum idea, immensa pulchritudo, abstrusum rerum semen, pater seculorum, pater intelligibilium mundorum, Ambrosius instillans spiritus, corporis moli adnatans, qui secundum jam mundum excitat, Iupiter seu *Iehoua* à quo dependent omnes Dii inferiores, vt Orpheus & Pythagoræi volunt: Denique est omne quod reuera est, in quo sermone excludimus ab eo omnia inania, præstigiosa atque phantastica, tanquam filios tenebrarum, qui videntur & tamen non sunt, vti in vltimo examine, quando omnia ad vnam sunt reducenda, apparebit.

Concludimus igitur, quod Deus agat voluntarie & non necessitate excitatus, vt Peripatetici volunt, & quod nihil sit factum vel in cœlis vel in terris, quod à voluntate diuina originis suæ motum non acceperit, at si scintilla in creatura non producit optatos effectus, & DEO hominique bono arridentes, hoc non fit à spiritu incorruptibili centraliter agente, sed à præstigiosa tenebrarum mole omni alterationi obnoxia, quæ male recipit actus mentis tam diuinæ, atque ita obscurat luminis tantæ radios, & lucem istam in tenebris habitantem non comprehendunt tenebræ in creatura, iuxta illud D. Iohannis, in verbo erat vita, & illa lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ non comprehenderunt illud. Hanc lucem seu spiritum sapientiæ Solis naturæ quam aptissime accomparare possumus, qui in se est simplex, in suo actu semper vniformis & tamen multiplex est respectu varietatis operationum, quam radii eius producere solent in mundo, quod nõ fit propter solis actionem variam, sed quia varie recipiuntur eius impressiones secundum varietatem corporum, varie secundum existentiam eorum, vel maiori vel minori resistentia, actus solares recipientium: nam teste sapiente DEVS omnia numero, pondere, & mensura componens, rem vnam ab alia proportione differentem effecit, vt varias creaturas, tam corporeas quam spirituales, ita vnico & simplici suo actu produceret in hoc mundo. Sic videmus quod iis radiis solaribus varii producantur in mundo effectus, secundum morem recipientium, nam ipse in vno loco gramina & herbas germinare & efflorescere facit, alio vero tempore eas adurit & desiccat, quandoque fouet & reficit animalia benefico suo calore, & nonnunquam languidos & ægrotos efficit suo aspectu, imo vero homines sanos à radiorum eius adurentium persecutione festinare cogit ad loca vmbrosa, iterum radii in centrum speculi vrentis contracti adurunt & incendio consumunt vrbes & palatia regalia ad nihilum redigunt, at vero in aqua pariter agere non obseruatur, saxa & scopulos inflammat calore, & quandoq; eos non nisi leuiter calefacit, interdum igitur generationis properant effectus, & nonnunquam ad corruptionem tendunt, & tamen ipse sol simul cum suis radiis idem est, permanenter & simplex in suo actu, tota differentia est in diuersitate obiecti, vel bene vel male actus solares recipientis. Non aliter res sese habet in radiis solis invisibilis & intellectualis, qui dat vitam & esse soli huic mundano. Atque ita habetis conceptiones meas de voluntate diuina cum suis ramis, secundum quam omnia fiunt in hoc mundo in quo ipsa varios producit effectus, pro varietate recipientium radios diuinos, numero pondere & mensura variantes in hoc mundo, voluntatis autem humanæ actum obscuratum, atque etiam illustratum, hoc in loco pro captu meo ob meliorem legentium intellectum hoc in loco depinximus.



Cap. IX.

Quod contra Aristotelis & quorundam aliorum Ethnicorum opinionem, Deus in sua creatione & creaturarum continuatione non ex necessitate, sed propria sua voluntate operetur & agat.

ILlud necessarium appellamus, quod quidem aliter se habere nequit, at vero contingens tam voluntarium quam fortuitum id vocamus, quod aliter se habere potest: Maxima autem orta est inter philosophos Ethnicos disputatio, an Deus mundum, eiusque in mundo creaturas vel hoc, voluntarie nempe, vel illo modo, necessario scilicet, creauerit, & maior horum pars in hunc inciderunt sententiam, videlicet, quod Deus in mundo tam ad eius creationem quam ad rerum in eo generatarum corruptionem agat necessario & non voluntarie, ac si coactione & incitatione cuiusdam naturæ ei vel coæternæ vel præexistentis, vel saltem ab ipso jam creatæ, ad talia opera citra suum velle agitaretur, quod quam sit profanum & contra rationis metam, ex sequentibus patebit. Nam quid Deo antiquius, vtpote qui ante omnia? quid puncto mensura minus aut vnitate numero minutius? quare necesse est, quod Deus liber sit & voluntarius in suis actionibus, quatenus ille qui per se & sine respectu ad alia existere, & sibi ipsi erat, ante vllam creationem suffi-

ciens. At vero rationes dictorum philosophorum præcipuæ erant hæ duæ: Prior; quoniam Deus agit per propriam suam essentiam, & non per virtutem acquisitam. Deinde, quia effectus in mundo videntur esse necessarii, vnde concludunt, quod non possint à causa contingente, hoc est, vel fortuito vel voluntario prouenire; quarum priori respondemus, quod arguere videntur contra se, nam quatenus agit in propria sua substantia, patet quod in propria & libera sua natura ad operandum incitetur, & non necessitate aliqua vel externa vel interna compellente: Deinde in vnitate non est involuntaria aliqua compulsio vel incitatio, quoniam vnum non patitur. Porro impossibile est, quod à causa aliqua aliena compellatur aut vrgeatur ad tale opus, quoniam in se & à se primario manensque immobilis, tanquam fons primarius agit, secundæ dicimus, quod effectus necessarii non includunt necessitatem in prima causa, tanquam principe, eo quod causæ secundariæ (quas Plato & alii sapientes vocant ancillas & quasi seruas) agant aut per imperatum atque mandatũ illius, aut per ordinem necessarium, ita vt necessitas dependeat à suo mandato & ordine, quem pro placito suo absoluit. Hinc apud sapientem legimus *ignem mitescit ne combureret DEVS*, modo *ille ignem facit ardere inter aquam*, imo vero in niue & glacie, ipsis vero minime liquescentibus, qui tamen ignis è contrario vt alerentur iusti, etiam propriæ facultatis est oblitus. Sap.16. Hinc igitur factum est, quod ignis non combusserit seruos Dei in fornace ardente Chaldæorum, & quod Sol tempore Iosuæ, à cursu suo per spatium vnius diei abstinuerit, & firma statione quieuerit, & quod idem etiam tempore Ezekiæ retrogressus sit per decem gradus seu lineas in horologio, & quod sine euidenti in natura ratione, luna nempe in capite aut cauda draconis minime existente, eclipsis nihilominus, (imo & quod vltra communes naturæ leges accidebat) in ipso plenilunio, durante passione domini nostri Iesu Christi acciderit, quæ quidem omnia minime fieri potuissent, si Deus necessario in mundo ageret, nam ex his luce est clarius ipsum pro proprio suo beneplacito & libera voluntate non secundum naturæ leges operari in rebus creatis, quas voluntario & in mera misericordia sua creauit, fecit, iugiterque conseruat.

Sed accedatis oro vos Philosophi, qui DEVM omnium ordinatorem & actorem necessitatis legibus constringere vultis, qualem obsecro honorem aut gloriam attribuimus Deo pro imperio, sapientia, iustitia & clementia, si modo à necessitate esset coactus res omnes non modo creare, sed etiam fouere easdem atque sustinere? quales gratias, qualia seruitia & adorationes ipsi debemus nos si hæc ita se habent? Cur, ô Aristoteles, iuxta tuam assertionem, naturæ radicibus datur sacrificia præbere? aut quid vtilitatis nobis hominibus afferent preces & orationes? quas etiam Plato, Porphyrius, Iamblichus & Proclus nobis docent esse perquam necessarias, si Deus non esset precibus propitiatus? aut quare solebant Pythagoras & Socrates (qui teste oraculo essent omnium illius temporis sapientissimi) preces suas effundere, si Deus coactus esset ea quæ facit operari, cur dicit Propheta, *quod Deus solus sit inclamandus & deprecandus*, Psal.30.8. Si aliqua inesset necessitas ad res agendas & conseruandas in Deo, Imo vero ex his luculenter erat demonstratum, quod Deus mediantibus illis inclinare soleat ad misericordiam, & quod in beneplacito suo vel seueriter vel clementer cum mundo & creaturis eiusdem, & præcipue cum hominibus agere, & consequenter, quod non necessitate vrgeatur in suis actionibus.

At sunt alii quidam Philosophi, qui in istiusmodi dubii resolutione modestius se gerunt. Nam Auicenna vult, quod istiusmodi actiones sint nec necessariæ nec violẽtæ, & in mediocritate inter hæc duo, vnde facit esse in voluntate agentis: in qua quidem resolutione non videtur multum à sacro fonte dissentire, in quo legimus, *Deus castigauit nos propter iniquitates nostras, ipse saluabit nos propter misericordiam suam*: Tob.13. Vbi intimat vir electus, quod voluntas insit Deo, vel ad bene vel ad malefaciendum, sed & hoc clarius, verbisque expressioribus alibi sic indicatur: *Deus* (inquit Propheta) *iuxta voluntatem suam facit tam in cœli virtutibus quam in habitationibus terræ, & non est qui resistat manui eius & dicat, quare fecisti?* Daniel.4. Et Deus ipse dicit *consilium meum stabit, omnis voluntas mea fiet, vocans ab oriente auem, de terra longinqua virum voluntatis meæ.* Quibus sat liquido constat, quod omnis operatio in mundo sit voluntate diuina, & pro suo beneplacito, & non necessario, vt Ethnici Philosophi voluerunt, hincinde prærogatiuam diuinam diminuentes, atque ad necessitatem constringentes. Sed necessitas procul dubio est in causis & effectibus, aut ipsorum operationibus, verbi gratia habemus in Propheta Baruch, quod Deo obediant per omnia. Sol, Luna, sydera, fulgur, ventus, nubes, ignis, hoc est, coacti sunt efficere voluntatem imperatoris seu creatoris, sunt inquam necessitate coacti, at non inde sequitur, quod Imperans necessitate vrgeatur, ad imperandum, sed voluntario motu id faciat, Hinc dictum est, *Voluntati Dei quis resistet?* Rom.9.

Concludimus ergo, quod non modo absurdum, verum etiam impium sit, ore duro cum illis Ethnicis ebuccinare, quod ille, qui erat omnia, & in omnibus, ac denique omne quod est, voluntario ac libere agere non possit, quando, quomodo, aut vbi ipsi placuerit, cum videamus, hoc idem priuilegium animæ humanæ (quæ est fluxus de eadem diuinitate progrediens) esse concessum, vti in electione boni vel mali, tam à nobis quam ab atauo nostro Adamo clarissime indicatum est.

CAP.

Cap. X.

De numerorum & nominum Diuinorum proprietate apud Cabalistas, & quomodo voluntatis diuinæ varius sit secundum eorum naturas effectus, tam ad beneuolentiam quam ad maledictionem tendens.

IN speculo nostro causarum, fini istius partis annexo, demonstratum habetis, quomodo cuilibet numerationi Cabalisticæ præsideat nomen DEI diuersum, non quod in DEI essentia sit diuersitas vlla, sed quoniam variæ sunt eius in mundo proprietates, secundum beneplacitum & voluntatem suam, vbi ei bonum videbitur, quarum aliæ ad misericordiam & beneuolentiam tendunt, aliæ vero ad seueritatem & maleficentiam. Pro ampliori huius rei cognitione sciendum est, quod vt multa attribuuntur Deo nomina, (iuxta Rabbi Moysis Ægyptiaci sententiam) ita omnia, præter vnicum solum videlicet Tetragrammaton quod dicitur nomen separatum, vtpote ei soli appropriatum, quia significat substantiam creatoris significatione pura sine vlla cum creaturis participatione, alia inquam nomina quæ ipsi assignata sunt, ipsum denotant cum participatione, hoc est respectu habito ad res creatas, & consequenter ab operibus eius deriuantur. Hinc ergo erat, quod nomen eius essentiale non erat prolatum, præterquam in sanctuario à sacerdotibus domini sanctis, idque in benedictione sacerdotali à sacerdote summo in die ieiunii. Huius nominis gradus (ait Rabbi Moyses) est grandis, & temere ab ore non erat proferendum, quippe quod significabat substantiam creatoris, atque per hæc notatur Deus esse super omne esse, & antequam vlla res esset. At alia nomina denotant Deum, vti est in omni esse.

Verbi gratia inquit DEVS Moysi quærenti: respondit I.H.V.H. hoc est, nomen meum in æternum, quare hoc nomen solum est æternitati nomen, hoc est, essentiæ Diuinæ in puritate sua, nullum enim tale nomen voce humana componi potest, quod diuinitatis naturam æquare possit, quamuis varia DEI cognomina ab operibus tamen hoc est illud solum nomen ei appropriatum, antequam vlla esset res creata. At quatenus diuina essentia etiam tam inest in rebus creatis quam extra omnia, eatenus etiam Tetragrammaton est commune & generale, agens in quolibet arboris sephiroticæ ramo, ita vt cætera DEI cognomina varia sint solummodo proprietates, seu officia, vel virtutis variæ actus istius vnicæ & indiuiduæ essentiæ.

Sic quidem inter cognomina Dei varia arbori sephiroticæ inscripta *Ehieh*, importat omnium creaturarum fontem, primum totius clementiæ, omnium gratiarum, omnibus parcens, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quem Christus nos docet precari sic, *Pater noster qui es in cœlis, &c.* Et de eo dicitur, quod pater non iudicet quenquam, porro appropriatur patri vtpote qui semper clemens & beneuolus est filiis, quomodo autem misereatur Deus filiorum docet Psal. 103. Hoc ergo nomen assignatur veluti præses sephirotæ seu numerationi, seu portæ lucidæ, seu ramo primo arboris Cabalisticæ, qui dicitur *Cheter seu corona*. Nam vt *Cheter* est quasi radix arboris, ita quidem *Ehieh* est pater omnis creationis, vnde liquet, quod huiusce Dei cognominis ratio desumatur à proprietate eius, in clementia & misericordia, quæ in creaturis versatur, videlicet in dando & concedendo vitam, & dando essendi seu existendi munus mundo & creaturis in eo contentis.

Cognomen DEI secundum in ordine sephirotico est *Iah*: quod ad proprietatem etiam DEI benignam mundi informationem scilicet & aquarum è Chaos ventre extractionem tendit, atque numeratio cui præest est *Hochma*, id est sapientia, vnde de ea scriptum est. *Qui fecit ventis pondus & aquas appendit in mensura, quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus, tunc vidit sapientiam &c.* Iob. 28. Ac alibi, *Quando formabat cœlos desuper, quando roborabat fontes abyssi, quando ponebat mari statutum, cum statueret fundamenta terræ, ego sapientia eram apud illum velut alumnus, cuncta componens* Prouerb. 8. A benigna etiam huius dispositione dicitur esse mitis, benignus, amans bonum: & alibi, *quod à Deo hominibus datur, vt iis ostendat quænam sit eius voluntas.* Attamen nihilominus, vt certum est, quod *Hochma* sit in medietate inter *Cheter* & *Binah*, quarum hic denotat seueritatem, ille vero clementiam, ita cognomen Dei *Iah* seu sapientia, quandoque punit, quamuis rarissime, vnde dixit *Iehoua* de Angelo seu sapientia loquendo, *ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo,* Exod. 23.

Tertia sephirota seu numeratio Cabalistica est *Binah*, hoc est, *prudentia*, atque cognomen tetragrammati huic attributum est *Elohim* id est terror & pauor, vtpote per quem veniunt seueræ puniones & strages, nam in hac eius proprietate DEVS exercet potentiam suam puniendo flagitiosos, Atque in huiusmodi officio vtitur ille angelis, qui ob hanc rationem appellantur *Bene Elohim*, id est, filii Elohim voluntque Doctores Cabalæ, quod mundi plaga, à qua emittuntur istiusmodi dæmo-

nes,

nes, ſit Aquilo, quippe à qua omne malum ſeu pœnæ ex peccato. Huius autem in creatione proprietas eſt illuminare & formam materiæ dare, in qua actione neceſſe eſt, vt intercedat priuatio, formę ſi quæ eſſet antecedens.

Horum autem trium Dei cognominum à proprietate erga creaturas deſumptarum effectus videtis eſſe varios, videlicet prioris ad clementiam & miſericordiam, vltimi ad ſeueritatem eſſe inclinationem integram, medii vero vtriusque naturæ participem ſed tamen ad clementiam maxime procliuem. Atque huic medio aſſignatur nomen eſſentiale *Iehouæ*, quoniam illud etiam exercetur in hoc mundo, tam in punitione quam in beneficentia, ſed multo eſt pronior ad miſericordiam quam ad punitionem, vnde ſcriptum eſt, *DEVS Iehoua eſt longanimis, multus benignitate, condonans iniquitatem & defectionem, qui prorſus non ſoluit ſontem, viſitans iniquitatem patrum in filios, &c. Num.* 14.

Sed pergamus ad quartam numerationem quæ eſt *Cheſed ſeu clementia*, quippe cui attribuitur gratia, bonitas & miſericordia, eius præſes eſt cognomen Dei *El*, cuius eſt omnia fouere & omnibus ſuccurrere ſumma pietate & clementia, ſub qua proprietate dicuntur corpora ſuas effigies accepiſſe: Ab hac ergo numeratione impluuntur in inferiora per ſuum canalem ſeu portam lucidam gratia & miſericordia.

Sed obiter obiiciendum putamus à nonnullis, quid nobis ſcientia hæc Cabaliſtica, aut quomodo probandum ſit, hoc vel illud Tetrogrammati nomen habere hanc vel illam proprietatem, ſeu ad clementiam vel ſeueritatem inclinationem? cui reſpondemus, quod ab effectu probetur in textu Hebraico. Hinc proprietas nominis *El* à Moyſe aperte explicatur in eo, quod per hoc traditur, ipſum à Deo Mariæ ſororis ſuæ ex lepra laborantis ſanitatis donum exoraſſe in hunc modum, El na rapha na la. El id eſt DEVS gratiæ, rapha id eſt ſana, na id eſt quæſo, la id eſt illam.

Quintæ numerationi (quæ eſt *Gebura*) præeſt cognomen Dei *Elohim Gibbor*, in qua proprietate dictus eſt Deus elementa ex turbido Chao depromſiſſe: atq; hæc denotat poteſtatem, violentiam, ſeueritatem, iudicium & punitionem peccatorum. Hæc Dei proprietas influit in inferiora videlicet in mundum, peſtis, famis, belli, rapinæ atque deſolationis effectus, vnde liquet, quod vt natura Tetrogrammati *El:* promitteret mundi creaturis omne bonum, ita *Elohim Gibbor* omne malum denuntiare videtur, & turbidum euentum, qualis erat in elementorum è chaos extractione.

Sexta numeratio eſt *Tiphereth*, quæ denotat gratiam & ornamentum, pulchritudinem atque delitias, nomen autem DEI huic aſſiſtens eſt *Eloah*, vnde fit, quod omnes illi influxus, qui effunduntur ab hoc Canali, ſeu hac via, ſeu proprietate diuina informant ſolem, ipſi reddentes claritatem vitam & lucem ornantque cœlos iuxta illud Iob, *Spiritu ſuo cœlos ornauit, Iob.* 26.13. Atque illud, *Verbo Domini firmati ſunt cœli, & ſpiritu ab ore eius omnis exercitus eorum, Pſalm.* 33. à quorum tum poſtea influentiis procedunt mineralia, quorum princeps eſt aurum; vegetabilia, inter quæ Panis & vinum ſunt principes; atque animalia, quorum caput in dignitate eſt homo, poſt ſolis in cœlo poſitionem.

Septima Sephirota vocatur *Nezeth*, videlicet Triumphus, victoria. Porro & charitatem, iuſtitiæque amorem indicat, atque hinc etiam ſequuntur, multiplicationis & generationis influxus, Nomen huic præſidens eſt *Iehoua Sabaoth*, Dominus exercituum.

Octaua vocatur *Hod* videlicet laus honor & formoſitas. Nomen à proprietate eſt *Elohim Sabaoth*, hoc eſt, DEVS exercituum, non tamen pro rigore & bello, ſed pro pietate iuſtitia & concordia.

Nonæ numerationi præſidet nomen DEI *Elchai*, id eſt DEVS viuens, aut *Sadai*, DEVS omnipotens, ſeu ſibi ſolummodo ſufficiens, atque iſta numeratio dicitur *Ieſod* id eſt Baſis, fundamentum, redemptio, & quies.

Decima & vltima ſephirota nuncupatur *Malchut*, hoc eſt regnum, eccleſia, imperium & templum DEI; hinc dicit Pſalmiſta, *quoniam Domini eſt regnum, Pſal.*22. Nomen DEI huic præſidens eſt *Adonai* Dominus, & hæc numeratio importat ſeueritatem, ſeruitutem iis quibus influit.

Ex quibus videre licet, quod in omnibus eſſentiæ diuinæ proprietatibus ſeu operationibus in mundo, ſiue ſit ad pœnam, & flagellum, ſiue ad beneficentiam, DEVS ſit magis ad clementiam & miſericordiam pronus quam ad ſeueritatem: nam in primi cognominis ſui proprietate extendit charitatem ſuam è tenebris in mundum, ſicut pater filio, vnde & mundum DEI filium vocat Mercurius Triſmegiſtus.

In illa ſecundi per ſapientiam ſuam ad res creandas eſt procliuior, quam vt genus humanum creatum pro peccatis plaga afficiat, quemadmodum ex verbis DEI ad Iſraelitas explicatur dicentis. *Ecce mitto angelum meum ante te ad ſeruandum te in locum illum quem præparaui, caue tibi à facie eius, &c. Exod.* 23. At hunc angelum oſtendi alibi fuiſſe ſapientiam, quæ miſſa eſt Iſraelitis pro conſeruatione eorum, ea tamen præcautione, ne malum committerent, *quia inquit ille non feret defectionem veſtram.* Vnde patet, quod magis inclinetur Deus in hac ſua proprietate ad benefactionem quam ad flagellum. In tertii cognominis proprietate ſeueritas & punitio includitur, nam cognomen *Elohim* eſt in ſua natura terribile, vnde fit, quod vt primæ ſephiroticæ cognomen, *Ehieh* ſcilicet, patri relatum, attribuitur cœlo Empyræo, loco beatorum & quietis: & ſecundæ videlicet *Iah* ſeu *Iehouah*

filio

filio ascriptum cœlo æthereo seu stellato, à quo Fatum suam sibi vendicat originem, tam bona quam mala in inferiora impluens, ita quidem cognomen *Elohim* Sephirotæ seu numerationi tertiæ præsidens, atque spiritui sancto relatum, cœlum infimum seu elementare respicit, in quo est omnis mutatio generatio & corruptio inter terrestria, ventorum, tonitruorum & cæterorum meteororum violentia in medio aere, sed & hoc lucide demonstratur ab iis qui personas Deitatis sacrosanctas, creantes cum creaturæ proprietatibus comparant: Patrem videlicet corpori solari, quasi essentiæ & quidditati comparantes, filium siue verbum radiis ab essentia illa emissis, atque spiritum sanctum ab vtroque exilientem calori seu effectui, sic etiam vita seu fons cœliætherei (in cuius centro posuit ille tabernaculum suum) erat cœlum Empyreum, quasi filii, esse suum à patre accipientis, & iterum anima & vita cœli Elementaris, est cœli ætherei virtus, ita vt luce clarius videatis, cælum Elementare Vitam & Esse suum mediate accepisse à cœlo Empyreo, quasi patre primo in rebus creatis; nam prima creatura erat lux, atque immediate à cœlo stellari quasi filio, non aliter quam in mundo ideali atque Archetypico videmus, spiritum sanctum in numero personali à patre & filio progressum suum habuisse.

Vnde certum est harum personarum sacrosanctarum effectus in mundo typico esse tales à nobis relatos, & consequenter per effectum comprobatur, quod inprimis cœlum intellectuale angelicum atque empyreum sit suaue, mite atque beneuolens domicilium beatis assignatum, vtpote qui iuxta proprietatem patris est Zenobium sacrum seu sanctum sanctorum, Angelis DEI atque animabus sanctis appropriatum, in quo sub vmbra alarum Iehouæ in securitate ab omni seuera Dei proprietate agunt in hoc mundo. At *Cheter* secunda proprietas, quasi sephirotæ secundæ effectus, fatum in mundum imponit, quod tam bonum quam malum creaturis sublunaribus importat, hinc inde denotans essentiæ diuinæ naturam, tam ad punitionem quam ad clementiam esse inclinatam, vnde vt in sephirotis inter *Cheter* & *Binah*, seu *Ehieh* & *Elohim* ponitur *Hochma*, ita quidem eius effectus cernuntur inter cœlum Empyræum, locum scilicet quietis, gratiæ, & fælicitatis, atque illum inferioris abyssi, cælum videlicet elementare, vbi nulla fere quies, & multa vexatio, tam in cælis, hoc est aere, quam in terris, vtpote in quo regnat spiritus ille rebellis, qui à sacris scripturis vocatur princeps huius mundi, cui aeris imperium appropriatur. Hinc ergo patet, quod quamuis dicatur, quod spiritu ab ore Iehouæ omnes mundi & cælorum virtus creentur, tamen intelligere debemus, per hoc tam bonum quam malum secundum merita creaturæ ab eodem spiritu ei aspiratum. *Vitæ* (inquit sapiens) *& mortis habet dominus potestatem, qui deducit ad portas mortis & reducit*, *Sap.* 16.13. Et alibi, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*, *Eccles.* 11. Et alibi, *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere quem ille despexerit, in die bona fruere bonis, & malum diem præcaue, sicut enim hanc ita illam fecit Deus, vt non inueniat contra eum homo iustas querimonias*, *Eccles.* 7.14. Quibus innuere videtur, quod variæ, imo vero natura oppositæ sint Dei in hoc mundo actiones, Pater *Ehieh* est author bonitatis, quam exequitur filius *Iah* in sapientia, impluendo eam à sua porta luminosa *Hohma*: Spiritus *Elohim* ab vtroque, impiis terribilis, etiam à *Iah* tanquam vtroque extremo participante assistitur in suo officio. Atque hinc dicitur *spiritus potentiæ Dei vendicans, & iustitia persequens iniustos*, *Sap.* 11.12.

Sed pergamus, *El* est cognomen portæ lucidæ seu sephirotæ *Chesed*, clementiam & misericordiam in inferiora infundens: At *Elohim Gibbor* in illa *Geburah* seueritatem denotat & punitionem; in sexto autem ordine *Eloah* seu *Iehouah* formositatem & gratiam per portam *Tiphereth* impluit. At vero quatenus in medio est inter *Ehieh* & *Adonai*, ita de vtroque extremo participare dicitur, vtpote quæ proprietas quandoque punit, sic etiam *Iehouah Sabaoth* portæ *NetZeth* præsidens, victoriam & triumphum arguit, sed non in seueritate, sed in eius excellentia, in amore iustitiæ, & tamen iniustis opponitur; *Hod* etiam formositatem & laudem dat, cui *Elohim Sabaoth* prædominatur. Porro etiam *Sadai* per *Iesed* impluit redemptionem & quietem, vnde & boni sunt eius influxus, & benefici. Denique vt *Ehieh* gratiam & clementiam paternalem emitteret per suam portam regalem, *Cheter* seu coronam in radice arboris sephiroticæ ita quidem *Adonai* à summitate eiusdem per suam portam *Malchut* emittit seruitutem, & miserias, & punitionem in inferiora.

Vnde liquet quod in his numerationis Sephiroticæ ramis habeamus quatuor miserationis & clementiæ diuinæ testimonia, videlicet proprietates *Ehieh* primæ *El* quartæ, atque *Iehouæ Sabaoth* septimæ, & *Sadai* nonæ, habemus autem non nisi tres extremæ seueritatis, videlicet *Elohim* tertiæ, *Elohim Gibbor* quintæ, & *Adonai* vltimæ. Denique habemus tres de vtroque extremo participantes, videlicet *Iah* secundæ, quæ nihilominus ad clementiam tendit, *Eloah* sextæ, & *Elohim Sabaoth* octauæ; Nam planeta ad quem *Elohim Sabaoth* impluit suas qualitates, est Mercurius, quem experientia notauit esse bonum cum bonis, & malum cum malis, Vnde cũ *Elohim*, id est, timore atq; pauore, ac deniq; perturbatione, *Sabaoth* seu requies iungitur. At vero certum est, quod hæ proprietates de vtroque extremo participantes sint magis ad clementiam & misericordiam procliues: Vnde dicit Propheta, *Deus clemens & misericors, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia*, *Ionæ* 4. Atque iterum, *Tu dominus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ & verax*, *Psal.* 36.15. Et alibi. *Deus pius &*

misericors est, remittit in die tribulationis peccata, Ecclef.2. Porro Apostolus sic loquitur, *Benignitas, patientia, longanimitas, ad pœnitentiam te adducat, Rom.12.* Denique sapiens hanc DEI dispositionem ad vindictam inclinantem in se minime, luculenter exprimit in aureo huiusmodi sermone. *Quin etiam vno afflatu cadere potuerunt à iustitia persequente, & ventilari à spiritu potentiæ tuæ; verum omnia numero, mensura, pondere disposuisti. Nam quod multum potes hoc tibi semper adest; Misereris autem omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum vt resipiscant; Nam diligis omnia quæ sunt, & nihil abominaris eorum quæ fecisti, nec enim comparasti quicquam vt haberes odio: Ecquid autem mansurum fuisset nisi tu voluisses, aut conseruatum fuisset, quod non accersiuisses? Sed parcis omnibus in eo quod tua sunt, ô Domine animarum amans. Sap.11.* Quibus innuere videtur sapiens, quod Deus sit in se longanimis & clemens atque ad vindictam tardus, quamuis in eius manu sunt bonum & malum, vita & mors &c. Vti antea est declaratum.

De ordinibus angelorum variis qui istiusmodi influxus immediate recipiunt, & de angelis magnis quibus ipsi committuntur, atque ad sphæram planetariam cuiuslibet ipsorum dominio subiectam infunduntur; simul atque de influentia illa, à dictis Planetis ad inferiora mundi elementa atque elementata descendente, inferius membris secundo & tertio latius discurremus.

יהוה

Eheih. Iah. Elohim. El. Elohim gibor. Eloah. Iehoua Sabaoth. Elohim Sabaoth. Elchai uel Sadai. Adonai.

1. Corona. 2. Sapientia. 3. Prudentia. 4. Clementia. 5. Potestas. 6. Gratia. 7. Triumphus. 8. Honor. 9. Rectitudo

CAP.

Cap. XI.

Quomodo Sapientiæ Spiritus vbique in mundo expansus, eiusque humidam naturam informans atque fouens, creaturas in eo etiam omnes ex elementis compositas informet, creet atque ad vltimum vsque pereat, conseruet.

SPiritus sapientiæ diuinæ, mundum animans, informans, atque creans, suo afflatu omnia elementa discordantia concordi pace ligans & disponens, harmonico suo spiritu cœlum & terram solo suo velle firmans & sustentans, iuxta illud Prophetæ *Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia, prudentia sua extendit cœlos, Ierem.* 10. Hic (inquam) completis vniuersalibus particularia respexit, videlicet stellas, animalia, plantas atque etiam mineralia; quod quidem & succincte nobis indicauit Propheta hisce verbis, *DEVS creans cœlos, extendens eos, firmans terram & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, & spiritum calcantibus eam, Isa.* 42.5. Sed & hoc luculentius & particularius capite primo Geneseos explicatur, videlicet quod verbo FIAT inprimis generalia & tum postea particularia fuerint creata, Hinc dicit Euangelista; *A verbo omnia sunt facta, & sine illo nihil quod factum est, in eo erat vita & illa lux hominum, Iohann.* 1. Quibus euidens est, quod in qualibet creatura sit vestigium verbi, imo vero & actualis illius lucis diuinæ portio in qualibet creatura sita, mediante qua, & sine qua non, talis existit qualis est: Atque hoc est illud, quod sapiens expressis hisce verbis innuere videtur, *spiritus* (inquit) *incorruptibilis est in omni re, Sap.* 12. Et Apostolus habet, *ex eo in eo & per eum sunt res omnes, cui sit laus & honor.* Et alibi, *Creauit DEVS omnia per Iesum Christum, Ephes.* 3.9. Et alibi, *DEVS pater omnium, qui super omnes & per omnia & in omnibus nobis, Eph.* 4.6. Et alibi. *DEVS viuificat omnia*, 1. *Timoth.* 6. Et alibi: *Deus operatur omnia in omnibus*, 1. *Corin.* 12. & alibi *In DEO ipso viuimus mouemur & sumus, Actor.* 17.9. vti poetarum quidam dixit; Ex his ergo luce clarius est, quod radius diuinitatis sit in re qualibet, vtpote sine quo impossibile est existere, aut de potentia in actum reduci, & reuera nihil est, sed videtur esse quod non est, de illa virtute diuina, quæ est sola veritas, quæ centraliter inhabitat rem quamlibet, illud vero quod vulgariter & in externo habitu apparet, non est reuera, sed loco simulachri falsi adest creaturis, & absentia veritatis euanescet in fumum, & à tenebris, præstigiosa parente, absorbetur, & in nihilum, hoc est, deformitatem conuertitur. Huiusmodi ergo est inter DEI & Diaboli actus differentia, quod huius actus sit præstigiosus, & qui videtur at non est, opus quidem principis tenebrarum; illius vero est verus, infallibilis, & minime nisi electis videtur, & tamen reuera est: opus profecto principis atque fontis lucidi.

Liquet ergo ex his quæ dicta sunt, quod sine veritatis præsentia (quæ est solus DEVS) nulla sit creatio, sed omne est vacuum & inane, at vero radii eius infiniti tanquam angeli, res infinitas specie & natura varias, secundum voluntatem ordinantis & emittentis procreauerunt, videlicet stellas inter se, tam specie & pulchritudine, quam qualitate & proprietate discrepantes in cœlo stellato seu æthere, & animalia, & vegetabilia, atque mineralia inter terrestria, & meteora inter se discrepantia, tam in regno lucido quam illo tenebroso. Denique vt vniuersam sapientiam seu claritatis diuinæ emanationem diximus cum Platonicis esse formam, & quasi animam vniuersi spiritus mundani in genere, ita quidem, quilibet eius radius seu afflatus est forma viuifica cuiuslibet rei particularis in specie, & licet tam ista sapientia splendida in genere, & quilibet eiusdem radius in specie sit inuisibilis in sua natura atque occultus, tamen per effectus naturam hanc increatam colligimus: nam (teste sacra scriptura) *DEVM in operibus suis contemplamur.* Vnde Plato ipsam inuisibilem DEI filium, sed increatam vocat, solem vero visibilem, sed creatam, Hinc dicit Psalmista, *Iehoua DEVS est Sol, vitam & gloriam dans, Psal.* 84.12. Et alibi, *Si tu illustras lucernam meam, Iehoua DEVS meus, splendentes efficies tenebras meas, Psal.* 18.29. hoc est si inspiraueris animam meam spiritu tuo luminoso, &c. De hac spiritus inuisibilitate sic loquitur sapiens: *Trahitur sapientia de occultis, abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet, Iob.* 28.

Vnde liquet, quod occultatur in hoc mundo respectu suæ essentiæ: at vero per effectum nobis manifestatur.

Hisce sacri contextus testimoniis videntur Philosophi nonnulli (speculatores in mysteriis naturæ admodum profundi) astipulari. Nam Zoroaster & Heraclitus Ephesius voluit, naturam esse

ignem quendam inuisibilem,à quo cuncta esse genita agnoscit , Ac si intellexissent spiritum illum Domini (qui est amor igneus)cum ferebatur super aquas, igneum quendam vigorem & quasi Esse iis impertiens.Hinc ergo à nonnullis mundus est dictus animal,cuius cor solem fecerunt,similiter & stellas vocarunt animalia, atque animas rerum omnium in mundo particularium intelligentes, vtpote mentis diuinæ, participantes existimarunt:quas animas radios seu scintillas ab vniuersa illa natura lucida emanantes esse,haud in consulte annuntiauerunt.Ob hanc igitur causam Deum cuilibet rei aut animam præesse agnouerunt, & consequenter omnia Diis plena esse Democritus & Orpheus cum multis Pythagoræorum sunt opinati,quibus constituerunt diuinos honores,sacrificia precesque iisdem dicarunt,& diuerso cultu venerati sunt.

Præterea omnes huiusmodi animas reducebant ad vnam animam mundi, & consequenter Deos omnes referebant ad vnicum Iouem : Hinc ergo procedebat omnis gentilitatis in adoratione error,hinc Poetarum figmenta,diabolica sacrificia,immolationes sacrilegas emanasse non ambigo. Vnde Ægyptia tellus animalia quædam, & alia monstra atque portenta coluit & adorauit. Sed de huiusmodi Idololatriæ speciebus variis,vbi scilicet creaturæ pro creatore adorantur, vndique loquuntur scripturæ,videlicet de stellarum , diabolorum, hominum & id genus aliorum cultu profano.

In hoc ergo decepti sunt isti Philosophi,quod simplicem lucem increatam,hoc est, naturam creantem ab humida natura creata minime distinxerunt: sed lucem creatam , hoc est, totam naturam humidam illuminatam,videlicet angelum seu alteritatem (vti Cabalistæ habent) & non vnitatem illam quæ præcessit,considerauerunt,vnde & alii ex illis ignem dixerunt esse Deum,alii aerem, terram fecerunt diuinitatem,quidam aquam &c.

At vero in eo,quod dixerunt omnia Diis esse plena,seu potius diuinitatis scintillis animata atque impleta,quos omnes ad vnicum referebant Iouem, vel omnia animabus lucidis prædita,quas ad vnicam mundi animam relationem habere tradiderunt, in hoc quidem à Doctorum Hebræorum, imo vero ne à sacræ quidem scripturæ sensu discrepare videntur : Nam Rabi Breseth dicit, quod creator quotidie creet cætum angelorum,quos alii vocant formas,vtpote qui sunt substantiæ formales,quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium absque numero plena est: Hæc ille. De illis formis Angelicis Porta lucis sic habet. A terra vsque ad firmamentum non est locus vacuus, sed omne plenum formis,ex illis puræ,ex illis capaces gratiæ & miserationum, & sunt inferius multæ effigies fœdæ,noxiæ,& tentatrices &c, Ex quibus innuere videtur,quod omnes formæ tam bonæ quam malæ sint quasi angeli,sed de his alibi.

Vtcunque videmus quod vt omnes hæ formæ in mundo sint quasi scintillæ diuinitatis, & radii vnius spiritus, variis proprietatibus & effigiebus vel vitæ conseruationi vel illius interitui assignatis, vti in proprietatibus diuinis arbori sephiroticæ inscriptis sufficienter est explicatum ; tamen puræ hæ formæ omnes seu radii diuinitatis non minus sunt diuidendi à sua plenitudine essentiæ , quam radii solares à Sole, & quamuis in variis tabernaculis tenebrosis tam fœdis quam puris diuina voluntate ad mandata sua varia exequenda includantur, tamen ipsi, vtpote scintillæ veritatis , in vltimo pereat ad vnitatis fontem à quo egressi sunt redibunt , De qua re sic loquitur Apostolus. *DEVS erit omne in omnibus , cum Christus patris regnum obtinuerit.* 1.*Cor*.15. N que à prædicta opinione elongari videntur literæ sacrosanctæ,in quibus habemus,*quod Christus omnia impleat.* Et alibi. *DEVS non aliquo indigens dat omnibus vitam & inspirationem & omnia, Act*.17. Et alibi. *In DEO ipso viuimus & mouemur & sumus, Act*.17.9. Atque huius rei rationem reddit sapiens,quoniam, inquit ille, *spiritus DEI incorruptibilis est in omni re, Sap*.12.1.quem in alio loco vocat emanationem seu fluxum claritatis omnipotentis DEI synceram,& candorem lucis æternæ,quæ omnia viuificat *Sap*.7.


Concludimus ergo, quod sit certum , quod vita & esse cuiuslibet sit à DEO , & quasi impressio ignea à verbi charactere seu sigillo diuino , quod Cabalistæ vocant *Emeth*) seu radius à verbo effulgente,qui est magis abundans & effluens in vna creatura quam in alia, verbi gratia, in sole cœli, atq; in Homine terræ; vnde dicit Euangelista *in verbo est vita, & hæc vita lux hominum.* Et de alio dictum est, *spiritu suo ornauit cœlos.* Et hac etiam ratione dictum est, quod *vidit DEVS omnia à se creata fuisse bona, Gen*.1. hoc est, quatenus de essentia diuina participarunt, quæ est sola bonitas & veritas, vti scripturæ sacræ testantur.

CAP.

Cap. XII.

De Vacuo & Pleno.

HIc autem operæ pretium haud exiguum existimamus, declarare vobis, quid vacuum illud sit, quod ita à natura euitatur, quidque plenum, cum istiusmodi dubii solutio ad propositum hoc nostrum inprimis pertinere atque necessaria esse videatur: illud siquidem Vacuum tam Philosophorum patres, quam in Theosophia peritissimi sacris scripturis adhærentes, dixerunt esse Nihil. Mercurius Trismegistus vocat hoc Vmbram horrendam, omni forma destitutam; Cabalistæ Principium potentiale ad nihil respiciens. Plato in suo Timæo dicit, rem esse sine sensu perceptibilem, & ratiocinatione spuria vix credibilem, facitque illud esse merum quasi somnium. Et Augustinus dicit: *Cum aliquid informe cõcipio, prius nihil intelligo quam intelligebam, quemadmodum nihil videndo videntur tenebræ, nihil audiendo auditur silentium,* vnde id Tenebris & silentio videtur comparare. Iob ait. Quod *Aquilonem DEVS extendit super inane & vacuum, & suspendit terram super nihilum. Iob.* 26.7. Et alibi, *Reuelat fundamenta è tenebris, & educit in lucem vmbram lethalem Iob.* 12.22. Quibus arguere videtur, Inane, Vacuum, Nihilum, Tenebras & Vmbram esse rem eandem. Inane scilicet & Vacuum, quoniam omnis plenitudo est à DEO; at vero DEVS, lucis parens, nondum mundo eluxit, quare quatenus materia mundi prima esset omni gratia destituta, & bonitate priuata, dicta erat Inane & Vacuum, imo vero tenebræ atque vmbra lethalis, quatenus vitæ radiis omnino carebat. Sic terra dicta est inanis & vacua, & quod tenebræ fuerint super faciem abyssi, antequam Spiritus Domini ferebatur super aquas, at post spiritus dicti apparitionem dictum est, *Et aridum vocauit DEVS terram, & vidit DEVS id esse bonum, & produxit herbas teneras & semen, cuiuslibet speciei, & arbores educentes fructum &c. Gen.* 1. quare nunc terra, olim inanis & vacua, jam facta est plena gratiæ diuinæ, vnde non inanis, sed fertilis redditur, non vacua, sed igne diuino radiis incorruptibilibus vndique completa. *Manus omnipotentis ex informi materia creauit mundum, Sap.* 11.12. vbi per manum verbum seu spiritum ab ore eius emanantem indicat. Hinc dicit Apostolus Petrus, *Cœli prius & terra ex aqua & per aquam, mediante verbo, Pet.* 3. hoc est emanatione sancta. Per hanc lucem (inquit Iohannes) mundus est factus, imo vero vbi radii istius diuinitatis informantis desunt, ibi est summum vacuum, hoc est, completæ formæ absentia. Atque hinc est quod vacuum tam horrendum videtur, in regno naturæ, nam res quælibet naturali appetitu informari summopere desiderat, quare deformitatem abhorrere & euitare non modo natura particularis, verum etiam illa vniuersalis omnium particularium parens summopere solet: Hinc ergo patet, quod omnis in natura plenitudo est ab affluentia diuina, quæ ideo sua virtute omnia in mundo implet vt de nihilo & inani aliquid actu formale & relate existens fiat, quod quidem existentiæ donum à Christo seu Sapientia acceperunt, vnde scriptum est, *quod Christus impleat omnia, Ephes.* 4. Et alibi. *Spiritus disciplinæ sanctus implet orbem terrarum, Sap.* 1. Vnde est quod nisi DEVS omnia in mundo impleuisset, vacuum & nihil esset in mundo, at vero quoniam ipse sua præsentia omnia creauit, ideo necesse est, vt nihil in mundo inane existat.



Cap. XIII.

Quod voluntas DEI esset, quod stellæ fixæ in sua sphæra forent creatæ, ipsæque in momento factæ sint.

Diximus in præcedentibus, quod Deus non ex necessitate sed voluntario & proprio suo instinctu ad misericordiam commotus cœlum, terram, atque etiam in cœlo stellas, cum cæteris in terra

terra numeratis creauerit, hocque & prophetæ regii testimonio, vtpote à quo habemus, *Confitemini Domino dominorum, qui fecit cælos in sapientia, quoniam in æternum misericordia eius, qui firmauit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia eius. Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia eius, solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia eius, Psal.* 135.

Hoc est in proprietate sua primæ numerationi seu sephiroticæ assignata videlicet *Ehieh*, quod nomen præsidet *Cheter* seu coronæ, atque patri & misericordiæ ascribitur. Vnde rationem habemus cur Deus in seipso liber, mundum cum creaturis eiusdem creare voluerit, videlicet ob meram suam erga res deformes clementiam & misericordiam, hoc est, ex rebus inanibus, & tenebris seu vmbris lethalibus obvelatis, res bonas, pulchritudineque diuina ornatas procrearet, hoc est, cuilibet creaturæ animam viuam seu scintillam à fonte suo lucido infudit, qua viueret & in suo esse existeret, vnde in primis gratias ei ingentes rependere gestiunt, & tum postea ad officium suum à Deo cuilibet assignatum & ad mandata creatoris fideliter perficienda pergunt. Pro gratiarum actione legimus apud Psalmistam regium, *Laudate Deum de cælis, laudate eum omnes angeli eius, omnesque virtutes eius, Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen, laudate eum cælum cælorum, & aquæ omnes quæ supra cælum sunt, laudent nomen Domini, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus seu ventus procellarum, quæ faciunt verbum eius, &c. Psal.* 148. Vbi percurrit omnes creaturas, tam terrestres quam aquaticas; Sed vt & stellarum officium declaremus, dicimus cum Propheta loco antea citato quod Solem efficeret, vt dominium haberet in diem, atque lunam & stellas alias, tam fixas quam erraticas, vt potestatem haberent in nocte, idque propter benignitatem suam. Ad stellarum tam fixarum quam erraticarum substantiam seu consistentiam quod attinet, videtur esse valde munda & pura, quo melius suscipiant lucidas suas formas à creatore, quod etiam videtur hisce verbis confirmari: *Stellæ non sunt mundæ & puræ in conspectu Dei, multominus homines, Iob.* 25.5. quo sermone videtur quod sint valde puræ, tametsi non absolute puræ, vt in conspectu Dei ita videantur: at si non essent multum in suis substantiis puræ & politæ, formas tam splendidas recipere minime forent capaces, nam vti recte dicit Plato, quod forma à creatore datur secundum meritum materiæ. At vero, quoniam earum substantia variatur in puritate, dicitur ab Apostolo. *Quod stella differat à stella claritate, 1. Corinth.* 15.

De stellarum fixarum proprietate & influentia restat jam paucis disceptare, inter quas legimus, *quod extendente Deo cælos solus fecerit Orionem, pleiades seu Hyades, & penetralia Austri sydera, Iob.* 32.4. Et alibi, *de gyro Arcturi seu loro Orionis* mentionem facit *Iob.* 38. Etiam Propheta sic loquitur, *Deus est qui facit Arcturum, & Orionem, conuertit in mane tenebras, diem in noctem mutat, Iehoua nomen eius, Amos* 5. Has omnes firmamenti stellas numerat Deus magnus noster & magnus Virtutibus, cuius sapientiæ non est numerus, *numerat quotquot sunt stellæ, easque propriis nominibus vocauit*, vt testatur Dauid, *Psal.* 147. quibus procul dubio nomina à proprietate varia assignauit, inde declarando, quod proprietates plurimæ occultæ eis insint præter illam communem & vulgarem, videlicet quod dominium haberent in noctem: nam non est verisimile, quod splendore & figura eas varias assignasset effigies, si alias in creaturas facultates non haberent, & præcipue quoniam Propheta addit, *Quotquot sunt nominibus vocat magnus dominus noster, & multis viribus seu virtutibus, cuius sapientiæ non est numerus*, hinc inde arguendo, quod ipse qui est multus virtutibus, & innumerabilis sapientiæ, etiam stellis innumerabilibus firmamenti virtutes varias assignauerit, Quod etiam per hæc verba intelligi potest, *Nunquid nosti statuta Cæli? Nunquid ponis dominium eius in terra? Iob.* 38.31. quibus videtur indicare creator quod cœlum per exercitum suum interris varieformiter operari soleat, vnde à nonnullis cœlũ mari, & terra fœminæ quam aptissime assimilatur, & consequenter, quælibet cœli seu firmamenti stella particularis habet particularẽ virtutẽ influendi in particulares, tã animales & vegetabiles quã minerales: verbi gratia, traditũ est & ab ipsa experientia comprobatum, ꝙ stella polaris, ab Ægyptiis Alracuba dicta, habens naturã Saturni & Veneris, attrahat ad se lapidẽ magnetẽ, vti in acu marina apparet, & idem magnes attrahit ad se ferrũ, modo si lapis adamas non sit pręsens, nã adamas sua pręsentia impedit influentias dictæ stellæ; Et Cichus Esculanus de sphæra scribẽs, in loco vbi loquitur de duodecim signis Zodiaci affirmat, quod ex 12. signis quodlibet recipiat nomen suũ particulare, & speciale, de natura & proprietate alicuius animalis terræ, quorũ vnius natura videtur symbolizare cũ natura alterius. Et Moseus Arabicus dicit, quod quælibet res animata sibi vendicat stellam peculiarem, in cœlo, à quo omni momento influentiam ad tuendam & sustentandam suam essentiam hauritatq; recipit, hocque diuino iussu & voluntate factum narrat. Sic stellæ in corpore Arietis in cœlo habent relationem ad talia in terris animalia, & scorpio illius ad scorpionem huius, & sic in cæteris, Ob hanc igitur causam Diodorus Siculus, generaliter loquendo, haud insulse fatetur, inferiorem à superioribus regi, mundumq; inferiorem illi superiori esse continuum. Quod etiam hisce verbis confirmare videntur Doctores Hebræorũ dicentes, quod omnes res inferiores sint repræsentatiuæ superiorum, & quod vti fit inferius, sic agitur superius atq; in hoc omnes in Cabalistica scientia peritiores consentire videntur, Atque ipse Aristoteles ait, *quod nimis sint ignorantes, qui putant quod corpora fulgida & gloriosa*

cœli

cœli nihil significant, Lib. De cœlo & Mundo. Et alibi dicit, *Quod qui asserit naturam non agere propter finem, tollit solicitudinem DEI circa inferiora, Phys. 2.* Sed Hippocrates in libro suo *De carnibus* versus finem hæc optime describit, in huiusmodi sermone; *De cælestibus autem & sublimibus rebus mihi nihil dicendum videtur, nisi quatenus homines, animaliaque cætera, quæ in terris degunt, gignuntur nataque sunt, principium & originem inde habere demonstrabo, & quod anima de cœlo est, quodque dolere, languere, mori, & denique quicquid boni malive in homine est, de cœlo proficiscitur,* hæc ille, At Ptolemæus magis vniuersaliter loquendo in sermone 9. Centiloq. in hæc verba prorumpit, *Vultus huius seculi subiectus est vultibus cœli*, Et alibi dicit Tract. 1. Quadrip. *Scire debemus, quod cœlestium vires fiant dispositione diuina*, ac si per vtrumque hunc suum sermonem dixisset, Cœlestium anima & virtus sit à Deo, terrestrium à cœlo tanquam loco intermedio inter Dei sedem, quæ est cœlum cœlorum, atque ipsam terram.

Dicimus ergo, quod vt mundus Angelicus sit typus illius diuini, atque iterum ille cœlestis sit imago ad illum angelicum: vt igitur hic influxus immediate recipit à mundo archetypico, ita illos infundit in cœlestem, sic etiam ille cœlestis est simulachrum illius terrestris, atque consequenter eius exercitus immediate influxus suos facit in creaturas terræ sibi maxime in natura & dispositione conformes.

Concludimus igitur cum Presbytero sacro, 4. *Esdr.* 16. quod stellæ in verbo seu sapientia domini fuerint fundatæ, qui & nouit numerum stellarum, & earum cuilibet nomen proprietati eius maxime conueniens imposuit, & quod quælibet earum à proprietate sua respectum habeat ad creaturas terrestres, qua mediante assidue in sibi similes creaturas influentias suas infundit directione intelligentiarum, quæ illis præsunt, atque ad res inferiores voluntate & mandato diuino curam habent.

Cap. XIV.

Particula Prima.


De stellarum erraticarum creatione in genere, ac præcipue De Sole atque ipsius creatione, dignitate, vtilitate, motu & obedientia erga suum Creatorem.

IN discursu nostro *De physico macrocosmi subiecto*, vbi de stellarum fixarum origine verba satis ampla, dubium aliquod proposui: An scilicet stellæ fixæ essent quarto creationis die cum stellis erraticis creatæ, vel die saltem secundo vbi rationes nostras expressimus, quibus probauimus, esse verisimile eas secundo creationis die esse conditas: Et quidem si sephirotarum seu numerationum Cabalistarum ordines & earum influxuum rationem consideremus, percipiemus quidem, quod vt influxus *Cheter* quod est corona seu prima numeratio sit per ordinem Angelorum seraphicum in primum mobile, ita *Hochma* influit per ordinem Cherubin in cælum stellatum, quod quidem si esset inane & sine stellis, etiam inaniter eas influentias à *Hochma* reciperent; Sed ad planetarum seu stellarum erraticarum productionem & in suis orbibus creationem breuiter accedemus.

Certissimum est, & sine controuersia concedendum, quod stellæ omnes à Deo ipso creantur, vtpote quod multis sacræ paginæ testimoniis confirmatum habemus. *Solem* (inquit Moyses) *Lunam, astra, & alia creauit DEVS, in ministerium cunctis gentibus sub cœlo. Deut.* 4. 19. Quomodo autem quælibet harum stellarum intelligentiam sibi præsidentem habeat, quæ recipiunt influxus à portis lucidis sephiroticis dictis, & quæ sint dictorum angelorum officia, tam in cœlo æthereo, quam regione elementari, & quis ipsorum Princeps, membro huius partis secundo copiose disceptabimus.

Hoc vero in loco de nobilissima corporum cælestium creatura, stellarum rege, cælestium Imperatore corporeo, firmamenti corde, mundique oculo clarissimo, sole videlicet visibili sermonem præcipue jactabimus. Ad meliorem cuius intelligentiam vt perueniamus, De sole inuisibili atque increato inprimis vtpote huiusce solis creati vita & luce verba proferemus pauca.

Sol



Cap. XIV.

Particula Secunda.

De Sole increato.

MErcurius Trismegistus agnoscere videtur, quod totus & integer mundus ex elementis constitutus procedat & ducatur ab illo qui est abundanter plenus fæcunditate omnium rerum, tam vnius quam alterius sexus, continens in se omnem virtutem generandi, sine vlla alia assistentia, vnde & PAN poetis dicitur, quasi Totum & Vniuersum, quem Arcades, eum existimantes esse solem, adorauerunt, tanquam verum DEVM, quorum quidem error in eo esse videbatur, quod creaturam loco creatoris, & solem visibilem & creatum loco illius inuisibilis & increati, hoc est palatium regale loco regis regum, qui illud struxit & centraliter inhabitauit falso acceperunt atque adorauerunt. De hoc sole increato & inuisibili non solum Philosophorum sapientiores verum etiam scripturæ sacræ mentionem fecerunt locupletem atque copiosam. Nam inter Philosophiæ peritiores Plato (inde consonantiam illam admirabilem, quæ est inter solem illum mundi atque istam ordinis supremi indicando) vocat solem mundanum filium lucentem summi Boni, non filium primum, sed secundum illum, mediante quo peruenimus ad notitiam primi; nam in glorioso illo opere creantis

gloriam intuemur. Atque hoc est quod Dionysius (cum Platonicis in hoc consentiens) solem visibilem statuam & imaginem Dei inuisibilis haud inepte aut inconsulte dictitaret, Et Iamblichus ei astipulans Iconem diuinæ intelligentiæ. Hinc inquit sapiens, *Sol illuminans per omnia respexit, & gloriæ Domini plenum est opus eius, Eccl. 42.* Quæ quidem gloria est ipsa essentia diuina luminosis vestimentis obtecta atq; obuelata, quare & à Propheta regio est dictum, *quod Deus sit lumine indutus quasi vestimento*, & in alio loco, *quod posuerit tabernaculum suum in sole. Psal. 19.* In quo quidem sermone non est sentiendum, quod Sol iste increatus sit in illo creato inclusiue dispositus, vtpote qui cum sit intra omnia ita etiam & extra. Sed ideo dicitur solem loco palatii struxisse, & in eo habitasse, quatenus sapientia hæc diuina, hic sol Archetypicus à Porta lucida *Tiphereth* seu gratia & formositate abundanter influens, atque mundum vndequaque implens, sua virtute, massam solarem eligebat in hoc mundo, eamq; polite præparabat atq; mundificabat, vt vas esset ad radios suos diuinos copiose recipiendos dignum, de quo sic loquitur sapiens, *Eccl. 43. Sol in aspectu annuntians in exitu vas admirabile opus excelsi.* In hoc ergo palatio suo visibili visibiliter apparet, idq; copiosissime gloria Solis diuini seu verbi Domini, atq; veræ mundi lucis, à qua mundus erat factus, à mundi creaturis conspicitur, & magis in solari hoc suo palatio, quoniam omnium corporum in hoc mundo conspiendorum est maxime purũ iisq; magis politum atq; ad huiusmodi formã admirabilem recipiendam dignius. Vnde manifestum est, quod in eo, quod formæ tam supereminentis atq; excellentis capax sit vas istud solare, sit omnibus etiam in mundo corporibus dignius, nam teste Platone forma in perfectione datur secundum meritum materiæ.

Certum igitur est, quod Sol iste diuinus sit ipse Deus, omnia primitus tam occulte quam manifeste illuminans, de quo Rex Dauid sic loquitur. *Deus est Sol gratiam & gloriam dans, Ps. 84.12.* Ab eo ergo recepit Sol materialis suam vitæ virtutem, tam amplam, qua res omnes in hoc mundo visibili nõ modo illustrat & calore fouet, verum etiã generationis & viuificationis actum in inferiora impluit, voluntate diuina, idq; liberaliter: quod etiam ex verbis Prophetæ exactis exploratum habemus, & confirmatum, *In luce Iehouæ videbimus lucem, Psal. 36.10.* Qui quidem sermo non de luce abdita & minime visibili est intelligendus, verum etiam de illa visibili, ac si dixisset creatura, In luce ipsius qui posuit tabernaculum suum in sole videbimus lumen; sed de ratione quomodo scilicet lux ista inuisibilis per visibilis istius vasis proprietatem redditur visibilis infra latius dicemus. Ad viuificandę eius proprietatis originem confirmandam sic loquitur Psalmista, *Vitæ fons penes te est, Ps. 36.9.* Quod non de vita solum illa animæ, sed etiam de illa corporis est intelligendum, iuxta illud sacræ paginæ, *Deus animæ & corporis, Deus fortis spirituum, Deus omnis carnis.*

Concludimus igitur quod hic sol in mundo Archetypico dicitur Deus illustrans tenebras omnes, seu *verbum Domini à quo omnia, in quo vita, & illud lux vera mundi, Ioan. 1.* Seu sapientia, quę est candor lucis æternæ omnipotentis, & Soli comparata, luce longe præcellentior, quæ emanatione in mundum angelicum descendens dicitur sapientia prima creatura, & à Cabalistis Angelus Metatron magnus, cuius radiis illustratur regio angelorum seraphica, atq; amore igneo animatur: mundo cœlesti, à *Tiphereth* in cor cœli descenditatq; visibiliter apparet in organo solari. Vnde liquet quod in mundo Ideali seu cœlo cœlorum, sol iste reflectit ardorem suum in se, in quo statu est absolute formalis, sine vllo ad materiam creatam respectu, in mundo angelico radiis suis inuisibilibus limpidũ cæli intellectualis spiritum induentibus, corporibus angelicis & mere spiritualibus apparet; atq; lux istiusmodi oculis corporeis minime subiicitur. At vero mundo æthereo principaliter in limpido loco (in quo immediate per ministerium Archangeli Michael infunduntur atq; recipiuntur atq; etiã aliis locis, tam planetariis quam elementorum regionis per reflexionem apparet) visibiliter & lętus quasi creaturis nuncius tenebras nocturnas pellit. Deniq; sol iste Diuinus altius adhuc se immergit in materiæ multitudinem, nam prædixit *se habitare in caligine, idq; vel in densa nube quam facit quandoque tugurium suum, 2. Chron. 6.1. & 8. Iob. 22.15.* vel in domo carnosa hominis, quæ est templum spiritus sancti, vel ipsa terra quæ dicta est *parere saluatorem.* Atq; Sol increatus in talibus locis caliginosis habitat centraliter in eo sole, quam Philosophi mystici Solem centralem dictitarunt, qui relationem continuam habet cum sole cælesti, vti ipse cum illis supercælestibus, vtpote qui minime distinguuntur essentia. Hinc ergo erat error illorum, qui tam in Arcadia atque Scythia seu Tartaria solem visibilem & creatum pro Deo false adorauerunt: imo vero apud Ægyptios tanta cultus reuerentia habebatur Sol, vt non modo templum egregium ei esset dedicatum, verum etiam vna ex quinq; ciuitatibus insignibus Ægypti, Vnde scriptum est, *quod Babylonius rex solis domus & statuas in Ægypto contriuerit, Ier. 43.* Et alibi. *Solis ciuitas* dicitur vna quinq; vrbium Ægypti, *Isa. 19.* Error inquit eorum est egregius quod vestimentũ pro re vestita, palatium pro domino, corpus mutationibus obnoxiũ pro anima immortali, rẽ illuminatã pro essentia illuminante, & deniq; creaturam pro creatore, more cæco & tenebris obducti cultu vano celebrarent: Sed si quis solẽ illum inuisibilem, qui in solis tugurio habitat oculis cordis & mentis respiceret, & creatorem in creatura solari specularetur, ille quidẽ in adoratione sua minime falli potest; nam angelum pro IEHOVAH venerari peccatum est, Vnde factum est, vt Angelus non permitteret Iohannẽ ipsum adorare, *Apoc. 19 v. 10.* sed Iehouæ nomen in Angelo adorare,

& omni

& omni conatu reuereri iussi fuerunt Israelitæ, *Non feret angelus meus* (inquit Iehoua) *defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo, Exod.23.* Hoc est, obediatis velim voci eius, quoniam verbum meum, quod est creator vester, est in illo, hoc est fac hoc, quoniam ego sum in illo, vel ego ero præsens, quē solum & neminem alium adorare debetis. Non ergo est in honorem solis quod in hæc verba loquatur sapiens, *Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam & ad orientem lucis te adorare, Sap.10.28.* aut quod Propheta Daniel in orando respexit plagam orientalem, aut quod Christianorum sit mos atq; consuetudo, vt versis faciebus orientem versus orationes nostras effundamus, sed vt eum veneremur omni conamine, qui dedit formam vasi tam excellenti, quiq; suum tabernaculum statueret in vase hoc polito, quod pro organo suo eligeret, vt ab eo quasi sacrario vitæ visibili, mundum eiusq; particulas, vitam, multiplicationem atq; lumen visibile vndique impleueret, vt hac via tam corporibus opacis, quibus lux inuisibilis minime apparet, quam animæ lumine inuisibili sustentatæ solatium & gaudium præbeat creator, atque etiam vt hac ratione seipsum reuelet, atque essentiæ suæ gratiam manifestet tam terrestribus quam cœlestibus, tam corporibus quam spiritibus. Vnde merito dictus est *Deus animæ & corporis, Deus omnium spirituum, Deus omnis carnis.*

Deniq; sol iste dictus est in summo cælo *Ehieh* pater seu Deus dans gratiam, & gloriam; in Empyreo sapientia clarior sole, & profundius in mundi materiam se immergens *posuit tabernaculum in sole, & in nubibus densis fulgurat, & voce tonitrui loquitur. Apoc.22.* In Christo homine dictus est stella splendida matutina; *stella* (inquit Pagina sancta) *orietur ex Iacobo, Num.24.* Et alibi, *Sol Iustitia, Malach.4.* qui promittitur oriri timentibus nomen eius, & sanitas in pennis eius, vnde & *Iesus* dicitur. Porro etiam Iesus Christus dicitur in multis scripturarum locis, Sol à plenitudine sui luminis, vitæ & omnium bonorum; vnde & *verbum, lux mundi in tenebris lucens, Ioan.1.* Sed ad harum rerum examen seu lapidem Lydium perueniamus velim. Dicunt Philosophi sapientes, quod in qua res ortum suum habet, in ea finiri solet, vnde si solis mundani initium inquirere & probare velimus; ex fine illud optime percipiemus: at in literis sanctis habemus hæc, *Sol tuus non occidet vltra; Luna tua non minuetur, quia erit tibi Ierusalem Dominus in lucem; Isa.60.* Et cum hoc loco conuenit illud Ioan. *Et ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus: & ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam. Apoc.21.23.* quibus indicatur, quod vltimis mundi diebus sol iste cælestis exuet densas & tenebrosas suas vestes, & taliter apparebit, qualiter reuera est, nam nulla veritas nisi in luce mundi vera, omnia figmenta reuelante, & examine lydio ad nihilum reducente. Nam huiusmodi examine luna in vltimis diebus habebit claritatem solis, creata sua vestimenta deponendo, & Sol vere centralis & diuinus densa & creata sua indumenta exuendo, erit in nuda & clara sua natura, benedictis Dei seruis lumen in sua purificatione & quasi resurrectione præbens, non aliter (sed in gradu longe excelsiori) quam sol vulgaris seu in cœlo visibilis: quod quidem ex his Prophetæ dictis lucide colligere possumus, *Erit* (inquit ille) *lux ipsa lunæ sicut lux solis, lux autem solis erit septupla, vt lux septem dierum, Isa.30.62.* hoc est septies tam clara, & ad eius sensum loquitur Apostolus, Dicens, *Solis, Lunæ & stellarum alia erit claritas, 1.Cor.15.* quibus colligere fas est, quod in vltimo Pereat omne illud quod erit figmentum abolebitur, & in vastam Nihili abyssum detrudetur, quod autem est ex simplici veritate (qua Deus impleuit orbem vniuersum) illud omne purificando purificatione ignea in suum vnitatis fontem redibit. Sed & Biblia sancta videntur ea quæ superius dicta sunt confirmare: nam dictum est, quod Deus omnia impleat; *Quod à Deo & per Deum omnia sint, Rom.11. quod Deus sit pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus, Ephes.4.6.* Et quod *Deus operatur omnia in omnibus, 1.Cor.12.* Vnde cum ipse sit sola veritas, necesse est, quod nihil sit verum, nisi quod est de essentia illius. Quare dicimus finaliter, quod vt Deus fuit pulchritudinis solaris initium, hoc est, si gloria eius sit in causa excellentiæ solaris creaturæ, deposito figmento longe erit pulchrior, & sicut erat in principio, hoc est, in prima sua emanatione, quando *Hochma* seu sapientia diuina erat dictus, quæ est candor claritatis omnipotentis, sic erat in principio, at principium eius iustificabitur per finem, vtpote qui est *Alpha* & *Omega, Apoc.1.* principium & finis, hinc ergo dicit Apostolus, *Deus erit omnia in omnibus cum Christus patris regnum obtinuerit, 1.Cor.15.* Vnde & alibi dixit, *Cum fuero exaltatus omnia ad me attrahā,* hoc est omne illud quod de puritate & veritate est, nam nihil pro nihilo in mera sua natura est reputandum, & vacuo atq; inani.

Sed ad solis nostri creati hoc est creaturæ solaris naturam rapide progrediamur.

Cap. XIV.

Particula Tertia.

De solis cœlestis & Visibilis creatione, & iis quæ exinde necessario sequuntur.

DE sole creato jam pertractare operæ pretium fore existimamus. *Sunto* inquit Deus *luminaria in expanso cœli ad afferendam lucem super terram, & fuit ita, Fecit itaq; Deus duo illa luminaria magna, luminare maius ad dominium diei &c. Gen.1.* In quo sermone certum est Dominum ordinasse solis fabricam, atque eius voluntatem mediante verbo in executionem posuisse, iuxta illud Psalmistæ regii: *Verbo Domini*

mini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnes virtutes seu exercitus eorum, *Ps.* 33. Et Esdras Antistes ille egregius hoc denotat expressis hisce verbis, *stellæ sunt fundatæ in verbo Domini*, *Esdr.* 4. 16. At vero de more particulari huiusce creaturæ ortus agere, & in eiusdem mysteria se immergere, aliquantum difficilius homini videbitur, nisi oculis lynceis introspiciamus scripturas sacras. Ad materiam igitur eius quod spectat, certum est, quod consistentiam habeat terræ limpidissimæ, politissimæ, atque admodum spiritualis, quæ è tenebris (postquam in mundi centrum radiis lucidis sapientiæ diuinæ fuerunt repercussæ, vti in historia nostra de physica nostra Macrocosmi historia est declaratum) emersit, atque radiorum diuinorum ope in cœlorum meditullio more fusi est exaltata, atque radiis gratiæ & pulchritudinis diuinæ vndiq; illuminata. Sic corpus Adami ex luto electo formatum, vitæ spiraculo & spiritu omnipotentis lucido est animatum, & viuificatum, & ad imaginem omnipotentis formatum; sic terra dicta est parere saluatorē, & saluator noster è sepulchro, exurgens, & à mortis seu tenebroso vmbræ lethalis hiatu tanquam stella matutina mergens, spiritu cælesti vndique vestitus, in cælum ascendebat. Quare igitur sol creatus recusaret terram pro suæ cōsistentiæ parente, vtpote qui est spiritus cælestis naturæ condensatus, in cuius meditullio lux mundi increata posuit tabernaculum suum, vt Psalmista regius nos docet? Porro etiam videmus, quod vt Saluator noster à lethi tenebris & sepulchri voragine tertio die resurrexerit, ita quidem post diem in creatione tertium, & non ante, terræ in centro mundi fixationem, seu eius suspensionem super nihilum, nulla facta erat de luminaris maioris creatione mētio, vnde verisimile est, quod à terra exuta sordibus tenebrosis ascenderet sol quasi à sepulchro, vtpote in quo est tabernaculum solis inuisibilis & diuini, qui loco animæ lucidissimæ se habet ad corpus illud politissimum. Sed vtcunq; legimus, materiam istam æthercam ita more sphærico inuolutam esse, in consistentia sua tam pura, vt à sapiente dicatur *vas, admirabile opus excelsi*. *Eccl.* 43. & in eo quod annūtiatur alibi *Sol opus Domini gloria eius plenum*, *Eccl.* 42. & alibi, *quod posuerit in eo tabernaculum*, patet, quod sit vas in natura valde mundum & politum, nam aliter formæ tam puræ atq; simplicis non esset capax, vtpote quæ dari solet secundum merita materiæ: Et tamen impossibile est, per vniuersum spiritum creatum materiam adeo exquisite puram dari, vt quæ potest formam tam puram & simplicem mereri, quam est essentia illa diuina, quæ est absque omni labe, & impuritate; vnde scriptum est inprimis de angelis ac tum postea de stellis, quod respectu puritatis synceræ diuinæ essentiæ non sint puræ, ad quem sensum de his videlicet stellis sic scribitur. *Stellæ non sunt mundæ & puræ in respectu Dei*, *Iob.* 25. 5. De illis vero Angelis nempe hæc verba legimus, *Ecce in angelis suis reperit Deus prauitatem, &c.* *Iob.* 14. 17. nam impossibile est, quod creatum possit in suo Esse creatoris essentiæ æqui parari. At vero inter omnia corpora visibilia certum est, quod substantia solaris sit purissima, quod quidem ideo declaratur, quia gloria Dei visibilis plus mortalibus in eo indicatur, quam in vlla alia mundi creatura. Atq; hinc ab Augustino dicitur, quod quantū aliquid lucis in se habet, tanto plus sibi Dei vindicare videtur. Hinc etiam dicit sapiens de sole, *Sol illustrans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius*, *Eccl.* 42. Vnde liquet, quod præsentia istius gloriæ diuinæ denotat puritatē subiecti in quod ingreditur; nam in scripto sancto vndiq, legimus, quod spiritus sanctus non descendit nisi in spiritum purum, aut cor mundum, hoc est, in subiectum purificatū, nam talis debet esse respectus inter sponsum & sponsam, inter cupidinē & Psychen, inter Christū & Ecclesiam, inter mentem & spiritum, aut nullus erit firmus inter eos nexus, & copulatio.

Hinc ergo colligere debemus, vt quatenus sol mundanus sit creatura, & quasi vmbra maiestatis solis archetypici; sic ille nullo modo à mortalibus sibi constantibus & dementia minime captis diabolica, pro Deo est colendus, hoc enim foret pro domino domum adorare, qualiter viri illi viginti quinq; fecerunt, qui (teste Ezechiele) inter vestibulum & altare facie versus orientem solis ortum adorauerunt, dorsum habentes contra templum domini, de quib. Deus ad Prophetam sic loquitur: *Nunquid leue est hoc, quod facerent abominationes istas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate &c.* *Eze.* 8. *v.* 16. Sed & hoc expresso sermone reprobat pagina sacra. *Non respicies solem, lunam, aut stellas, aut vllam rem exercitus cœlestis, vt incuruans te iis colas*, *Deut.* 4. ac si dixisset, *Iehoua* est solus & vnicus Deus creator, ei cultum solummodo præbere debes, & non imaginibus ab eo creatis, hoc est Domino creanti, & non seruo seu ministro creato, Solem (inquit sapiens) qui fecit est Dominus, in cuius sermonibus festinauit iter, Et expresse alibi hoc in hunc modum explicatur, *Solem, lunam, astra & alia creauit Deus, in ministerium cunctis gentibus sub cœlo*, ideo prohibuit ea adorari & coli, ac si dixisset, ego sum creator, ergo quæ creaui non sunt adoranda, sed ego solus creator. At quam esset sapienti ridiculum seruum honore reuereri, & de Domino non cogitare, aut minima laudibus afficere maiora vero reiicere, & negligere? quid obsecro est corpus, siue anima aut informatum sine sua forma vitam & gloriam impertiente? Sane nihil, inane, & plane vmbra deformis atq; horrenda, ac si quis eligeret vmbram pro vero Deo, verum autem subiectum respueret pro nihilo. Hæc quidem est mundanorum via, tenebris atq; ignorantia obrutorum, quæ videntur & minime sunt, pro rebus iis quæ reuera sunt sed minime videntur, more cœco eligentium. Aperite ergo vos ô cæci mortales oculos illos, quos Adam ob peccata sua claudebat, & claudite carnales oculos, vtpote qui more præstigioso videre se putant illa quæ non sunt, at vero ad illa quæ sunt penetrare minime sunt potentes.

Cap. XV.

De multiplici Solis Virtute & vtilitate.

Virtus Solis primaria consistit in eius lumine, motu, & calore, vti illa secundaria ab iisdem effectibus scaturire solet; de vna ergo & alia sibi inuicem mistis verba faciemus aliquantulum latiora: & primum de Lumine.

Vt ergo certum est, & à præcedentibus confirmatum, quod DEVS sit fons lucis, hæc lux primaria emanationem suam actum seu motum primum fecit, à quo inprimis primum mundi mobile, hoc est, supremus tenuitatis spiritus mundani circulus circumferebatur, ad motū cuius omnes orbes inclusi etiam periferice rotantur. Huius autem mobilitatis seu actus mobilis effectus est calor, quemadmodum viceuersa actus stupidus atq; insensibilis quietis est frigiditatis parens, & quamuis Biblii sacri testimoniis confirmatum est Deum esse semper in se permanentem & minime alterabilem, tamen respectu sapientiæ suæ è suo fonte lucido emanantis est omnibus mobilibus mobilior, *Sap.* 7. quibus ipsum omnia videlicet tam mobilia quam quiescentia in sua natura includere manifestum est, tamque tenebras quam lucem ordinasse & procreasse.

Quomodo & qua ratione materia hæc solaris lucem recipiat visibilem à sole inuisibili paucis dicemus. Quod substantia solis sit pura & limpida in sua natura, quo vas & opus sit dignum ad radios formæ tam diuinæ suscipiendos antea declaratum est. At vero iuxta Algazel de natura speculi sententiam, si spiritus in orbe radios recipiens sit rarior in sua consistentia, lumine in ipsum proiecto, non fit lucidus, hoc est non illuminatur, quoniam colori non subiicitur, & per consequens, non est coloratus, nec visibilis, quod etiam & *Hatten lib. de aspectibus* confirmat dicens, illud visibile non esse quod colorem non habet, nam (inquit ille) res visibilis non est nisi secundum lucem in re visa, lux autem visibilis coloratum tantum occupat: Ratio autem cur spiritus subtilis & tenuis non videtur, etiam præsente lumine, est, quoniam est necesse quod res visa sit resistens visui, hinc ergo concludere possunt nonnulli, quod solis substantia non potest esse purissima, limpidissima, & perspicua in suo esse, sed quod opacitas & consequenter tenebrosa quædam conditio sine qua videri aut coloratum lucidum apparere nequit: Sic enim imaginem rei in aqua limpida Crystallo seu aere puro minime ob rationes antea allatas comparere videmus. Cui quidem dubio respondemus breuiter, ore ipsius Algazel loco antea allegato dicendo, quod nulla stellæ orbis pars visiuæ potentiæ obiecta luminisq; solis receptiua & retentiua sit, præter eius partem densiorē, quam ipsam stellam appellamus, sic quidem si solis substantia, vt est limpida & pura, fuisset dimensione quantitatiua tenuis, in eius superficie nullus appareret color, nulla species sphærica manifeste visibilis; at vero quatenus est ingens, quantitate & globosæ continentiæ, eatenus quidem lux eum magis reddit coloratum, quo profundius penetrat, & radiis congregatur suis, in globi corporis centrum, in qua forma videmus aquas, licet in sua substantia purissimas ac limpidissimas, & consequenter in parua quantitate nullam obiecti luminosi impressionem capientes, ob densitatem nihilominus suam & profunditatem effigies astantium recipere, (vti etiam in Narcissi historia legitur) testatur experientia. Dicimus igitur, quod profundum corporis solaris centrum sit in primis tenebrosior corporis totius pars, vnde sequitur, quod ob profunditatem suam locus ille magis resistat aspectui spiritus lucidi eum intuentis: deinde quod radii vndique inuisibiliter per corporis sphærici margines dispersi, & ferientes simul in centra, quasi multitudo in centro seu vnitate concurrentes, ista vnione non modo fortem reflexionem, vnde calor solaris, verum etiam lux visibilis & aspectu iucundissima: Sic etiam à congregatione partium ætheris inuisibilium, dicunt corpus stellare visibile procreari, atque etiam ab aere inuisibili passiue nubes visibiles, & ab actiuiori eiusdem cōsistentia fulgura & cometas visibiles, imo vero & ignis terrestris flammam. Hinc ergo dictum est Apostolo, *quod per fidem debeamus credere, quod visibilia fuerint prius à rebus inuisibilibus.* Sic etiam Deus aerem igneum induens, dictus est ignis consumens, & sapientia luce solari clarior. Hoc etiam & vulgaris speculi ardentis praxi confirmari videmus, quod omnes in circulari sua superficie radios solares ad sui centri vnitatem contrahens, illos de insensibili & vix visibili natura, in effigiem ignis visibiliter vrentis reuelat, atq; procul radium illum reflexione vehementi dirigens, ita domus & oppida è longe incendio isto destruit. Hæc ergo est lucis istiusmodi visibilis à sapientiæ inuisibilis radiis in disco solari procreandæ & contrahendæ ratio, mediante quo opere lux spiritualis, & inuisibiliter per vastum mundi spiritū expansa, visibiliter in colorato perspicuo, se prodit ad corpora visibilia in semitis suis dirigenda atque gubernanda: Et certe complures tam à sacro fonte quam philosophis recensentur huius lucis visibilis vtilitates. Nam in literis sacris scriptum legimus, quod eius vultus splendidus, atque aduentus in mundum post tenebras nocturnas gaudium, & solatium, atque motum præbeat creaturis, spiritus lucifugos expellit, & reprimit eorum violentiam, quemadmodum viceuersa eius absentia tristitiam & horrorem, & à motu ad quietem & torporem inclinat. Hinc igitur legimus, quod vt apud sapientem habemus, *sole quid lucidius? Eccl.* 17. ita eius præsentia non modo brutis verum etiā ipsis hominibus admodū est grata atq; vtilis, *Sol inquit Propheta ortus est, & congregati sunt catuli leonum, &c. Ps.* 104. 22. Et alibi, Exor-

bi, *Exorto ſole quid facit beſtia? quid homo?* Et in alio loco habemus, *Solis ſplendorem imperaſti quarto die ad ſeruiendū homini futuro, 4. Eſdr. 8.* Et alibi, *Solem creauit Deus in miniſterium cunctis gentibus, Deut. 4.* De eius autem abſentia ſic loquitur. Geneſis: *Sole occumbente horror inuaſit Abram, Gen. 15.* inde arguens, quod abſentia ſolis eſſet tempus maxime aptum pro horrore & timore. Porro etiam ſolis lux non modo terræ verum etiam cælis eſt ornamentum eximii pretii, de cuius ſplendore intelligitur vbi dictū eſt, quod cælos ornauerit ſpiritu ſuo, ab hoc ſpiritu ſolem primitus animante omnia corpora cæleſtia, tā erratica quam fixa, formoſos ſuos ſplendores præcipue acquirunt, quamuis Ciceronis ſit, atq; etiam quorundam aliorum opinio, ſtellas omnes, vnica tantummodo excepta, luna videlicet, proprium ſibi lumen & ſplendorem vindicare: tamen alii Philoſophi rectius ſentire videntur, videlicet quod ſtellæ aliæ, & præcipue planetariæ, non habeant lumen ſibi appropriatum, ſed eas ſimul cum Luna à Sole accendi atq; illuminari volunt, ſic etiam obſeruamus, quod tametſi terra habeat more corporis lunaris animam, ſuo corpori appropriatam, tamen illuminatur diurno tempore à ſolis ſplendore, atque ab eo occulto more exagitatur: atq; hinc haud inconſulte vocauit Heraclitus Solem cæleſtis lucis fontem, & alii volunt quod dictus ſit ſol quaſi ſolus, ꝙ ſolus ex omnib. ſtellis ſit tantus: Si ſolē (inquit Heraclitus) è mundo ſuſtuleris, quid eſt noſtrum corpuſculū ſi deſit anima? nulla ibi detrectatur vena pulſatilis, ſenſibus nullum ineſt iudicium, nullus in eo vitalis halitus, aut vlla ſpiratio, atq; hinc eſt ꝙ à nonnullis *Sol cor cœli* nuncupatur, quoniam ſicut in corde vnus extat cor ſanguinis cætera humani corporis membra humefaciens & irrigans, motumq; vitalē infundens: Sic in ſole videtur eſſe omnium rerum tam inferiorum quam ſuperiorum vegetatio & conſeruatio, quoniam vitam & calorē ſpirat lumine ſuo: vtpote quod definitur eſſe actus ſimplex, cuncta ad ſe viuifico calore conuertens, cuncta permeans entia, qualitatesq; eorū virtutesq; ducens per omnia, ac tenebras caligínesq; diſpergens. Quare in medio videtur Apollo cœli throno coruſcante inſidere, coma aurea, & glorioſo more fulgente, atq; influentias ſuas lucidas cæteris mundi creaturis tam cæleſtibus quam terreſtribus impertire. Sed & hoc paucis, & quaſi verbo expreſſerunt Platonici, aſſeuerantes mundi animam in ſole includi, &, vti textus ſacer habet, *lux illa omnia viuificans poſuit tabernaculum in ſole*, qua à mundo ablata neceſſe eſt vt ille cum ſuis creaturis ſit protenus inanimis factus, & in illud recedat nihilū, à quo prius fuit factus: nam ab illo *verbo lucido omnia ſunt facta*, (vti D. Iohannes ait) *& ſine eo nihil.*

Hinc Academici ad exemplum ſolis iſtius ſupremi agnoſcunt, ſolem mundanum eſſe vnicum in ſe, h.e. in eſſentia & lumine, at vero nihilominus multiplicem eum faciunt in radiis, ad exemplum (inquam) primæ eſſentiæ, quæ eſt vnica & ſimpliciſſima in ſe, diuiniſſima & immobilis, eſt tamen multiplex, quatenus diſſeminatur in ſuis creaturis, & quemadmodum retrahente ſole radios ſuos in ſe, omnia ſunt tenebroſa, pariter ſole diuino auertente faciem ſuam res omnes perturbantur, & in ſuum nihil reuertuntur, vti in Hiſtoria de mundi Harmonia legitur, ſed & hoc expreſſo ſermone haurimus à ſacro fonte, quod *ſapientia ſit ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, ſimplex, multiplex, omnem habens virtutem &c. Sap. 7.* Vnde nos docent, quod licet in ſua eſſentia ſit vnica, tamen multiplex ſit reſpectu radiorum quos vndiq; & in quolibet huius mundi ſubiecto diſpergit, ſine quibus nihil exiſtit ꝙ etiam in eo confirmat, quia dicitur omnem in ſe virtutem continere, vtpote in cuius eſſentia conſiſtit vita cuiusq; rei, *in eo eſt vita, &c. Ioan. 1.* ſuper quod fundamentum Orpheus opinionem ſuā fixit, quod omnia eſſent Diis plena, ſed hos omnes Deos quaſi vnius eſſentiæ radios multi ad vnicum illū magnum Deum Iehouam ſeu Iouem retulerunt. Pro reliqui prædicti ſermonis confirmatione à Pſalmiſta regio hoc ſcriptum habemus; *Deo à creaturis abſcondente faciem ſuam conturbantur ipſæ, recipiente ſpiritum eorum, h.e. formam illā vitæ lucidam, expirant & in puluerem ſuum h.e. nihilum reuertuntur, emittente ſpiritum ſuū recreantur bono, Pſ. 104. 34.* Vnde liquet, quod vt radii lucis diuinæ ſeu ſolis inuiſibilis ſunt vitæ actus, quos etiā à ſolari templo ſuo impluit creaturis liberaliter, ita quidem neceſſe eſt, vt ablatis illis ſubito creatura in nihilum reducatur. Deniq; eſt adhuc & alius lucis iſtiuſmodi ſolaris mundani vſus, videlicet vt tempora in ſuas diuiſiones & ſubdiuiſiones diſtinguat: Vnde ſcriptum eſt, *quod ſole facto ſeparati ſint dies, lux & anni à domini ſcientia, cuius præceptū cuſtodiunt, & per Dei ſapientiam diuiduntur, Eccl. 23.* Sic etiam dictum eſt de ſapientia, *quod det notitiam, principii, finis, & medietatis temporum, ſolſtitiorum mutationum, varietatum temporum, & anni circuituum, &c. Sap. 7.* A ſolaris lucis actu & viuacitate, quippe cuius anima, ſapientia nempe (teſte Salomone) eſt omni mobili mobilior, *Sap. 7.* generatur motus, cuius virtute oritur & occidit Sol, vt inde tam dies quā nox pro hominis beneficio in mundū inducerentur. Hunc aūt motū à luminis actu procreatū, nam verbū Dei lucidū eſt actor primus tā in motione ſolis, quā reliquarum creaturarū, lux n. agit, & actione motū in natura producit, qui tum poſtea eſt caloris parens omnia generans, fouens, atq; nutriēs, vti infra latius: hinc ait ſapiens: *Solem qui fecit magnus eſt Dominus, in ſermonib. cuius feſtinauit iter, Eccl. 43.* inde indicans, quod nō ſolū creatura ſol, verbo & ſermone Dei omnipotentis ſit creata, ſed ēt ab eo vitā, quæ eſt lux, atq; motū, qui eſt effectus lucis agētis, accepiſſe videtur, intimare dicta verborū ſeries: imo vero vt ſpiritus ſapiētiæ occultus eſt ſolis ipſius anima, atq; formoſitas deorſū à porta lucida Cabaliſtarū *Tiphereth* emiſſa: ita quidem ad motū iſtius vaſis, quod eſt opus admirabile excelſi, regitur, viuificatur atq; mouetur, & gubernatur ſpiritus vniuerſus mundanus, non aliter quā tota ſpiritus & corporis humani moles ab ignea cordis virtute

incita-

incitatur, ad voluntatis appetitũ perficiendum, vnde dicit Salomon quod solis cõuersione aer circũeuns properet, & secundum circuitus suos reuertatur, *Eccl.1.* Atq; hinc inde oritur, quod venti dicuntur infantes Titanis, Astrææ, & Auroræ, quatenus à motu & calore solari geniti, vt Aristoteles ipse ait, at ventos definimus esse aerem agitatum. Quod autem motus hic solaris tam diurnus & raptus, quam naturalis sit à spiritu vnico multipliciter operante, in eo docemur, *quia ab eo & per eum sunt omnia*, vti testatur Apostolus, qui ad mundi viuificationem voluntarie agit in primo eius mobili, ad motum cuius rapitur solaris sphæra cum cæteris omnibus ab ortu in occasum iuxta illud Dauidis: *Sol vt sponsus procedens à thalamo suo, exultabit vt gigas ad currendam viam, ab extremo cœli egressio eius & occasus eius vsque ad extremum eius, nec est qui se abscondat à calore eius, Ps.19.* atque in hunc etiam sensum dictus est sol alibi cognoscere occasum suum. At vero corpus hoc cæleste habet alium motum sibi appropriatum, quatenus est creatura peculiaris in animali magno: sic videmus hominem voluntate, tanquam primi motoris effectu, & quasi primo in Macrocosmo mobili vniuersam creaturæ massam huc atq; illuc rapere, cum tamen nihilominus cor in eius centro peculiarem suum & sibi ipsi appropriatum habeat motum, videlicet in systole & diastole, præter voluntatis motionem, & tamen à voluntate mentis creantis dependente; ita etiam & Sol quatenus est corpus, ita etiam per resistentiam suam lente mouere cernitur contra motum primi mobilis, videlicet ab occasu versus ortum, quo eius motu anni spatium metimur, atq; delineamus, atq; in hoc suo motu dicitur ab aquilone ad meridiem & iterum à meridie Aquilonem versus flectere à Salomone, *Gyrat* inquit ille *per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, &c. Eccl.1.* ac si dixisset, vadit Solstitium brumale seu tropicum Capricorni versus, & reuertitur ad solstitium æstiuale, seu tropicum Cancri, quo motu completur annullaris anni circuitus.

Deniq; vt motus est proximus & immediatus luminis emanantis effectus, ita etiam calor tanquã effectus immediate procedit à motu, quemadmodum in ferri aut rei duræ contra rem aliam duram frictione explicatur. De calore ergo solari habemus succincte discurrere, vtpote motu immediate subsequente. Ecclesiasticus triplicẽ videtur soli attribuere proprietatem, videlic. exurere, reflexione radios igneos exufflare, & radiorũ suorum refulgentia occæcare cœlos, *Eccl.43.* Ad calorem vero ab eius motu prouenientem certissimum est eum prouenire vel immediate à solari natura, vtpote cuius est radicaliter radios igneos exufflare à suo corpore, non aliter quam afflatus calidos ex ore animalis egredi cernimus: Vel ob variam radiorum ipsius contra terram vel nubes reflexionem, pro varietate eius angulorum rationes resistentiæ cum in vehementia tum in debilitate efficientium. Nam radii directi & orthogonaliter ferientes, fortiores in calore effectus ob resistentiã producunt fortiorem; hinc legimus verbis expressis, quod *Sol in meridiano vrit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit subsistere? Eccl.43.* Quibus intelligimus, quod quibus sol est in meridiano seu cœlo medio, præcipue cum transit prope tropicum cancri, illis vehementiorem profert calorem, quoniam radii eius magis perpendiculariter feriunt: porro etiam vbicunque solis radii feriunt in æstiuali spatio, siue ab ortu ad meridiem, siue ab illo puncto occasum versus, valde vrit, quod fit propter perpendicularitatem radiorum, cum climate. Sic dictum est, quod sol exortus super florem, cum ardore, arefacit fænum & flos eius decidit, *Iac.1.* Et alibi Sol dum cras incaluerit vobis erit auxilium, &c. *1.Reg.11.* Vnde patet, quod solis calor adest creaturis quandoq; in beneficium, & nonnunquam in pænam, quippe qui est opus gloria Domini plenum, qui agit vel beneuole vel seueriter secundum suum beneplacitum, sed præcipue vt homini inseruiat, ob cuius beneficium & vsum cætera sunt creata, vnde scriptũ est: *Solis splendorem imperasti quarto die, ad seruiendum homini futuro: 4.Esdr.6.* Hinc est quod sol in potestatem diei sit productus, vt Psalmista ait: *Psal.136.8.* vbi per diem vita intelligi potest, tam in Macro quã Microcosmo, quemadmodum viceuersa pro nocte & tenebris mors, & priuatio; nam princeps tenebrarum est vitæ destructor, vt imperator lucis est vitæ author & creator: atq; ob hanc causam sol dictus est à Philosophis fæcundus, atque generandi res plures plenus, & quamuis habemus multas virtutes viuificas, à cæteris stellis & planetis, tamen hoc nihilominus fit per potentiam solis, qui illas suo semine & virtute viuifica calefacit: nam Philosophorũ præstantissimorum est, Solem esse quasi gallum cælestem, vtpote qui grauidum reddit cælorum exercitum, quia corpora cælestia sunt quasi gallinæ, quatenus semen & virtutem generabilem & calefactiuam non aliter recipiunt à Sole, quam gallinæ suum à gallo, simili inquam modo hic ætheris gallus vndique communicat & dispergit lucidam vitæ & generationis virtutem, tanquam diuinitatis seminaria beneuola (quæ diuinitas dicta est à Merc. Trismegisto vtriusq; sexus fæcunditate abundanter plena) in corpora stellaria, tanquam matrices conditionis variæ, & consequenter naturas varias in terram impluentes, secundum stellarũ proprietates. Nam hoc certum atq; determinatum esse debet, quod vt Deus author lucis, & omniũ actuum & motuum atq; calorum ab ea scaturientium est vnicus & simplex, in se tamen varieformiter operari solet, pro diuersa recipientis ratione, sic sperma hominis in matricem vaccinam, caninã, equinamue proiectum, varios producere obseruatur effectus: Sic etiam ait, Nouum Lumen, quod natura est simplex & semper idem, sed omnis alteratio est respectu locorum in quibus operatur vniformiter in suo esse, at varieformiter respectu varietatis receptionis; ignem itidem varie agere notamus respectu varietatis resistentiæ recipientium.

Inter

Inter has autem matrices cœlestes luna est illa communis quæ tam immediate à sole, quam mediate, hoc est, immediate à superioribus stellis seminaria recipit, eaque vndique tam aeri quam aquæ & terræ distribuit, est enim matrix communis omnium in genere stellarum. Concludunt ergo Iamblichus & multi alii, quod Phæbo, aurea coma fulgenti, & tanquam regi, mundi sceptrum & gubernaculum tenenti, omnes cœlestium virtutes insint, Et Proclus testatur, quod ad solis aspectum omnes omnium cœlestium vires congregentur in vnum & quasi colligantur, quas tandem in hunc mundum inferiorem per ignea spiracula credimus disseminari. Nõne etiam quotannis experientia, sole ad nos vergente terram herbescere atq; pubescere, perpendiculariter supereminente, admodum calefacere & maturare versus quartam brumalem properante & abeunte, plantas & herbas deflorere atque morbo quasi indies magis magisque languescere comprobatur. Quod omne videtur ipse facere, mediante calore suo benefico, qui vel pro sua temperantia fouet & viuificat, vel pro sua inclementia destruit & adurit, vel denique sua absentia res tam vegetabiles quam animales ab ipso viuificatæ, frigoris torpore languescere & stupescere animaduertuntur. Iuxta hunc etiam sensum dicit Plato, Quod Sol sit cœlestis ignis, omnia decoquens suo calore, quæ ad magni animalis mundani cibum pertinent, vbi per cibum intelligit mundi creaturas, quibus implere voluit mundum ad sui præseruationem, quæ concoctione solari ad perfectionem & maturationem perducuntur, cuius verbis astipulari videntur literæ sacræ, vbi dicitur, quod Sol fornacem custodiat, in operibus ardoris, id est concoctionis eorum, quæ in mundo sunt, Imo vero eius radii calore mixto tam efficaces & penetrantes sunt, vt ad terræ vsque viscera descendant, ibique inprimis metalla coquit & perficit, quæ tum postea ignis ille elementaris suo examine purificat expurgatque. Ob hanc igitur viuificam eius dispositionem virtutemque beneficam, antiqui eum medicinæ inuentorem finxerunt, & quatenus est vitæ parens (nam calore suo omnia generat) ita à Platonicis dicitur *anima mundi*.

Concludimus ergo, quod vt Iehoua sit in sua proprietate, tam ad seueritatem quam clementiam pronus in sua porta lucida *Tiphereth*, vtpote quæ proprietas est in medio inter *Ehieh*, Pater seu caput clementiæ, & *Adonai* ad seueritatem, tamen pronior est ad vitam quam interitum, & nihilominus, cum nihil sub sole sit immortale, necesse est quod vt creatura viuificis vitæ radiis à tabernaculo in sole mortalibus ad eorum conseruationem datis generatur & conseruatur, ita quidem eorum defectu vel igneo & iracundo aspectu corrumpitur & perit, seu potius resoluitur. Sed & hoc Merc. Trismegistus eleganter sic confirmat: Omnium corporum augmenta decrementaque Sol & Luna sortita sunt; hæc ille, non quod creaturæ hæc in se præstare soleant, sed quatenus sunt organa, per quæ Deus talia facit.

At iam ad honorem & dignitatem eius describendam progrediemur, quam sapiens luculenter exprimit in his verbis, *Sol illustrans omnia opus est Domini, plenum gloriæ eius* : *Eccl.* 43. Vnde & alibi eum vocat admirabile vas & opus excelsi, vtpote in quo teste Psalmista, regia illa vitæ lux, *posuit tabernaculum suum, Psal.* 19.4. hoc est, ei loco animæ corpori inest; à quo secundum communes naturæ creatæ leges vitæ beneficia in circuitu creaturis mundanis distribuit liberaliter & opipare, quippe *in verbo erat vita, & illa vita lux mundi*, vt D. Ioannes nos docet; Similiter hoc verbum firmauit cœlos, & spiritus eius omnes vitæ virtutes in lucem produxit, qui spiritus, quamuis non sit inclusiue in vase solari, tamen vas istud admirabile abundat eiusdem præsentia, & gloria, vnde dictum, vitæ, vegetationis, atque augmenti non modo cælestibus verum etiam & terrestribus corporibus largitor atq; distributor: quare ob præcellentem suam gloriam & dignitatem, atque in cæteris creaturis ob eiusdem dominium dictitatur à Platonicis Rex atque Imperator, mundi sceptrum & gubernationem tenens, tum scilicet, quoniam coma fulgenti & aurea in throno gloriæ visibilis sedere videtur, tum quia omnes virtutes cælestium ei inesse nos ab ipsa experientia docti animaduertimus. Nonnulli nobilitatem subiecti aliter nobis innotescere gestientes, & præcipue Orpheus & alii ex Platonicis, eum imitantes, illud sidus *mundi oculum* esse dictitarunt, quippe quo nihil est in mundo oculatius; vtpote in quo tanquam lucidissimo speculo cuncta videntur, atque è tenebris in lucem producuntur, & aspectui creaturæ se præbent. Alii aliter solis laudes & dignitatem exprimere gestientes, illum *cor cœli* appellauerunt, hocque minime insulse quidem: Nam, inquit Heraclitus, Si solem è mundo sustuleris quid est nostrum corpusculum, si desit anima? nulla ibi tractab tur vena pulsatilis, nullus in eo vitalis halitus, nulla denique per vniuersum corpus humanum vis motiua, viuifica, aut naturalis, sic quidem in sole tanquam Macrocosmi corde videtur omnium esse Microcosmi membrorum tam superiorum quam inferiorum motus, vegetatio, viuificatio, atque conseruatio, quoniam vitam & calorem more diuinæ vnitatis, vel, vt dicam à centro seu puncto suo medio, seu luce increata, centraliter eum inhabitante, informante, & vitæ radiis exornante, mediante lumine suo creato, seu spiritu potius illuminato spirare solet, & quidem ratione eius, quæ eum inhabitat, diuinitatis nihil est in mundo visibile, quod imaginem Dei vnius atque trium personarum in vnica essentia repræsentet, quam est vas hoc egregium, diuinę glorię plenum; nam in integra sua essentia quasi corpore, patris iconem habet, in emissis radiis filii, atque in effectu vtriusque videlicet calore

viuifico,

viuifico, spiritus sancti, à quo omnes vitæ dotes oriuntur; vnde factum est, quod Dionysius cum Platonicis Solem vocat visibilem statuam seu imaginem DEI, & Iamblichus, imaginem diuinæ intelligentiæ. Porro etiam Academici illi agnoscunt esse vnicum in se, hoc est in sua essentia & luce, & nihilominus multiplicem in radiis, ad exemplar emanationis increatæ, quæ vnica est in se, at vero multiplex esse dicitur, quia radii eius vndique per mundum in creaturis disseminantur. Simili etiam ratione sapientia, quæ est sole lucidior simplex est & vnica, in sua natura, at vero respectu multiplicis communicationis dicitur à sapiente multiplex, *Est inquit sapientia spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus seu simplex, multiplex Sole & luce pretiosior, & supra omnem stellarum dispositionem luci comparata inuenitur prior, Sap.7.* Ob hanc igitur rationé Chrysippus obseruare videtur Solem Apollinem nuncupari ab α id est sine & πολὺ multitudine, quippe qui solus est, qui syderum & cœlorũ virtutẽ in sua potestate videtur habere. At vero Speusippus Platonicus ait, Solem ideo Apollinem vocari, vtpote cuius vis consistit ex pluribus ignibus, nam in eo solo radicitus reconduntur omnium syderum vires lucidæ, ita vt stellæ aspectus nihil facere & ad exitum perducere possint, quousque lucido Apollinis semine grauidæ sint factæ; atque hinc cælorum gallus dictitatur, quibus indicatur, quod in effectu Apollo sit tam vnus quam multiplex, atque ita ambo illi philosophi in vnum reconciliari possunt. Atque latini vocant Solem quasi Solum lucentem vt aliqui volunt, Et Assyrii *Adad*, quod etiam lingua eorum solum significat, Hebræi *Semei* quod propriũ interpretari potest, eo quod lux & lucis virtus ei sit propria: At vero vt Apollo quasi vt solus dicitur, ita etiam Phæbus alio aspectu in cælis nuncupatur, videlicet à specie & nitore eius: In terris Vulcanum eum vocant. Denique est visibile DEI inuisibilis, seu spiritus intelligentiæ sancti tabernaculum, ad sui creatoris seu Domini imaginem factum, gloriæ Domini creantis plenissimum, sed minime pro Domino illud incolente adorandum.

Hinc igitur ad solem Orientalem nos conuertimus in orationibus nostris non vt ad statuam seu imaginem, sed dominum increatum, ad cuius imaginem est ipsa facta, in eo habitantem & ex eo beneficia naturæ creatæ necessaria liberaliter impluentem, quem vnum colere & reuereri debemus, cui sit summa gloria & summa laus, & pro tota mente humana adoratio in secula seculorum.

Hinc ergo patet, quod opus hoc excelsi admirabile sit creatura, quod obedientiam suam humiliter præbeat suo creatori seu domino, non modo in vase hoc suo gloriam mundanis abundanter indicanti, sed vbique præsentialiter existenti, quo eorum Philosophorum error lucide reuelatur, qui lucem hanc æternam in sole exuberanter inhabitantem, necessario seu necessitate in natura agere, strenue defendunt, obedientiam autem solis ad sui domini mandata obseruanda tripliciter perfici legimus, videlicet vel suo officio & motu directo, & secundum naturæ leges, retrogrado, & contra naturæ ordinem, vel quiete, vel in laudibus suum creatorem celebrando atq; gratias ei ingentes impendendo, pro gloria illa, qua supra alias creaturas mundanas est præditus. Obedientiã suam in motu suo directo in his dictis explicat: *Solem qui fecit magnus est Dominus, in cuius sermonibus festinauit iter, Eccl.43.* Porro etiam officium suum in illuminando & calefaciendo obedienter perficit, iuxta voluntatem sui creatoris: Nam vti *Sol creatus est in potestatem diei*, vt Propheta vult, *Psal.136.8.* vel *in ministerium luminis cunctis gentibus sub cœlo* vt alibi habetur, *Exod.4.* ita dictum est, quod *Sol vt sponsus procedas de thalamo suo*, hoc est ab ortu *exultauit vt Gygas ad currendum viam suam, à summo cœli egreßio eius & occursus eius vsque ad summum cœli, nec est qui se abscondat à calore eius, Psal.19.5.* quibus explicatur eius obedientia, tam in officio illuminandi, quam motu suo diurno & directo mouendi ad voluntatem eius, qui circumrotat primum mobile, atque etiam proprietate calefaciendi: Sed & obedientia eius in officio suo calefactionis, iuxta velle sui domini in eo explicatur, quod scriptum est, *Sol per diem non vret te. Psal.121.6.* Et alibi in effectu contrario, *Sol in meridiano exurit terram, in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere*, vnde manifestum est, quod creatura hæc pro placito sui domini quandoque vrit, suo calore, & nonnunquam benefice agit, & viuifice, absque ardore & arefactione, atque hoc modo vidimus, quomodo solaris hæc creatura creatoris sui placidis obedit in officio suo, secundum ordinarias naturæ creatæ leges. Porro etiam mandatu diuino extra & plane contra ordinarias naturæ leges agere videtur, vnde quandoque voluntate DEI retrogreditur contra ordinatum eius in motu suo diurno progressum, & quandoque plane per spatium vnius diei integri more fixo stetisse legimus, *Iosuæ 10.* Et alibi, *Interdicente DEO Sol non oritur, stellas quoq; signat, Iob.9.7.* Pro eius ergo in priori obedientia dicitur in sacra pagina, *Solem stetisse in medio Cœli, & non festinasse occumbere spatio vnius diei: Iosu.10.* In vltimo legimus, *Solem decem lineis reuersum esse, per gradus quos descenderat in horologio diebus Hezekiæ regis, Isa.38.* Denique quod hæc creatura gloriosa, spiritu intellectuali sit prædita, non aliter in sua mole, quam homo pro sua non est dubitandum, quoniam, vt in huius faciem inspirasset vitæ spiraculum, ita in illo nempe sole posuit tabernaculum, quare euidens est, quod vterque eorum est templum spiritus sancti, atque consequenter tam in voluntate atque possibilitate est solis, & quæ à sole per spiritum incorruptibilem animantur laudes suo creatori effundere quam in illa hominis. Hinc inquit Psaltes, *Laudate Dominum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen, Psal.148.3.*

Sic illi tres in fornace ignea ex vno ore DEVM glorificantes dixerunt, *Benedicite Sol & Luna domino, laudate & superexaltate eum in secula*, sic etiam & alibi dicitur, quod *Sol cognouerit occasum suum*, *Psal.* 104, 19. Ex his ergo paucis colligere fas est, quanta sit creaturæ istius solaris obedientia, erga suum creatorem, vt homo, vas etiam in sua creatione excellentissimum, sed natura peruersissimum, obedientiam & officium suum iuxta creatoris sui voluntatem præstare gestiat, & summo conamine nitatur, vt more solari in tali gloria, quali creatura Solaris iustitia sua coruscat, namque iuxta illud Euangelistæ, *Solis instar fulgebunt iusti in regno patris eorum*, sic enim credimus Adami viuentis in Paradiso effigiem ante lapsum vndiq; fuisse fulgentem, splendidam, & luminis diuini gloria in ipso habitantis coruscantem, vtpote vas proprio Dei lucis patris digito efformatum: nonne legimus, tabulas lapideas digito Dei inscriptas, & Moysi commissas, fulgore saphyrino coruscasse oculis intuentium? Sic etiam & Moysis faciem (etiam mortalitatis macula commaculati) ita lumine excelluisse legimus vt absque peplo seu velo Israelitæ faciem eius intueri nequirent, multo magis Adam mortalitatis labe & macula minime ante eius inobedientiam contaminatus.

Denique ad solis passionem jam peruenimus, qua eum pluries in huius mundi seculo fuisse affectum, non modo à sacris scriptis verum etiam authorum fide dignorum authoritare colligimus: *Sol obtenebratus est in ortu suo* inquit Propheta, *Isa.*13. Et alibi, *Sol tuus non occidet vltra, quia erit tibi Ierusalem Dominus in lucem*: *Isa* 60. Atq; in Ioel reperimus, quod *Sol conuertetur in tenebras antequam venerit dies domini magnus, & horribilis*, *Ioel.* 2. Et alibi, *Sol & Luna obtenebrati sunt*, *Ioel*, 3. vt loco illius *Sol Iustitiæ oriatur timentibus Dominum*, vti in Propheta Malach. habemus *Malach.* 4. Atq; in Ecclesiaste habemus, quod *Sol tenebrescet homini, lumen stellæ & luna*, *Eccl.* 12. Et in D. Matth. *Sol obscurabitur statim post tribulationem dierum illorum*, *Matth.* 24. Deniq; in passione solis primarii, seu potius in morte & passione tabernaculi ipsius, sol secundarius & cælestis amisit lumen suum, & obscuratus est, ac si deficiente vita tabernaculi sui carnosi, consensu inseparabili illud etiam cæleste mortem seu formæ lucidæ priuationem pro magno spatio sit passum, De qua quidē formæ seu vitæ solaris priuatione sic scribit Eusebius, *Anno 4 Olymp.* 202. *Magna & excellens inter omnes quæ prius acciderunt facta est solis defectio, dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versa est, vt stellæ in cœlo visæ sint, terræ motus etiam in Bythinia*, Hæc ille, similiter Lucianus Antiochus Martyr, existens in tormine suo, exclamabat hoc iudicibus infidelium & carnificibus, *Perquirite in annalibus vestris & inuenietis, temporibus Pilati Christo patiente fucato sole, interruptum tenebris diem.* Porro certissimum est & tribus rationibus confirmatum, passionem istam solarem fuisse admirabilem & miraculosam: atque super ordinarias solis defectiones in quibus Sol reuera non deficit, sed lunæ corpus inter aspectum eius & oculos nostros positum est. Ratio prima est, quia hæc passio facta est contra ecclipsium solis naturralium ordinem, vtpote quæ nunquam fiunt luna existente plena, & hoc est in oppositione eius Soli, at vero defectio ista Solis & quasi syncope immediate post luminarium oppositionem est facta. Secunda, quod pars solis orientem versus prius esset velata, atq; obumbrata, & eadem postea prius re illuminata, vnde & patet, vt contra communes naturæ leges accideret. Tertia (& quæ omnibus monstrosa & incredibilis videretur) quod in hora ecclipsis luna contra proprium suum & naturalem cursum videlicet ab oriente in occidente m moueret, cum eius motus naturalis esset ab Occidente in Orientem, ac tum immediate finita passione motu suo naturali itinerari animaduersa est. Quibus concludendum, etiam istam passionem & defectum fuisse verum, & secundum corporis Solaris naturam, & non respectu nostrûm, quæ reuera non est in sole passio, vti dictum est.

Atq; ob hanc causam passio seu defectio hæc erat vniuersalis, quod quidem illis à lunæ inter terram & eum interpositionem accidere non potest; Concludimus ergo ex his, quod in primo loco deficiente vita tabernaculi solis increati in terra, illud etiam in cœlo syncope quasi affectum, examime & forma lucida quasi priuari videbatur, ac si spiritus ille lucidus in vtroque subiecto templum & tabernaculum statuens, actum tam inhumanum & crudelem in odio habens, ab vtroque mundo per aliquod temporis spatium faciem suam lucidam auerteret. Videmus etiam ex his, quod corpus hoc solare sit creatura in voluntate DEI, vel ad vitam vel ad priuationem sui luminis subiecta, & consequenter DEVM iuxta stultam illam Peripateticorum assertionem necessàrio & quasi coactum in ordinario naturæ cursu minime in hoc mundo agere videmus.

Denique quod sol in vltimo die transfigurabitur à suo statu, & septies splendidior reddetur, in sua luce, hoc est, quod exuens vestes suas corruptibiles in naturam suam incorruptibilem & immortalem induet, atque transmutabitur, videtur inprimis ex verbis Prophetæ confirmari, *Lux* (inquit) *ipsa Lunæ erit vt illa solis, lux autem solis erit septupla*, *Isa.* 62. & luculentius hoc docet, quando alibi ait, *Sol tuus non occidet vltra, luna tua non minuetur, quia erit tibi Ierusalem Dominus in lucem*, *Isa.* 60. Cui ipsius sermoni Iohannes in Apocalypsi astipulari videtur, inquiens, *Ciuitas non eget Sole neque luna vt luceant in ea, nam claritas DEI illuminabit eam, & lucerna eius erit agnus.* Hinc inde declaratur, quod spiritus Sapientiæ erit omni solis aut stellæ claritate longe excellentior, deponendo creaturam solarem quam induebat, quando ponebat tabernaculum suum in eo, seipsum reuelabit in splendore & luce sua inaccessibili, cuius aspectum nemo mortalium in statu hoc mortalitatis intueri potest, at

cum

cum Iusti instar solis (vt D. Matthæus habet) fulgebunt in regno isto patris eorum, tunc eum videbunt exutis vestibus prout reuera est, atque ita *Alpha* conuertetur in *Omega*, principium cum suo fine conueniet, vti res inceperunt in vnitate, ita finem etiam habebunt in vnitate, à Deo sunt omnia & in Deum omnia reuertentur, quoniam *in ipso viuimus, mouemur, & sumus, Actor.* 17. 9. *Ex eo & in eo est vita omniū, Ioan.* 1. Ille erit omnia in omnibus tunc, cum Christus patris regnum obtinuerit, Ille est pater à quo omnia, at quale principium talis finis, Ille solus est, qui operatur omnia in omnibus, Ille est pater omnium qui super omnia & per omnia, & in omnibus; nam ille viuificat omnia, imo vero ipse non aliquo indigens dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. Denique ab eo & per eum & in eo sunt omnia, cui sit laus & honor in æternum, *1. Cor.* 15. *1. Corinth.* 8. & *2. Corin.* 5. *Ephes.* 4. 6. *1. Timoth.* 6. *Actor.* 17. *Rom.* 11. Et in hoc conuenerunt multi ex philosophis in mysteriis diuinis occulatioribus, inter quos Zoar dicit, omnia non sunt nisi vnum respectu DEI, respectu vero nostrum plura: Plato & Parmenides dicunt, quod illud quod existit, quatenus est in DEO, & procedit ab eo, non sit nisi vnum, Hermes in tabula sua Smaragdina dicit, sicut res omnes fuerunt mediatione vnius, sic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re adoptione: Et Proclus in problematibus suis Theologicis ait; vt omnes res procedunt ab vno solo ita etiam festinant illæ continuo ad illud vnum reuerti, Atque hæ res eo maiorem inueniunt pacem & concordantiam, quo propinquius accedunt ad illud, & cum eo participant.

Plato etiam in Epistolis suis sic loquitur, Res omnes ab altissimo procedunt, & ad illum iterum reuerti summa ope nituntur, vtpote in quo consistit finalis ipsarum quies, & essentiæ præsidium, atque ita in cæteris.

Quibus confirmatum habemus omnia esse reuera non nisi vnum, plura vero imaginatione hominum vulgarium, quorum est, ea quæ more externo apparent, respicere, quæ videntur esse & nihil rei veritate sunt (& non centralia quæ minime videntur, & tamen ipsa veritas atque vnum sunt, atq; idem) non aliter, quam radii infiniti sunt eidem corpori seu essentiæ solari continui, & ab identitate solis nulla ratione diuisi.

Quare certum est, quod quamuis creaturæ solari actum viuificandi & vitæ, calefaciendi, & maturandi, multiplicandi atque illuminandi, fouendique attribuunt mundani, atque quandoque scripturæ sacræ sermone vulgari loquentes, effectus ei & aliis creaturis attribuunt, tamen reuera loquendo, Deus in suis creaturis hæc omnia, quæ fiunt operatur, cui creaturæ solummodo organorum loco ad effectus tales producendos inseruiunt; verbi gratia, non dicimus fistulam fecisse hanc vel illam harmoniam, vel gladium hunc vel illum vulnerasse, sed flatorem vel musicum, aut militem, vel hominem quempiam alium vulnerantem, nec etiam currum hunc talia pondera in ciuitatem transportasse, sed equos, nec corpus humanum hoc vel illud reuera facere est dicendum sed internum agens, quasi primus motor qui illud ducit, pro velle & placito suo, nec speculum res è longinquo vrit, sed radii à sole emissi, nec emittit sol radios suos, sed ille qui solem informat, viuificat, atque ab ortu in occasum, & iterum ab occasu in ortum rapit, & iterum ipsum ad mandata sua perficienda fixum reddit.

Quare DEO reuera attribuendi sunt actus angelorum, stellarum, & omnium aliarum creaturarum, quippe *à quo viuunt, mouentur & sunt*, vti Apostoli cum Poetis in hoc conuenientes affirmant, *Actor.* 17. Et si dicas DEVM nihil mouere ad malum, respondeo, quod si actum aliquem alium primarium DEO coæternum assignare potestis, atque ita non DEVM vnicum, sed duos DEOS sibi coæternos, tuæ obiectioni fidem fortassis aliquam adhibere liceat, sed de his infra lucidius.

Cap. VI.

In quo disceptatur, An stellæ aliæ tam fixæ quam erraticæ præter solem à sole ortum habuerint, vtpote cui assignatur officium, eas omnes luce adornandi: & quod sydera ordinario mundi & naturæ cursu mouentur & animantur à sole, vnde Astrologi iudicium.

QVod autem quælibet stella seu quodlibet sydus non sit à sole procreatum, sed à verbo pariter cum ipso sole, luculenter à sacro contextu pluribus in locis docemur. *Stellæ*, inquit Antistes ille, *in verbo Domini sunt fundatæ, qui & nouit numerum eorum*, 4. *Esdr.* 16. in alio loco, *Fecit DEVS duo luminaria magna, maius scilicet vt præesset diei, & minus vt præesset nocti, Genes.* 1. & fecit cæteras stellas, & alibi, *Crea-*

bi, *Creauit DEVS solem, lunam, astra & alia in ministerium cunctis gentibus sub cœlo, Deut. 4.* Non dicit, quod Solem verbo creauerit, & tum postea stellas cæteras à sole, sed verbo suo, secundum propriam suam ordinationem & voluntatem creauit solem, cum cæteris separatim, vnde & earum quamlibet ab alia figura, proprietate, atque situ diuersam fecit, vnde factum est, quod stellarum numerum supputauerit; & quotquot sunt nominibus vocauerit magnus Dominus noster, & multis viribus ac virtutibus: Quibus innuere videtur Propheta, quod varia iis nomina à proprietate & virtute varia assignaret, hoc in eo persuademur, quoniam in verborum concatenatione ait, *magnus Dominus noster & multis virtutibus.* Sic etiam Adam bestiis terræ atque volucribus cœli nomina fertur imposuisse, non friuola procul dubio & inania, sed proprietati cuiusque conuenientia; quibus admonemur, omnes stellas in cœlo distinctè à sole, & tamen eodem die, imo vero & momento quasi fuisse creatas, non aliter quam terra & quælibet vegetabilium & animalium species, licet ab inuicem distincta, quarum quæ animam & corpoream existentiam à cæteris distinctam à conditore summo acceperunt, in cuius solo verbo est vita & existentia cuiusque rei, & quemadmodum videmus, quod terra interpolatim & vicissitudinibus illuminetur, à facie solari, vnde dies in quolibet hemisphærio procreatur: ita quidem & lunam suam augmentationem & diminutionem à Solis splendore accipere quotidiana docemur experientia, at vero tam terram quam lunam etiam absente lumine solari per se & in suis propriis naturis existere constat.

At hic tandem quæstio duplex oriri potest: an omnes in Cœlo stellæ lumen visibile à Sole recipiant nec ne? & tum postea, Vtrum alteretur & fortificetur stella aliqua in sua actione seu influxu à Solis aspectu vel virtute lucida? Ad vtramque simul dicimus (vt antea à nobis est relatum) quod Cicero & alii stellis omnibus, vna tantummodo excepta, lumen & splendorem proprium assignant, at maior philosophorum turba vult, stellam proprium lumen & decorem minime in sua creatione habere, sed eas à Sole accendi atque illuminari dictitarunt, quare Solem vocauit Heraclitus cœlestis lucis fontem.


At vero quod ad opinionem nostram attinet dicimus, aut hanc vltimam Philosophorum falsam & incongruam videri, aut Historia illa ab Eusebio de vniuersali Ecclipsi Solis est à veritate longinqua & fabula mera, in qua narrat, diem in tenebrosam noctem fuisse versum, adeo vt stellæ in cœlo fuerint visæ. Si ergo hæc Ecclipsis esset illa vniuersalis passionis domini nostri Iesu Christi in illa ipsa hora, vti ipse inferre videtur, in qua nulla erat lunæ interpositio, sequitur quod vera hæc fuerit luminis solaris defectio, & consequenter, qui nihil in se luminis habebat, aliis pariter deficientibus lumen dare non poterat, at etiam in eadem defectione stellæ lucidæ se oculis hominum demonstrabant.

Vtcunque verisimile est, quod quamuis nonnullæ stellarum scintillas lucis ad suum ornamentum in creationis suæ instantia habuerint, tamen splendorem notabilem atque egregium, à solaribus radiis, nulla defectione propria repressis, accipiunt, non aliter quam in globo terræ ac luna videre licet; at vero quoniam summa cuiusque rei actiuitas maior aut minor in lucis suæ augmentatione & diminutione cernitur, certum est, quod quælibet stellarum erraticarum, imo vero & fixarum vis atque virtus, aut coniunctione radiorum, aut oppositione, aut trino, quadrili, aut sextili aspectu, ad influentias tales vel tales suas, siue simplices siue fixas, in inferiora effundendas sit aptior & procliuior: Verbi gratia coiens Sol cum Saturno, tristes, melancholicos, & grauiores producit effectus, tam in elementis supernis quam in ipsa terra, quare & in hoc tempore dæmones seu angeli Saturnini fortiores habebunt in elementis effectus, quoniam magnus angelus *Metattron* seu *Michael* Princeps totius militiæ cœlestis, qui est præses solis, dominium videtur assignare principi globi Saturni, videlicet *Caphieli* in mundum tam æthereum quam elementarem, atque ita in cæteris.


Porro etiam Solis effectus varii per quamlibet domum percurrentis, pereuidenter quotannis animaduertuntur, verbi gratia per arietem transiens, ventos siccos & violentos (quales in mense Martio flare solent) procurare solet, atque sic in cæteris.

Huiusce autem effectus causa essentialis est voluntas DEI, in solari organo habitantis, cuius solo aspectu & intuitu, seu radio emisso ad stellæ seu organi alicuius centrum, & cum scintilla illa diuina in ea regnante, vitamque & esse toti composito assignante, protinus & læto modo cum obedientia accipitur, vtpote nuncius atque frater eiusdem parentis increati, à quo etiam scintilla illa lucis est deriuata. Hinc simile simili gaudet & natura naturæ lætatur, vnde totã corporis stellaris naturam, dæmonesq; pro ipsius stellæ ministerio ordinatos, subito rapit ad voluntatem Imperatoris in ordinario mundi cursu complendam atque perficiendam, siue sit in ventis procurandis, siue in pluuiis, grandinibus, niuibus, gelu aut pruina, ab arca DEI thesauraria educendis atque depromendis, seu denique in fulgure, fulmine, tonitru, cometis atque aliis meteoris ignitis, tam apertis quam occultis procreandis. Huius nostræ assertionis typum, hoc in loco pro meliori capacitatis legentium comprehensione expressimus, in ventorum productione; in qua demonstratione radius voluntatis sa-

tis sapientiæ diuinæ in sole habitantis emittitur ad sui scintillam, sphæram Saturni inhabitantem & animantem, quæ cum sit in essentia eadem cum sapientia, protinus illud vult & agit mediante organo, quod suæ lucis fons præcepit, vnde & ad suum simile in plaga boreali radium voluntatis suæ emittit, & protenus venti flant Septentrionales, niuem, glaciem, vel grandines producentes, & quandoque tonitru & fulmine mixtis: Hinc dictum est, *DEVS emittens sermonem suum niues emittit sicut lanam, & pruinam sicut cineres dispergit, eiicit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat?* *Psal.* 147. 16. Et alibi, *glaciem DEVS fortis edit flatu suo, flante DEO concrescit gelu, &c. Iob.* 27.



Sed quoniam, priusquam ad Solis actum in cæteras stellas descendamus, necesse erat, sapientiæ actum à fonte lucis æternæ descendentem pro captu nostro delineare, hunc quidem descensum hoc modo depinximus.



Sic dictum est DEVM posuisse tabernaculum suum in sole, atque ob hanc causam alibi dicitur, quod quælibet res tantum DEI sibi vendicet, quantum est capax luminis: atque ita dicit sapiens, *sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius:* Et illam animam seu lucem creatam vocat Dauid *Solem vitam & gloriam dantem* Psal. 48. 12. cui etiam & creatura Solaris cum Propheta directe potest dicere, *si tu illustras lucernam meam Iehoua DEVS meus, splendentes efficies tenebras meas*, Psal. 18. 29.

In prædicta ergo demonstratione iconem habemus trium personarum vnius essentiæ; videlicet יהוה, fons essentiæ diuinæ quasi pater extra omnia: Verbum seu emanatio à fonte, seu filius intra omnia & extra, quatenus à patre non diuisus, à quo cœli sunt firmati: & Spiritus disciplinæ sanctus, omnes virtutes seu formas vndique impluens, qui in sole tabernaculum disponens, non tamen includitur in sole, in omnibus, & extra omnia est, quatenus procedit à fonte & emanatione simul, nec tamen ab iis essentia diuiditur, vtpote quæ est indiuidua omnibus.

Atque hoc modo demonstratum habetis, quomodo DEVS dat omnibus vitam & inspirationem, & omnia, & qua ratione *in eo ipso viuamus, moueamur, & simus*, Act. 17. Similiter quomodo *vnus Deus est pater ex quo omnia &c.* 1. Cor. 8. Non quod nati simus à sole, sed quod homo cunctarum creaturarum Dominus, tali exornatur in suo spiritu afflatu, quali sol, qui est vas gloria excelsi plenissimum, atque etiam omnes reliquæ creaturæ, licet non in eadem mensura donum hoc diuinum acceperunt quali sol & homo: vnde & ambo filii dicuntur Dei.

Cap. XVII.

Quod DEVS creauerit solem etiam Microcosmicum, mediantibus radiis cuius à DEO illuminatis miracula & extra naturæ leges facere quandoque solet, & maiora quam Sol ille Macrocosmicus, ad anni & temporum rationem ordinariam constitutus. Denique quod Solis sit inuisibilis vbiq; præsentis (à quo isti soles illustrantur) maiora præstare.

EX supra dictis à nobis de solis proprietate allatis, luculenter explicatum est, DEVM solem fecisse *in potestatem diei, Psal.* 136.8. hoc est vt illuminatione sua per omnia respiceret, similiter vt dies fuissent separati, atque etiam lux & anni, quod nihilominus est factum à *Domino scientiæ in sole operante, Ecclesi.* 53. vtpote qui *posuit in eo tabernaculum, Ps.* 19. Porro etiam diximus, res mundanas mediante solis virtute centrali reuiuiscere, multiplicari, calefieri, atque tum terram tum cœlum atque aerem proprietate varia, iuxta varium ipsius aspectum affici, videlicet omni genere meteororum quandoque perturbari atque exagitari, jam superius expressimus, & inferius paulo latius explicabimus: quæ omnia tam regularia sunt in naturæ cursu atque ordinaria, vti ea non miraculose, sed secundum naturæ semitas produci dixerimus, ita vt de hisce mundi accidentibus non modo Astrologi, variante astrorum positione, verum etiam & vulgares atque rustici diuersa obseruatione prædicere atque præuidere soleant. At vero quoniam templum spiritus sui sancti tam in hominis externo, vtpote in cuius corpore licet vili inhabitare dicitur Iesus, statuit, particulari & proprio suo afflatu non aliter quam tabernaculum suum in sole mundano posuit, ideo procul dubio tam mirabiliter agit IEHOVAH in homine per sapientiam suam, in eius spiritu interno degentem, quam per eam in solari mundi spiritu inhabitante: nam *opera DEI mirabilia vbique sunt, quæ facit in sapientia*, Sed tamen nihilominus inueniemus, si rem paulo accuratius introspiciamus, quod delectatio atque *delitiæ sapientiæ sint cum filiis hominũ. Prov.* 8. Vnde in eo & mediante eius organo maiora longe proferre solet, quam in sole mundano; imo vero & hæc eius virtus tam excellens est supra illam mundi, vt sol mundanus obedientiam insignem ei quandoque præstare obseruetur, vnde dixit Iosua, vel potius verbum DEI, vel spiritus hic disciplinæ Sanctus in Iosua habitans, *Sol sta contra* Gabaon, *ne moueatris, & Sol stetit in medio cœli, Ios.* 10. *& non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Porro & oratione Ezekiæ tam gratus erat spiritus eius coram DEO vt Sol in suo cursu naturali retrogredi atque contra naturæ leges reuerti cogeretur. *Isa.* 39. Porro etiam si in solis potestate sit, nubes & ventos procreare, idque via ordinaria, in spiritus illuminati potestate adhuc maiora proferre est. Nam quando cœli fuerunt ænei, & nulla pluuia esset à Deo concessa filiis Israel, spiritus istius in Elia regnantis virtute *nubes parua sicut vola manus ascendebat è mari, & fuit statim vt cœli nubibus obscurarentur & vento, vnde fuit pluuia magna*: 1. *Reg.* 18.41. Sic etiam fulgur è cœlo virtute Eliæ descendens præfectum cum quinquaginta suis interemit, 2. *Reg.* 1.12. Sic operante spiritu isto in Moyse *Tonitrua & grandines à cœlo eduntur, nam extendente Moyse baculum versus cœlum, grandinem & sonos edidit Iehoua, & obibat ignis per terram, Exod.* 9. Et virtute istius spiritus in tribus illis electis atque illuminatis in fornacem igneam coniectis, omnis ignis violentia est ablata, ita vt minime vreret. Atque hoc spiritu potentissimo in Christo procellosa maris tempestas est in momento mitigata, dæmonia è corporibus humanis eiecta, morbi miseros misere affligentes curati, mortui ad vitam reuocati, pisces & panes multiplicati, aqua in vinum commutata, ac denique (& quod super omne est miraculum) mortis atque diaboli rabies est suppressa, corpusque mortale incorruptibile atque immortale est factum, ac denique ipse sol mundanus atque cœlestis coactus est ad passionem corporis illius pati atque luce sua priuari.

Hinc ergo erat, quod Philosophus *l.* 2. *Ethic.* fassus est hominem esse tantæ excellentiæ & sublimitatis, quod sit quodammodo finis omnium, Et Merc. Trismegistus dicit, quod magnum homo sit miraculum, animal adorandum & honorandum, hoc enim in naturam DEI transit, & quasi ipse est DEVS. Et Zoroaster dicit, ascendendum est tibi ad lumen ipsum, & ad patris radios, vnde tibi missa est anima, plurima induta mente, Et in alio loco dicit Mercurius Trismegistus, ascendere te oportebit supra cœlos, chorisque dæmonum longe abesse. Et Pythagoras ait, si tu relinquendo corpus in ætherem liberum transieris, eris immortalis DEVS, sed scripturæ sacræ luculentius hoc describentes aiunt: *Qui adhæret DEO vnicus spiritus cum eo fiet*, Et alibi, *Tandem transformabimur in eandem imaginem.* Denique quod ad alia mentis humanæ illuminatæ acta & operationes mirabiles attinet, vnde manifestum est, quod homo internus dignitate atque efficacia sit sole mundano præstantior,

& præ-

& præferendus, propter donum illud sacrosanctum, spiraculum scilicet Deiforme, quod ei à creatore est impertitum.

Hinc ergo & scriptum legimus, quod omnes creaturæ sint à creatore ordinatæ pro vsu hominum, & à presbytero sancto nobis nuntiatum est, solem quarto die factum esse, vt homini futuro inseruiret. Infinita de illis hoc in loco discurrere possemus, sed quoniam scripturæ sacræ vbique iis impletæ sunt, ad potestatem dicti spiritus illuminati, in domo sua aerea reuertemur, qui vbique per mundum adest, atque omnia implet, iuxta illud Prophetæ, *Ad te Seraphin & Cherubin clamare non desinunt, pleni sunt cœli & terra maiestate gloriæ tuæ.* Quare etiam & vbique operatur pro suo beneplacito, imperando angelis suis quasi ministris, qui faciunt verbum & placitum suum, aut ad ignea, aut ad ventosa, aut nebulosa, aut grandinosa meteora producenda, ad placita sua perficienda, quandoque ex tabernaculo suo in Sole, & quandoq; ex illo humano, atq; plerunq; ex spiritu illo mundano, vasto, quem vndiq; implet dicendo fiat & factum est: hoc est, eiaculando radium suæ voluntatis, ad hãc vel illam mundi plagam, & protenus angelus dominium habens in illam quartam mouetur, & legiones suas ventosas emittit, ad domini sui altissimi mandata & voluntatem perficiendam; vnde Propheta regius, *Angeli DEI validißimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, exercitus seu ministri facientes placitum*, Ps. 103.20. Et alibi. *Qui facis angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem.* Psal. 104.4. Hinc etiã dicit Baruch, *Vẽtus qui omnes perflat regiones obedit Deo in suo flatu*. Sed de his infra latius.

Cap. XVIII.

Quomodo Dei sapientia est primus ventorum author, & actor, tam in Microcosmo quam Macrocosmo.

IN capite præcedenti diximus, angelos esse ventos quandoque, & nonnunquam flammas vrentes: at vero quomodo angelus ille magnus, qui est emanatio seu candor virtutis omnipotentis, sit magnus super hos angelos dominus, & eos gubernet ad voluntatem patris in forma ventorum obeundam, mẽbro sequenti latius declarabimus. At vero legimus, *quod Deus seu sapientia Diuina inclinauerit cœlos & descenderit, & caligo sub pedibus eius, & ascẽderit super Cherubin, & volauerit seu lapsa sit super pennas venti*, 2. Reg. 22.8. & Ps. 104. Ex quo sermone patet, ꝙ vt Seraphim sunt ministri amore igneo flagrãtes, & corã Deo adminstrantes, ita quidẽ Cherubim sunt ministri aerei, quorũ in aere actu seu motu vẽti producuntur, vnde dictũ est, quod ascenderit super Cherubim & volauerit super pennas venti, id est aereorũ spirituũ, sub potestate Cherubin existentium, & in aere potestatẽ habentium, vti suo loco liberius, vnde *venti* dicuntur à *Propheta facere mandata Dei*, Baruch. 5.60. Rem istã antea descripsimus plenius, vbi velle Dei, in verbo Fiat inclusum, cum verbi emissione migrare atq; emitti ad creaturam quamlibet, & cum verbi seu spiritus illius scintilla in creatura illa, tam ad eius formationẽ quã præseruationem inhabitante se iungit, & illam creaturam integre ad voluntatem creatoris cõplendam, sine vlla resistentia rapit, quod quidem aliter esse non potest, quia Deus est solus in omni creatura actor, hinc fit, quod creatura siue sit spiritualis, vt illa angelica, siue corporea, præsto semper adest ad voluntatem Dei perficiendam, hoc est, ad verbum eius, & consequenter placitum illius perficiendum, iuxta illud superius allegatum, *Angeli Dei validißimi robore efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, id est verbo facientes placitum eius* Psal 103.20. Atque ideo isti dicuntur intelligentiæ venti quatenus afflatu & motu eorum diuina voluntate aer perturbatur, atque ab ea mundi plaga mouere dicitur, à qua spiritus isti angelici vehunt spiritum sapientiæ, ad cuius nutum mouentur, quo aut vbi vult, vnde dicitur, *Quod in voluntate eius aspirauit Notus*, Eccles. 43.17. Sed & alibi sermone lucidiori dicit, *Qui aptat pondus aeri seu vento, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statutum, & viam fulgetro tonitruum*, quo quidem sermone denotatur, quod Deus sua sapientia aerem aptet in leui sua natura, eumque agitando per ministros suos producit ventos, & adhuc gradu densiori eum compingens, nubes procreat, ex quibus tum postea pluuiæ oriuntur, atque etiam alia aeris adaptatione atque informatione fulgetrum tonitruumque producit, nam eius ministri flammivomentes, sunt aeris inflammati causæ formales, vt & ipsi in natura sua inuisibili venti dicuntur, qui audiuntur sed minime videntur, vnde certum est, quod venti seu angeli aerem perturbantis actus internus sit immediate à Deo, hoc est radius voluntatis diuinæ iunctus cum suo radio, qui est eiusdem essentiæ, vti infra latius, atque ob hanc causam necesse est, quod moueantur atque toto conatu incitentur ad velle diuinum perficiendum, atque ob hanc causam, ventorum, tonitruorum, pluuiarum, cometarum, & huiusmodi aliorum meteororum causa reuera efficiens, Deo & non creaturis refertur, quippe quæ mouere nesciunt nisi à Deo moueantur, *nam in Deo viuimus, in Deo mouemur & sumus*, Act. 17.9. est enim Deus solus qui haud iniuria dicitur *operari omnia in omnibus*, 1. Cor. 12. Et quamuis nonnunquam creaturæ assignatur iste actus, tamen intelligendus est ille sermo de spiritu illo incorruptibili, qui primitus & centraliter agit in re qualibet, nam cum iste spiritus iuxta Sapientis asser-

tionem

tionem *sit in re qualibet, Sap.*12.1. huius mundi, atque etiam cum iste *spiritus sit omni re mobilior, Sap.* 7. & vt in alio loco ait, vbi etiam agnoscit eum esse emanationem quandam claritatis omnipotentis syncerani, necesse habemus credere, quod hic spiritus, vt erat primus in mundo agens, ita etiam primitus in qualibet mundi particula mouet, non aliter quam primum in mundo mobile à spiritu hoc actum suum accepit. Sic ergo in conductione Israelitarum per desertum quandoque dictum est eos directione angeli conductos esse, & quandoque præeunte IEHOVAH & interdum dirigente, columna ignea nocte, & obumbrante nube interdiu; & tamen reuera erat sola sapientia veste creata obducta, vnde dixit ipsa, *Thronus meus in columna nubis*, Et, *fuit sapientia iis tegumentum interdiu & lux stellaris noctu, Sap.*10.17. Sic etiam communiter dicitur, quod sol illuminat & calefacit, & à Cabalistis istud officium angelo *Michael* qui soli præest, vel quod verius, sapientiæ diuinæ attribuitur quæ statuens tabernaculum in sole, hoc est, abundanter in eo organo mundano se reuelante primitus, atque centraliter in eo & ex eo agens omnia, reuera agit quæ soli attribuuntur, videlicet calefacit suo motu, vtpote omni re mobilior, & illuminat supereminente suo splendore illo solis aut stellarũ claritate longe excellentiori, *Sap.*7. in ea consistit vis elementorum, principium, medium & finis temporum solstitiorum, mutationes, varietates tempestatum, anni circuitus, stellarum situs, Ventorum seu spirituum vires &c. Quare euidens est, quod sit ipse spiritus sapientiæ seu claritatis emanationis omnipotentis in sole, & non sol creatura quæ hæc omnia facit in mundo: Pari etiam respectu non est nec Sol sua proprietate (quamuis venti dicuntur Titanis & Auroræ filii) nec Angelus *Gabriel* quartæ Septentrionali præsidens, nec *Vriel* illam meridiei regens, qui ventum facit, nec spiritus *Egin* aut *Anaymon* qui eis subiiciuntur, aut ipse aer qui est venti consistentia, sed ipsa sapientia, quæ solo suo aspectu omnia pro placito suo facit. Deus (inquit Dauid) *est in ipsis cœlis, quicquid placet facit: Psal.*143. Et alibi. *Quicquid vult facit in cœlis, in terra, per maria, & omnes abyssos. Ps.*135.7. Ratio est constans, quoniam scilicet ipsa sapientia est sola veritas, à fonte totius veritatis emanans, atque omnia ab hac luce sunt facta atque informata vtpote in qua sola est vita, vnde liquet, quod vt omnes lucis istius diuinæ scintillæ essentia non diuiduntur ab inuicem, est enim vna sola atque indiuidua in Deitate essentia, quamuis triplex est ipsius proprietas, ita quidem necesse est, vt omnes scintillæ seu radii ab vnico fonte scaturientes ad aspectum sui totius, sint vnius cum illo voluntatis atque conatus, vnde & creaturam, quam inhabitant & regunt, omnimodo rapiunt, tanquam organa creata ad ea, quæ vel in cælis sunt vel in terris perficienda, secundum voluntatem patris qui est in summis cœlis, & supra omnem imaginationem: Hinc dictum est in persona Christi veræ sapientiæ, *Descendi è cœlis, vt faciam voluntatem patris qui est in cœlis.* Ad rem ergo nostram sic procedimus: dicimus quod venti haud improprie, imo vero maxime proprie dicantur ab ore Iehouæ, hoc est ab immediato sapientiæ diuinæ actu procedere atque deriuari, & quod non vane atque contingenter nobis mundanis adueniunt, sed ad placitum eius præstandum, qui eos misit. Ad priorem ergo huiusce nostræ assertionis partem confirmandam habemus sacram paginam variis in locis hoc modo loquentem, *Ventus seu spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, Sed nescis vnde veniat aut quo vadat, Ioan.*3.8. Quibus arguere videtur, quod spiritus spiritu spiratoris accipitur, & quod iste spirator sit Deiformis, quoniam pro sua voluntate spirare dicitur, denique quod finis istius motionis in aere aut locus in quem tendit, sit occultus, & soli spiratori cognitus, vtcunque certum est, ipsum fuisse procreatum ad mandata spiratoris perficiendà, vt Propheta habet, *Baruch.* 3. Quod autem sit spiritus quasi spiratoris ex eo colligitur, quoniam scripta inuenimus hæc, *Exod.*15. *ab* 8. *A flatu narium tuarum coaceruatæ sunt aquæ, flauisti vento tuo, & operuit eos mare*, Et in alio loco. *Ventum efflat suum Deus, emittens verbum suum, Ps.*147.13. Quibus verbis colligere possumus, Deũ mediante suo verbo venti animam excitasse, ad voluntatẽ patris cõplendam, nam radius seu aspectus voluntatis diuinæ emittitur ad ministrũ vento præsidentem, & se radio creaturæ vniens, illam rapit subito ad velle suum complendum. In eodem etiam sensu dicitur, quod *flante Deo concrescat gelu: Iob* 37.10. h.e. aspirante voluntate diuina Septentrionalis ventus à suo ministro *Gabriel* incitatur ad gelu producendum, & procreandum, vnde & versu præcedenti dixit *ab interiorib. egreditur tempestas, & ab Arcturo seu septẽtrione frigus, &c.* Sic etiã alibi dictũ est, ꝙ ventus profectus à Iehoua abreptas coturnices à mari disseuerit, *Nu.*11.31. Sed optime hoc declaratur per apparitionem istius spiritus omnipotentis ad Apostolos, in qua dicitur, *quod factus sit repente de cœlo sonus tanquam aduenientis venti vehementis, & repleuit domũ vbi erant sedentes, & apparuere illis dispartitæ linguæ tanquã ignis, & repleti sunt omnes spiritu sancto, Act.*2.2. Hic ergo habemus animã ventorũ, & rationẽ, perturbationẽ & motũ aeris, vtpote qui est omnium mobiliũ mobilior, vnde in motu suo aerem dilatando ipsum quatit & pellit, plus minusue, ratione actus sui, qui etiã est spiritus spirituum omnia inspirans, mouens, atq; exagitans, sic dictũ est, *Iehouæ vocẽ audiuisse Adam itantẽ per hortum ad ventum illius diei, Gen.*4.2. Et alibi, 1. *Reg.* 19. *Ecce Iehouah transibat, & vẽtus magnus ac vehemẽs, perfringens montes ac perrumpẽs petras ante Iehouam*, Et alibi dictũ est, *Iehouã volare super alas venti, Ps.*18.8. ac si quis diceret, ꝙ ipse in aere volãs aerẽ secũ more venti quandoq; rapit. Atq; hinc alibi legitur, vẽtus procellosus, efficiẽs verbũ Dei, Et alibi, *Emittẽte verbũ suũ in terrã, quã celerrime excurrit, qui niues emittit sicut lanã, emittit verbũ & liquefacit ista simul ac efflat ventũ suũ, effluunt aquæ, Ps.*147.16. quib. sat liquido indicatur, ꝙ quicquid meteororũ in aere ꝓ-

creatur illud agitatione & actione verbi seu sapientiæ diuinæ, tanquam solius in medio mundano agentis, idq; immediate, nullis causis sublunaribus intercedentibus, vti Peripatetici, & cum illis nostri seculi Christiani Philosophi false sunt opinati.

Concludimus ergo, nihil esse clarius & certius, quam quod venti tum ordinantur à Deo, tum etiam in sua sapientia procreantur, tum denique in executionem voluntatis creatoris foras in aerem mundi apertum emittuntur, quod quidem verbis expressis in hũc modum in sacro fonte indicatur, *Deus* inquit Psalmista *depromit ventum è thesauris suis*: *Ps*.135.7. Et alibi, *Eurum impellebat in cœlis & reducebat robore suo austrum*, *Ps*.78.26. Iob autem dicit, *quod ventis fecerit Deus pondus*, *Iob*.28.25. Et Moyses. *Ventum transmittebat Deus vt sedarentur aquæ*, *Gen*. 8. Et alibi, *Iehoua adduxit ventum Eurum in terram toto illo die &c. Exo*.10. & *ventum occidentalem immisit vehementem, &c*. Et alibi, *ventus profectus à Iehoua abreptas coturnices à mari disseuit, ad castra*, *Num*.11.31. atq; sic in cæteris, vnde sat liquido patet, quod omnes venti sunt immediate à Deo, qui minime mouere aut flare possunt, nisi ab illo animẽtur atq; incitentur. Hic vero inprimis notandum est, quod Deus radium suum flatus istiusmodi mundanos efficientem, ex vario suo organo emittit, videlicet quandoq; ex densa nube, vti in Ecnephia, prestere, & turbine atq etiam flatus à fulgure suo deriuatos, nam per diem plus minusue finito fulgure aut tonitru, venti solent sæpissime accidere. Porro etiam dictum est, Deum volare super alas ventorum in tempore tonitruorũ, vti infra latius. Quandoq; ex templo humano voluntatis suæ effectus perficit in forma venti, vel in ventorũ repressione: *Tunc*, inquit Matthæus, *Surgens Iesus imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas Matt*.8. Similiter à templo spirituali Eliæ radium suum emittit, ad nubes & ventos in cælum inducẽdos; Hinc ergo infinita hominis illuminati potestas declaratur, quæ contra Augurum, hariolarum & Astrologorũ præscientiã operari solet: De hoc hominis illuminati spiritu sic loquitur Daniel, *Mysteriũ q rex interrogat, sapiẽtes, magi & arioli, atq; aruspices nequeunt indicare tibi quæ ventura sunt; Sed est Deus in cœlo reuelans mysteria*, h.e. in cælo tam Micro quam Macrocosmico: Vnde per hunc spiritum Daniel somniũ exposuit, atq; multa alia miracula fecit, quæ huius mũdi sapientes minime potuerunt intelligere sua prudentia. Deniq; ex organo suo egregio Macrocosmico virtutem suã emittere solet, constanter ad naturam mundanam gubernandam, secundum leges ab eo in primordio ordinatas conseruandam: Ab eius ergo spiritu interno circumrotatur spiritus mundanus, quod etiã ex his sapientis verbis est colligendum, *Sol lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus & in circulos suos reuertitur*, *Eccl*.1.6. Porro etiam, quod spiritus iste ventos ex quatuor mundi plagis emittens sit vnicus & non multiplex licet à locis diuersis flare dicatur, ex his Prophetæ verbis colligimus, *Veni spiritus & insuffla super interfectos istos, vt reuiuiscant*, *Ezech*.37. Quibus verbis indicat non esse nisi vnicum flatorem, seu spiritum inflantem, at vero ventos varios, sed ad propositum. Videmus experientia docti, quod venti ordinarii quotannis à sole mundano, secundum variam ipsius positionem exagitentur diuersi. Obseruatum est quotãnis, quod ardentissimo æstatis tempore; Sole primam leonis partem ingrediente exoriatur canicula, quã antecedunt vt plurimũ per octo dies venti illi Aquilonares, quos Prodromos vocant, vtpote, qui Etesias præcurrunt, nam biduo post exortum caniculæ incipiunt venti illi qui Etesiæ dicuntur, qui sunt venti Aquilonares, perdurantes per octo dies; Sic casus constellationis Vergiliarum, qui fit per 44. dies ab autumni æquinoctio, Hyemem incipit, quem Aquilo hybernus concomitari solet. Nota etiam quod Australes venti sequuntur Etesias, atq; vsque ad ortum syderis Arcturi (quod vndecim diebus ante æquinoctium autumni exoritur) durant. Porro etiam vere spirare dicuntur, Fauonius frequentius ab angulo occidentis verno tempore, videlicet in eius principio, & subsolanus ab ortu, circa ortum vergiliarum, quæ in 26. gr. Tauri oriuntur, Atque ita in cæteris. Quibus videmus, quomodo venti mundani more quasi consueto à diuersis mundi plagis excitentur, gratia radiorum solis in diuersa obiecta cæli diuerso modo radios suos recipientis, tam à proprietate quam varia reflectendi ratione, atq; etiam naturarum cælestiũ commixtione diuersa, quæ omnia obiecta radiis solaribus animata & quasi grauida facta, vires in aerem sublunarem natura & conditione ab inuicem discrepantes impluit, hocq; annali creatoris decreto in sole collocato, cuius spiritus internus quasi mundi vniuersi rector atq; gubernator agit more diuerso in mundi spiritum, vt naturæ in eo variæ, in iustitia creatoris trutinis æqualibus ponderata, respicerentur atq; conseruarentur, sic varię rerum species tam in cœlo quam in terra & mari, atq; etiam in aere secundum Naturæ ordiné generantur, multiplicantur, sustentantur, corruptione alterantur, quæ omnes in mundo actiones à verbo Domini quod posuit tabernaculum suum in sole dependent, spiritus ille inquam excelsus atq; æternus, *creans cœlos, extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam*, *Isa*.42.5. de quo dicitur: *Deus iuxta voluntatem suam facit tam in cœli virtutibus quam in habitationibus terræ, & non est quæ resistat manui eius & dicat, quare fecisti*, *Dan*.4. Quod autem hæc omnia quæ à Sole videntur eiaculari, sint opera Dei, & non cuiuspiam creaturæ, colligimus ex his sancti Presbyteri verbis, *Deus fortissimus, qui veritas est, conuertit cœlum in gyro*, 3. *Esd*.4. Similiter sapiens, *species cæli gloria stellarum mundum illuminans in excelsis Deus, &c. gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum &c. Eccl*.43. Et cõsequenter omnis è cælis influentia, omnis in terris fabrica, aut in mari, aut imperfectum in aere mistum, est procul dubio (nulla causa subalternata interposita) à Deo, qui est author omniũ, à quo, in quo, & per quem omnia, vt Apostolus habet.

Quam

Quam igitur sunt ridiculæ Peripateticorum scholæ, tot phantasticas ventorum causas efficientes effingentes, videlicet calidam exhalationem sursum petentem, calorem solis sursum eam eleuantem atque euocantem è terra, atq; intensum mediæ aeris regionis frigus, vobis, exactioribus doctrinæ atq; veritatis scientiæ alis eleuatis, considerandum relinquo.

Relatiuum ad hominem, in quo probatur DEUM esse etiam ventorum in Microcosmo producendorum authorem solum atq; vnicum.

HAud inconsulte dictus est à Philosopho homo ὁ μικρόκοσμος quatenus similitudinem atque analogiam habet maximam cum magno mundo, fruitur enim cum illo elementis iisdem, quæ similibus etiam actionibus & passionibus inter se agere & pati solent, tam in vnico quam in alio mundo, Et quidem videtur mundus minor substantiæ atque Esse sui partes ab illo mundi maioris accepisse, si rem paulo accuratius consideremus; nam tempore & ordine hic præcessit illum: Vnde Mercurius Trismegistus hominem filium mundi, vt & mundum filium DEI dictitare minime dubitauit. Et quidem verbis Prophetæ optime ponderatis inueniemus ea ad propositum Philosophi pertinentia, vbi in resurrectiones ossium sic loquitur, *A quatuor ventis veni spiritus, & insufla interfectos istos vt reuiuiscant: Ezech* 37. Quibus videtur innuere, vitam esse ab illo spiritu, quem Deus impertitus est mundo pro sua existentia & viuificatione, sed vtcunque hoc certum atque tritum est, quod vt Deus creauit vnum suo vitæ spiraculo, ita etiam & alium, h.e. vt spiritus Domini qui vehebatur super aquas in magno mũdo vigorem igneum eis præbens, spiritum eius humidũ creauit atq; animauit, ita quidem ad hominis creationem vitę spiraculum inflauit in spiritum hominis creatum, vnde *factus est homo in animam viuentem*, *Ego* inquit Deus *creans cœlos & firmans terram & quæ germinant ex ea, do flatum populo qui est super eam, Isa*. 42. 5. Ex quibus colligimus vitam nõ modo mundi sed etiam hominis, exordium suum sumpsisse à vento seu inspiratione diuina. Porro etiam vti videmus communem mundi spiritum in elementa quatuor diuidi, ita etiam non modo spiritum humanum quẽ etiam aerem dicimus, sed & corpus de his elementis participare, imo vero aerem vnius & alterius mundi suo proprio sole frui videmus: nam cor in spiritu humano suo fungitur officio, non aliter quã sol Macrocosmicus in suo: At vero videmus oculis apertis, quod vt hominis prima virtus fuit ab eius inspiratione, qui posuit tabernaculum in sole, partesque suæ constitutionis ab aere & elementis mundi accepit, necesse est, quod continua sit relatio tam inter spiritum in sole incorruptibilem, & illum in corde, vtpote qui ambo non sunt nisi res vnica essentia, atque etiam inter aerem mundi & illum hominis, qui ambo sunt vnius & eiusdem fontis, atq; hoc idem commune ineunt vterque inter se officium, videlicet vt lucidus creatoris spiritus super alas vtriusque venti seu spiritus volet, & quasi vehiculo seu curriculo vehatur. Et quemadmodum in mundo spiritus ille aereus in tres regiones est diuisus, quarum vna dignitate atque puritate alteri præponitur, ita quidem spiritus hic in homine, in animalem atque intellectualem, in cerebro seu summo cœlo spiritui mundi Empyræo seu Angelico relatum, & vitalem in corde illo mundi æthereo comparatum, atq; naturalem in hepate ad mundi regionem sublunarem respectum habentem. Vnde ortum est, quod tanta sit vicinitas, imo vero & continuitas inter hos duos spiritus atque animas lucidas, quæ in effectu sunt vnius essentiæ eos gubernantes, vt tempore posterior, Microcosmus nempe, sine prioris assistentia atque præsentia existere nequeat, atque ob hanc causam Heraclitus haud insulse dixit, si Solem è mundo sustuleris, quid est nostrum corpusculum? Si desit anima, nulla ibi detractatur vena pulsatilis, nullus in eo vitalis halitus, nulla prorsus spiratio. Atque hinc est, quod hominem per hominem generari non posse autumauerit Philosophus, nisi sole assistente &c. Vnde eius axioma, *Sol & homo generant hominem.* Ob hanc ergo rationem homo (nam de eius sympathia cum spiritu mundano jam agimus) quamdiu spirat viuere dicitur, ideo spiritus (quos pro innato calore medicorum præstantiores æstimant) corpus mouentes, sensus excitantes, vt cogitationes mentesque fouentes, solis (qui vniuersa tanquam instrumentum mouet, & viuentium omnium per spiritum illum incomparabilem, qui eius centrum incolit, est causa organica) iure optimo veneranda ascripsit antiquitas: qui spiritus, teste Homero, tales in nobis quotidie inesse traduntur, quales Sol mundanus, planetarum Princeps efflat, mouet, irradiat, & per medium aerem sublunarem apparat, excoquit ac elaborat, quem vnum (aerem dico) quia teste Hippocrate atque etiam ipsa experientia, qualis qualis est, velimus nolimus, continenter ac necessario inspirare cogimur, & pulmonum adminiculo per os & asperam arteriam attrahere, atque hinc rursus in sinistrum cordis thalamum, spirituum corpus vegetantium, & animalem vim instaurantium & fouentium plenissimum, emittere, ad hæc in cerebrum pernares, & in corpus vniuersum, quod totum est conspirabile, per arteriarum anastomoses & poros accipere. Hinc ergo est, quod pro statu aeris in cœlo & solis in aere inuenimus etiam & spiritum nostrum vbique in sanguine, visceribus & per carnem vagantem dispositum, verbi gratia pro aeris motu & temperatura de sole & vniuersa cœli facie pendente, vno die

magis quam in alio, aut hebetiores, tardiores, atque ad melancholiam procliuiores sentiemus spiritus nostros, aut acutiores, leuiores, & magis ad lætitiam inclinantes, quod quidem non modo in hominibus, verum etiam in ipsis brutis videre atque animaduertere licet. Nam brutis & auibus naturale esse solet, vt per serenum aerem & limpidum cœlum exhilarentur, cantillent, & rideant quasi, per obscurum vero & tenebrosum, atque nubilosum cœlum, in quo pluuia adest, tristentur & quasi gemant, quod etiam sequenti sermone poetæ nobis est confirmatum.

Verum vbi tempestas & cœli mobilis humor
Mutauere vias, & Iupiter humidus austris
Densat erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat,
Vertuntur species animorum, & corpora motus
Nunc alios alios dum nubila ventus agebat
Concipiunt: Hinc ille auium concentus in agris
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Vnde liquet, quod lucis mundi claritate reficiantur spiritus hominum, atque è regione ipse mundus sublunaris, claro solis intuitu refici atque gaudere videtur, quoniam præsentia gloriæ diuinæ, quæ est in sole vtpote diuinitate plenissimæ, quilibet tam in mundo quam creaturæ in eo spiritus irradiatur, exultat, excitatur atque hilaritate exultare videtur, nam perpetuus est materiæ appetitus, vt formositate & lucida creatoris præsentia informentur, ita, vt quo magis per tristem obscuritatem ab eo priuatur, eo magis perturbatur, atque ad priuationis metas accedere, & consequenter à lucido creatoris actu elongare videtur: at teste Augustino & aliis, quanto plus lucis in se habet, tanto plus Dei sibi vendicare videtur. Hinc ergo est, quod in tristi, denso, & tenebroso aere lugere, perturbari, atque contristari videtur mundus inferior, cum quo etiam per consensum, & consanguinitatem (vt ita dicam) proximam, ægrotare atque perturbari videtur spiritus hominis, ita vt in corporibus extra sanitatis limites minime progressis, tristitia, grauedine, atque mærore quodam inopinato affici videatur: ac si quis diceret, quod Deus faciei suæ splendorem abscondens, à spiritu tam mundi quam creaturarum eiusdem ipsæ mæroris atque tristitiæ ægritudine afficiantur. Sed & hoc ipsum expressis prophetæ verbis legimus. *Omnes creaturæ inquit à Deo habent expectationem Deo dante ipsis colligunt, emittente spiritum suum recreantur, abscondente faciem suam perturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, Psal.* 104. qui quidem sermo tam de luce visibili quam Deo ortum suum habet, estque visibilis lucis inuisibilis imago, quam de illa inuisibili, à qua vitam & Esse primordialiter habuimus.

Sed ad rem me arctius accingam, atque dicam, quod si talis sit inter spiritum vtriusque mundi respectus, si amborum vita sit inspiratio seu afflatus & ventus viuificans, ab omnipotentis ore procedens, si perturbationes vnius sequantur illas alterius, tunc consequenter debet sequi, quod venti seu aeris vnius exagitationes variæ, similes etiam in illo alterius producant effectus. De ventis autem microcosmicis, & de quatuor ipsorum quartis illis mundi maioris correspondentibus tractatu nostro, *De anatomia mystica* clare loquuti sumus, vbi Lienem cum septentrionali plaga, hepar cum australi, atq; regionē pectoris, vbi cordis est sedes, cū angulo Orientis, in quo Sol oritur, atq; tandē viscerū omnium quartā cum Occidente haud insulse cōparauimus, quare de ipsis hoc in loco, verba plura facere non instituimus; sed ad institutum præsens quod spectat, certā est, quod vt proprietas Dei benigna ventos tā in mundo quā in homine producit clementes atq; beneficos, ad vitam atque recreationē tam elementorum, quā elementatorum vtriusq;, verbi gratia *Ehieh* gratiose impluit per portam lucidā *Cheter* seu coronā influentias atq; afflatus beneuolos, ad igneum amorem inclinātes, in mundum, mediantib. quibus mundus est creatus, sic *El* impluit calidum & humidum in natū per portam suam lucidam *Chesed* in mundi creaturas, per sphæram & stellam Iouis, & flatus vitæ beneuolos effundit, vnde Iupiter dicitur beneuolus planeta in animantium procreatione & eorum vitæ conseruatione; sic etiam influxus solares à porta *Tiphereth* vitæ calidum vndique creaturis distribuitur, atque expiratur, atque hisce mundus mirabiliter recreatur: hinc ventos vernales terram quandoque siccitate conuenienti perflantes atque leniter exiccantes, vt in mense Martio, & nonnunquam imbribus iucundis atque fæcundis agrum humectantes, vt in mense Aprili, ventorum beneuolorum spiratione produci cernimus, quorum flatu tam terra Macrocosmi, quam integra Microcosmi massa lustrantur, & vitæ necessaria recipiunt; venti etiam occidentales & orientales valde fauent vitæ humanæ, atque illi tam plantarum quam cæterorum animantium vtilitatem afflare obseruantur, qui quidē flatus beneuoli à Deo misericordia & clementia pleno in proprietate sua benefica expirantur; Hinc verno tempore sanguis renouari solet, sed & istiusmodi flatus omni anni tempestate prouenire solet, pro beneplacito & misericordia Dei erga homines, vnde salubriter viuunt, & à morbis liberi vt plurimum euadunt. At vero in alia sua proprietate huic contraria, contrarie agere notatur, quoniam in iracundia sua seueriter cum spiritu sublunari, atque etiam cum aquis, & terra, atque creaturis earundem agere obseruatur, pro peccatis hominum, vnde fit, vt in agnomine suo *Elohim* per portam lucidam *Binah* proprietatis suæ effectus exspirante, in sphæram

Saturni,

Saturni, à qua tum postea in regionem elementarem impluuntur, seueriter cum mundo & mundi creaturis agi soleat, hoc est, auertendo faciem suam à creaturis, cœlumque densis & opacis nubibus constringendo, hyemalia frigora atque eorum effectus fouendo, & contra vitæ humanæ actus excitando, atque exagitando. Hinc est quod est quod flatus boreales frigora, vitæ mortalium opposita, atque stuporem atque insensibilitatem inducentia procreent. Porro etiam quandoque Iehoua in iracundia sua afflatus igneos atque spiritus æstuantes, virtute cognominis sui *Elohim Gibbor* à porta ignea *Geburath* effundit, per sphæram martis, ductore & duce *Samaele*, angelo igneo, vitæ creaturarum maligno: Vnde & fulgura, coruscationes atque venti calidi & igniti sequuntur, & ob istiusmodi Iehouæ emissiones ignitas vocatur ignis consumens, tam in maiori quam in minori mundo. Porro etiam vltima in Deo seueritatis extremitas in proprietate agnominis sui *Adonai* cernitur, quod è porta lucida *Malcuth* suæ voluntatis influxus per corpus & sphæram lunarem emittit, vnde in magno mūdo diluuia, inundationes, pluuiæ vehementes: morbi in Microcosmo tales videlicet hydrops, catarrhi, & alii morbi aquatici. Hinc ergo est morborum tam frigidorum quam calidorum cum siccitate atque humiditate junctorum occasio, vti suis dicetur locis.

In proprietate ergo clementiæ suæ prima qua *Ehieh* nuncupatur, misericordia motus in patris conditionem est mutatus, atque in hoc sensu dictum est, *DEVS hæc dixit creans cœlos, extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, & spiritum calcantibus eam, Isa.* 42.5. In quo sermone ostendit Propheta, quod Deus in prima sua proprietate creauerit & generauerit quasi mundum, & tum postea cæteras creaturas, tam vegetabiles quam animales, & præcipue hominem flatu seu spiritu suo, & more patris filios suos clementer & paterno quasi amore respicit, & conseruat continuatione eiusdem afflatus, seu vitæ spiraculi. Porro etiam respectu istius proprietatis dictum est, quod DEVS creauerit omnia vt essent, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra, & quod mortem non fecerit, nec lætetur in perditione viuorum.

In proprietate secunda suæ erga res creatas beneuolentiæ, ratione cuius *El* vocatur, creaturas suas beneuole tractat, & misericordia motus, eas solet ab illis maledictiones tollere, quibus eas quandoque pro peccatis suis affligere solet, vt in recuperatione Mariæ à sua leprositate patet, ad quam curationem Deum precibus flexit Moyses per nomen *El* dicendo *El, na, rapha, na, la, El,* id est Deus gratiæ, *rapha,* id est Sana, *na,* id est quæso, *la,* id est, illam. In hoc etiam sensu dixit Dauid *Cura me Iehoua, quia conturbata sunt ossa mea, Psal.* 6.3. In quo etiam loco innuere videtur, quod medicina Iehouæ sit gratia, misericordia & benignitas eius, vnde & alibi dicit *Vociferantem ad te curasti me, & seruasti me viuum, ne descendam in foueam, Psal.*30.10. Et alibi, *Misericordia tua è cœlis est, O quam pretiosa est benignitas & misericordia tua, cum filii hominum sub vmbram alarum tuarum se recipiunt, Psal.* 25. Et Apostolus ait, *quod misericordia & gratia longe superent naturam peccati, Rom.* 5.20. Et in alio sensu *Visitatio tua conseruat spiritum meum, Iob.*10.12. hinc Iupiter dicitur naturæ humanæ fautor. Denique in tertia sua proprietate, videlicet qua influxus gratiarum atque formositatis impluit in sphæram Solis, per portam lucidam *Tiphereth,* id est gratia & formositas, legitur quod sit *Sol gloriam & gratiam dans, Psal.*84.12. Et alibi, *vitæ fons penes te est, Ps.*36.9. hinc Sol inter organa mundana dicitur vitæ author & multiplicationis pater à Philosophis. Porro etiam ab agnomine Dei *Sadai* à porta lucida *Iesed* id est redemptio, beneuolos redemptionis & Saluationis influxus habemus, de qua eius proprietate Rex intelligit dum dicit, *Homines & iumenta saluabis &c. Psal.*36.

In proprietatum ad seueritatem tendentium prima, vnde *Elohim* dictus, quæ per *Binah* transit, infundit super terram punitiones & strages, nam in hac solet DEVS exercere potentiam suam puniendo flagitiosos, & ministri in hac eius proprietate sunt angeli illi, qui dicuntur *Bene Elohim,* id est filii *Elohim*: *Elohim* ergo terram significat atque pauorem, atque locus in mundo eius aquilo, à quo omne malum, per sphæram Saturni transeunt istiusmodi influxus, vnde & hic planeta dicitur infortunium maius ab Astrologis. In huiusmodi proprietate persecutus est Deus Ægyptios tenebris palpabilibus atque plagis similibus, atque etiam cum lapides grandinis magnos emisit Iehoua à cælo, quibus interfecit inimicos Israelitarum, *Ios.*10.11. Pari etiam ratione in homine terreos & stupidos producit effectus, atque etiam Melancholicos & timidos, per angelos illos, vnde dictum est, quod Maria apparuerit candens lepra, quod malum postea in misericordia sua mutato agnomine *Elohim* in *El* sanauit, Et alibi: *Percussit Iehoua Hemorrhoidibus Ashodæos, 1. Sam.* 9.5. Et in hac proprietate dictus est Iehoua quod occurrens Moysi in itinere suo voluerit eum occidere *Exod.*4.24. Et alibi, *Efficiam, vt dominetur in vos terror, cum tabe, Leuit.*26.16. Similiter in hac proprietate infudit in Saul malum suum spiritum, demendo bonum, quod in *El* seu gratia ei adhibuit, atque in infinitis aliis. Similiter in tali eius dispositione, cū illa *Elohim Gibbor* iuncta, describitur in tali forma terroris in persequutione iniustorum, *Ascendit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarsit, carbones accensi sunt ab eo, inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, volauit super pennas ventorum, posuit tenebras latibulum in circuitu eius tabernaculum, tenebrosa aqua in nubibus aeris, præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis, & intonuit de cœlo dominus, & misit sagittas & disparuit eos, fulgura multiplicauit. Psal.*17.

*Psal.*17. Quibus verbis Propheta denotat atq; describit optime virtutem mixtam, videlicet ignis Martialis cum tenebris horrendis & timendis Saturni seu proprietatem *Elohim Gibbor*, portæ *Geburath* cum illa *Binah*, in proprietate seuera secundi ordinis, qua *Elohim Gibbor* dicitur, quæ per portam lucidam *Geburath* emittit suos effluxus, igneam induit naturam, & dictus est ignis consumens, ministri autem eius, qui eiusmodi proprietatem in exequutionem mittunt, sunt angeli ignei, de quibus loquitur Psalmista dicens, quod *facit angelos eius ventos & ministros suos ignem ardentem*, *Psal.* 104. Hinc & Iob dicit, *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia tibi dicent adsumus? Iob.* 38. In hoc sensu & dictus Propheta loquitur alibi, *depluit saper improbos prunas, ignem & sulphur, spiritusque procellarum portio poculi*, Et alibi, *ascendens fumus per nasum Iehouæ, & ignis ex ore eius, &c. Ps.*18. & fulgura jaculans fundit illos. Porro in alio loco describit quod Deus æstuans mediantibus ministris suis igneis impios affligere soleat *Irascaris* (inquit Dauid) *in æternum &c. Effunde æstus tuos in alias Gentes, quæ non cognoscunt te, nam consumptor consumpsit Iacobum, Psal.*79.5. vbi per consumptorem ministrum seu angelum DEI affligentem intelligit, Et alibi, *Fulgura multiplicauit, & conturbasti eos, Psal.*17. Similiter pluuiosam flammam sulphuris & presteres in Sodom & Gomorrha pro peccatis misit, *Genes.*19. Et alibi: *Ignis exiens à conspectu Iehouæ exanimauit filios Aharonis, & mortui sunt coram Iehoua, Leuit.*10.12. Et alibi: *Ignis à Iehoua egressus consumebat 250. illos viros, qui admouerant thus, Num.*16.35. Et alibi, *Ira Iehouæ æstuans manebit in locum istum, & non extinguetur, 2.Reg.*22. Præterea quod angeli vindicatiui igneæ dispositionis, sint ministri hac in actione, dicitur, *quod ignis à Iehoua in Babyloniam ad multa tempora immittetur, diuque à dæmonibus habitabitur, Bar.*4.35 Sed & hoc obseruandum est, quod ignea hæc Dei proprietas quandoque visibiliter, & quandoque inuisibiliter operetur, in homines inobedientes, denique ignis hic malignus operatur sæpicule in spiritu macrocosmico ad mundi illius minimi aut perturbationem aut integram destructionem, quod colligimus è multis sacrarum literarum locis, *Fulgurum vi* (inquit sapiens) *pœnæ superueniunt improbis, Sap.*19.13. Et alibi, De spiritu humano igne Dei vindicatiuo corrupto sic loquitur pagina sancta, *Accensa est ira Iehouæ in Israelem, coercita est pestis illa ne pergeret, fuerunt qui mortui sunt illa plaga 24000. Num.*25. Porro alibi, *Sagittæ Dei sunt pestes, quarum virus ebibit spiritus hominis: Iob.*6.4. Et alibi, *Adhæreat tibi pestis donec consumpserit te*, Et alibi, *Percutiet Iehoua tabe, calidaque ac æstuante ac vrente febre, & siccitate, & vrigine, & persequentur te, donec pereas, Deut.*28.12. atque ita in cæteris. Quibus sat liquido patet, quod vt fulgura sunt subtiles atque ignei venti, à Deo emissi, ad voluntatem suam hic in terris exercendam, ita & febriles & pestiferi venti in aere humano sunt ipsis natura, operatione, atque effectu quam simillimi, similiter vt venti in terram inspirati, & terræ motum facientes, atque etiam vt illi in aere in seuera Dei proprietate producti, nubes nigras producunt, & tumultuosum reddunt cœlum seu aerem, & mare, ita etiam similes seu à ventis externis procreati, similes in aere, in humoribus, & terra humana proferunt effectus. Ratio autem in promptu est, quoniam sc. aer Microcosmicus est filius illius Macrocosmici, atque ita cum eo naturali nexu concatenatur, vt alter, scilicet Microcosmi sine altero viuere, existere, aut permanere nequeat. Hinc Hippocrates, Galenus, Auicenna & omnes in medicina peritiores, ponunt in aeris mundani à ventis alteratione, aeris etiam humani, tam in morbis quam sanitate mutationem, quemadmodum in libris de morbis Epidemicis De ephoris; & de flatibus vbertim explicauerunt. Hinc etiam apud Isidorum legimus, quod Ventus Septentrionalis faciat aerem purum & clarum, corpora induret, poros obturet, vnde & purificat humores, clarum efficit spiritum hominis, adiuuat digestionē, rectificat aerem pestiferum, generationis virtutē adiuuat, vnde Aristoteles vult, quod si ventus in conceptione fuerit septentrionalis, infans erit mas, si meridianus, fœmina, Et Constantinus lib.5.cap.1. ait Boream reprimere malos humores, similiter quod inducit quandoque pectoris siccitatem, tussim, & asperitatem pulmonum, stupida reddit membra, Phtisicis grauis est, idque propter frigidam & siccam suam dispositionem.

Similiter venti Septentrionales spissum & nebulosum reddunt aerem, poros aperiunt, pluuias multiplicant, & quandoque tonitrua, aerem corrumpunt, &c. Et Beda agnoscit, quod in aere & corpore humano pariter etiam cum cœlo & terra mundi agat Ventus Australis, vnde dicit, quod aperiat poros corporis, virtutem sentiendi impediat incrassatione, atque grauitatem corporis inducat, atque in hoc cum Hippocrate consentire videtur, qui etiam in hanc incidit sententiā, Ventum istum aggrauare auditum, illum facere difficilem, caput afficere, humores non ligare, & confirmare, sed dissoluere potius ipsos, ab interiori exterius versus euocare, morbos pestilentiales afferre, cum multis aliis, de quibus in historia nostra Microcosmi præternaturali plenius.

Concludimus igitur quod cum tres recensentur spiritus in hoc mundo, videlicet diuinus, qui est primarius, mundanus, atque ille creaturarum, atque quod vt hi spiritus successiue ab inuicem ducantur, videlicet ad motum prioris secundarius vel pacifice vel tumultuose exagitatur, more corporis ab anima mouente vel suauiter vel violenter, & iterum tertius ab vtroque, necesse erit credere, quod omnes hi spiritus in actione positi, pro flatibus ventisque reputentur atque habeantur, at hæc est maxima inter hos spiritus differentia, quod prior sit increatus, splendidus, primordi aliter cæteros animans, luxque mundi, & spiraculum vitæ, duo inferiores sunt aer, flatus, spiritus, natura humida aliena;

da alienata, quæ teste Galeno & Hipp. sunt eiusdem substantiæ, videlicet aer, flatus, ventus, & spiritus, quem etiam in homine faciunt medium inter animam & corpus, vt autem fluctuosa seu naturali huiusmodi in aere vndatione fit naturæ ab vno in aliud elementum transitus, venti scilicet seu aeris in nubes, & nubium in pluuiam, & pluuiæ seu aquæ in corpoream, tam vegetabilis, quam animalis substantiam, ita quidem vaporosa chili resolutio in sanguinem vertitur, & à sanguine in carnosam coalescit substantiam. At vbi à Deo maledictum fit hoc opus in Macrocosmo, cœli aut sunt ænei, & venti ignei & sicci, & famescit seu potius sitescit creatura, & fissuris hiare solet arida terra, aut nimio mœrore superfluo videtur lachrymas aer effundere, atque ita aquis submerguntur atque suffocantur creaturæ, pari quidem ratione in homine sæpicule malevole spirare solet ventus, vel nimium desiccando atque exurendo, vti in febribus multiformibus, vel nimia humiditate organa Vegetationis atque multiplicationis submergendo atque suffocando, vti in hydrope & catarrhis suffocantibus: Quæ omnia tam in macro quam Microcosmo accidentia in bono vel maleuolo DEI afflatu consistunt, in cuius manu nos sumus, vtpote qui est Deus seu Dominus tam animæ quam corporis, *Deus fortis, spirituum, Deus vniuersæ carnis* vti in Biblio totius veritatis legimus, *Num.16.22.* Ei ergo sit laus atque honor in æternum, cui etiam toto animo & corde nostras cogitationes aduertere debemus, atque precibus eum fidelibus solicitare, vt flatu suo beneuolo & clementia pleno nos ab infirmitatibus nostris liberet, & à spiritibus seu ministris suis destruentibus ad finem vsque incolumes præseruet, Amen.

Cap. XIX.

Quod nubes, niues, grandines, pruina, & huiusmodi alia meteora obscura, à ventis Dei in aere procreentur, & quomodo Deus sit solus & vnicus in eorum creatione author & actor.

QVod DEVS sit non modo Ventorum sed etiam omnium aliorum meteororum actor & origo, & quod per varia mundi organa ad eorum procreationem operetur quam luculentissime verbisque plane aureis nobis sic demonstrat sapiens *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est, species cœli in visione gloriæ, Sol in aspectu annuncians, in exitu vas admirabile opus excelsi. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere, fornacem custodiens in opere ardoris, magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter, Et luna in omnibus in tempore suo ostendit temporis & signum æui, A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione mensis, secundum nomen eius est mirabiliter crescens in consummatione, vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose species cœli, gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus; in verbis sanctis stabunt ad iudicium, & non deficient in vigiliis suis &c. Eccl.43.v.1.ad 12.* Quibus verbis sapiens inprimis plane denotat, stellas esse sola organa cœli, mediantibus quibus omnia illuminat, & in inferiora operatur, ad meteororum cuiuslibet generis procreationẽ, vnde solem vocat vas admirabile, quod in eo, quod dicitur opus excelsi, agnoscitur esse creatura & non creator, quomodo autem agat Deus per solem ibi explicat, videlicet calore & ardore, quo fornax humana in opere ardoris sui conseruatur, hoc est res omnes generantur, conseruantur, ac tandem in circulo naturæ ad nouæ generationis periodum productæ intereunt, hoc est, forma præcedenti orbantur, præterquam quod ipse cum organo lunari tempora anni in dies & menses distinguit. Denique concludit, non solem, sed Dominum in sole vel quolibet alio astro esse formositatem cæli, iuxta illud: *Spiritu suo cœlos ornauit, gloriam stellarum, Iob.26.* Vnde dicitur *Sol gratiam & gloriam dans, Psal.84.12.* & mundi illuminatorem, sic traditur esse *mundi lux à qua factus est mundus, Ioh.1.* Mediantibus ergo visibilibus istiusmodi mundi organis seu instrumentis, Deus meteora sua producit in mundo sublunari, quod quidem dictus sapiens immediate in versibus sequentibus sic videtur confirmare, *Vide arcum, & benedic illum qui fecit eum, valde speciosus est in splendore suo, gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aptauerunt illum; Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicii sui, propterea aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebulæ, sicut aues in magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis in conspectu eius commouebantur montes, & in voluntate eius aspirauit Notus, vox tonitrui eius reuerberauit terram, tempestas Aquilonis & congregatio spiritus, & sicut auis deponens ad sedendum aspergit niuem, gelu sicut salem effundit super terram, Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit Crystallus in aqua, &c. Ecclesi.43.12.* Quibus verbis luculenter indicatum est, quod Deus sit author omnium in genere meteororum, videlicet iridis, niuis, grandinis, nebulæ, nubis, venti, Tonitru, Coruscationis, Tempestatis, spirituum congregationis, gelu, glaciei, &c. nubium autem generationem à Deo vel secundum naturæ mundanæ ordinem ordinatam esse dicimus, & tunc vt plurimum operatur Deus ex tabernaculo suo solari, atque etiam mediantibus aliis instrumentis cœlesti-

cœlestibus, quorum cursuum obseruatione astrologi solent de aeris mutationibus iudicare: vel organo humano vtitur ad eas producendas: nam legimus Eliam virtute sui spiritus illuminati nubes & ventum in cœlo diu arido comparasse, & pluuias copiosas ad terram sitibundam irrigandam è cœlo cecidisse, 1. *Reg.* 18. Et quandoque Deus ipse vtitur densa nube pro organo in quo operetur occulte pro peccatis hominum, vnde scriptum est: *Densæ nubes tugurium eius, Iob.* 22. 15. Et alibi, *Densa nubes vehiculum Dei, seu currus quo itat super alas venti, Ps.* 104.

Sed ad ampliorem huius rei dilatationem dicimus, quod Deus à sole tanquam organo, ex quo disponere solet de ordinariis anni dispositionibus, quibus res quotannis variantur, producat ventos, ideo dicuntur Titoni & Auroræ filii, teste Philosopho, quoniam à sole in ordinario solis cursu annuali excitari obseruantur: nam teste Salomone, in circuitu pergit spiritus ad motum solis, hoc est aer mouetur ad actionem eius. Huius rei proprietatem ostendemus in historia nostra de Angeli Michaelis proprietate, (qui est præses Solis, sub imperio cuius sunt cæteri angeli ventis dominantes. Ad scripturarum testimonia propinquius in hac nostra nubium procreatione accedamus, quam à ventis fieri dicimus, quos angelos vocat sacra pagina, *Qui facis angelos tuos ventos &c. Ps.* 104. Legimus ergo quod venti alterent aerem in quamlibet dispositionem, nam ventus Aquilonaris producit frigus, & aerem conuertit in niues, gelu, pruinam, grandines pluuiamque fugare solet; Auster producit nubes incrassando aerem, tempestates, pluuiasque, fulguraque & tonitrua producit, atq; aerem reddit contagiosum, animalibus; Eurus adurit fructus, tempestates marinas exagitat, aerem calefacit & perturbat, Hinc ait Psalmista, *Euro perfringes naues Oceani, Psal.* 48. 8. Denique venti sunt omnium meteororum occasiones, cuiuslibet aeris transformationis substantialis, atque etiam in proprietate alterationis actus, maris rubri diuisionis, atque iterum reiunctionis atq; agglutinationis minister, locustarum in terram Ægyptiorum inuectionis atque earum iterum expulsionis, & coturnicum in Israelitarum castra transportationis author, maris Oceani perturbator, & denique omnium in hoc mundo tam imperfecte quam perfecte mistorum procreator & generator. At vero venti sunt effectores voluntatis & vocis domini, qui in ipsis centraliter inhabitans eos mouet, quo & vbi placet; vnde & flatus Dei dicuntur, *quos in mundum emittere solet ad placitum suum in mundo complendum, Iob.* 37. 3.

Dicimus ergo, quod nomen seu verbum Dei inprimis moueat ventos, qui in suo externo nihil aliud sunt quam aer motus, internum vero eorum est claritas omnipotentis, qua animantur, reguntur, & pro velle creatoris disponuntur, vt faciant mandata Dei. Cum ergo nubes in mundo pluuiosas creare voluerit Deus, maior voluntatis suæ radius, seiungit cum suo simili in vento seu Angelo Australi, seu plagæ Australi præsidente, Vriel in maiori proportione; vnde illa ex suo angulo dominante spirare solet, in minori vero proportione emittit voluntatis radium ad suum in vento septentrionali simile, hoc est ad animam suam, quare spirat etiam ille, sed non in tali proportione qua suum oppositum Auster, atque ita aer intermedius appositione & compressione partium in nebulosam prius substantiam, & tum postea in densæ nubis consistentiam conuertitur, qua dissolutione à verbo seu sapientia Dei facta in pluuias transeunt, vel ad terram fæcundiorem reddendam, vel ad ipsam submergendam. Quod etiam nubes à ventorum flatu procedant in eo nos docet experientia, quoniam flante Austro raro desunt nubes, atque etiam nubes cuiuslibet conditionis non modo à vento prædominante commotas & exagitatas in quartam oppositam videmus, verum etiam diuino verbo miraculose in hoc agente sustinentur, nisi in pluuiam operatione diuina resoluantur, atque ita decidant; Quod quidem confirmare videtur Dauid in in his verbis; inde declarando actum virtutis verbi in resolutione niuis: *Emittit verbum suum & liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, Psal.* 147. 16. Quod nubes sustinentur à ventis patet ex loco alio, *Iehoua inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum, Psal.* 17. qui à Cherubin, angelis nimirum aereis animantur, & ducuntur, super quos Iehoua dicitur insidere. Quare dicendum est, quod vt sapientia est angelorũ dictorum anima, seu vita centralis, ita quidem ipsi sunt anima & vita aeris, in quo mouentur, hinc dicuntur *angeli validißimi roboris, efficientes verbum Dei & placitum eius, Psal.* 104. Ob hanc ergo causam solum dicimus Deum esse nubium creatorem, atque ipsorum in cœlo sustentatorem, iuxta illud Iob. *Deus aptat pondus aeri seu vento, & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statutum, & viam fulgetro tonitruum, &c. Iob.* 28. Ac si dixisset, Deus alpha & Omega, principium & finis est, primus & vltimus actor in meteororum productione, vtpote vbique præsens. Et primam mouet partem sui in angelo, qui voluntati eius obtemperans mouetur primo in aere, in forma venti cum legionibus suis, & tum aptat aerem in naturam venti, aut spissitudinem nubis densæ, vnde pluuiæ leges suas recipiunt, vel in fulguris proprietatem reducit; Et tamen non angelus sed Deus seu sapientia in angelo hæc omnia facere rectissime dicitur, quippe qui est verus & solus actor in his rebus.

Hinc igitur dictum est, quod *nubibus densis obtegit Deus cœlos quæ pariant terræ pluuiam, Psal.* 147. 8. Et alibi, *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum cœlos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo, Deut.* 28. 12. Similiter in alio loco est, *Quis sapphyrinas effecit nubes in sapientia? & vtres cœli quis prosternit? Iob.* 38. 37. Et Sapiens

piens ait, quod *nubes superiores sapientia distillent rorem, Prou.*20. Quibus sat liquido constat, contra falsam Peripateticorum assertionem, quod nec vapores è terra aut aquis emergentes, nec frigus mediæ aeris regionis vaporem illum imaginarium incrassans atque sustentans, sit aut nubis causa materialis aut efficiens, sed ipse aer flatu Dei opposito seu transuerso adpositus atq; incrassatus: hoc est angelorum radio sapientiæ ad voluntatem sui creatoris obeundam raptorum atq; exagitatorum.

Pariter res se habet in niuis, grandinis, & pruinæ generatione, præterquam quod in tali creatione Ventus septentrionalis habeat dominium, cuius est constringere aerem in nubem, flatu Australi, licet in remissiori gradu flante, redactum, atq; indurare; nam vt Australis venti est mollificare, liquefacere, & resoluere, ita Aquilonis est obdurare atq; constringere. Quod autem Deus sit solus istiusmodi meteororum, mediantibus ministris suis angelicis, productor atq; effector, his testimoniis è sacro fonte productis comprobatur: *Pruinam cæli* (inquit Deus) *quis genuit? Iob.*28,29. Ac si tali quæstione argueret neminem præter solum ipsum. Et alibi, *Deus niues emittit sicut lanam, & pruinā quasi cineres dispergit, deiicit gelu tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat? Ps.*147.16. Quibus innuere videtur, quod Deus per ventos suos, & præcipue Boream, aerem Austri flatibus remissioribus congregatum niues procreet, vnde dicit: *Deus fortis flatu suo edit niues, & glacies, Iob.*27.9. Et alibi: *Aquilo producit frigus.* Porro gelu & pruina ab aeris roscidi concretione flante Deo à septentrione procreantur; hinc legimus *glaciem ab vtero roris egredi, Iob.*38.28. Et alibi, *Flante Deo concrescit gelu instar lapidis aquæ &c. Iob.*27.9. Quo sermone materia glaciei atq; eiusdem forma & author cū ipsius instrumento explicatur, videlicet materia roscida, forma lapidis aquea, Deusq; agens mediante instrumento suo flatuoso. Ex his ergo patet Philosophorum ethnicorum error in materia & causa efficiente huiusmodi meteororum.

Cap. XX.

De causa coruscationis, fulguris, fulminis, atque tonitruorum efficiente vnica, similiter de fumorum & flammarum sulphurearum actore.

VT omnium creator facit angelos suos Ventos, sic etiam ministros suos ignem seu flāmam vrentem efficit, teste Propheta regio, *Ps.*103.104. fulgura autem & coruscationes aerem ipsorum præsentia animatum, & ignea eorum forma indutum vocamus, quod quidem etiam ex consequentia sermonis istiusmodi colligimus, *Deus aptat pondus aeri, & appendit aquas in mensura, facitq; fulgetro tonitruum viam suam,* vbi videtur aerem aptare in suo pondere, vt per eum tanquam medium, ignei eius spiritus viam suam ad voluntatem creatoris perficiendam faciant, hoc innuere videtur Iob in alio loco. *Nubes spargunt lumen suū quæ cuncta lustrant, per circuitum, quocunq; eas volūtas creantis agit ad omne quod præceperat illis super faciem orbis terrarum siue ad flagellum siue in beneficentiam, Iob.*28.25. Et alibi. *En extendit Deus super nubes lucem suam; & radices maris tegit, Iob.* 37. & alibi: *Fulgura nunquid mittes, & reuertentia tibi dicent adsumus, Iob.*36. Nonne etiam de causa fulguris efficiente certiores sumus facti ex his verbis, *Ignis exiens à conspectu Iehouæ, exanimauit filios Aharonis, Leuit.*10.2. Et alibi, *Ignis à Iehoua egressus consumebat* 250. *viros qui admouerant thus. Nu.*16,35. Deniq; in Apocalypsi habemus *quod fulgura, voces, & tonitrua procedebant à throno Dei:* quibus manifeste denotatur, quod coruscationes & fulgura à Deo immediate procedant, & quod iste sermo sit hoc modo intelligendus, Essentia nempe diuina, in sua sapientia seu emanatione, agitat suum simile in spiritibus igneis, (mediante quo existit atque permanet angelus igneus talis qualis apparet in aere tempore fulguris: nam incorruptibilis Dei spiritus est in omni re, sed in angelis copiosius) partem quasi sui (inquam) vrget & mouet ad ea præstanda, quæ à patre mouente ordinantur, atq; hi spiritus ignei in motu suo conturbant aerem, eum in densas nubes conglomerant & constringunt, & contra spiritus natura iis oppositi, & à plaga mundi contraria spirantes, bellum impetuosum gerentes, à madido illorum amplexu & denso carcere ipsos circumambiente violenter erumpunt, quod quidem spiritus seu dæmones illi ignei aut aquei non faciunt, sed Deus duplici à sua essentia radio emisso in iis agente efficere solet. Atq; hæc est ratio, quod plura eodem tempore tonitrua audiuntur, à diuersis mundi angulis exurgentia: vnde dicit Daniel, *quatuor cæli ventos pugnasse in mari magno, Dan.*7. hoc est in aere aperto: vbi per ventos intelligit Propheta intelligentias angelicas quæ præsident quatuor mundi cardinib. Sed de his luculentius libro secundo huius mēbri, Deo volente, discurremus. Sed & alia paginæ sacræ testimonia ad causam hanc nostram vnicam rerum omnium efficientem ita probandam habemus vbiq; per ipsam dispersa, & præcipue quod Deus solus (nulla alia causa efficiente subalternata mediante) sit author & actor in tonitru, & fulgure, atque omnibus aliis meteoris quibuscunq; lucidis. Nam in vno loco dicitur, *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones accensi sunt ab eo &c. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis, & intonuit de cœlo Dominus & altißimus dedit vocem suam, &c. Psal.*17.9.

Quo ſermone luculenter apparet, quod Deus hæc faciat omnia, & quamuis nos dicimus noſtro ſermone fulgura tonitrua facere, ſeu ſenſu magis myſtico, angelos aera inflammantes ſua ignea præſentia, tamen reuera eſt Deus in angelis igneis, & Deus in denſis nubibus ſeu ſpiritibus aqueis, qui hæc omnia ad mandata ſua perficienda ad exitum producit, vnde recte dixit pagina ſancta, *quod in Deo omnia viuant, moueantur & ſint. Act.* 17.9. Et alibi, *Deus operatur omnia in omnibus*, 1. *Cor.* 12. Et iterum, *Deus pater à quo omnia*, 1. *Cor.* 8. Quare quam ſit inepta, atque inſulſe atq; ſubtiliter prolata illa Peripateticorum, tam Ethnicorum quam Christiani ordinis ſententia & aſſertio (aſſeuerare præſumens, fulgura eſſe exhalationes calidas & ſiccas, à terra exilientes, quæ vi ſolari in mediam aeris regionem exaltatæ, ibiq; nube incluſæ, atq; vi frigoris loci impulſæ accendantur, &c.) vobis oculis rectis rem iſtam introſpicientibus, eamq; trutinis iuſtitiæ ponderantibus iudicandum relinquo, videlicet; An res iſta, fulgur ſcilicet & tonitru, ſit res tam parui momenti (vti Ariſtotelici iſti putant) vel altioris longe profunditatis & inſcrutabilitatis, cum Dei ignes ab ore & throno illius exilientes, Dei voces & ſoni vndiq; in ſacris literis nominentur. Vnde factum eſt, quod quidam Philoſophorum conſiderantes mirabilem fulminis operationem, illud non opus naturæ, ſed ſummi Dei effectum immediatum ſint arbitrati, imo vero, tam mirabile videbatur Ethnicis hoc opus, vt de eius ortu dubitauerint valde, atq; inter ſe diſceptauerint. Nam Empedocles putauit fulmen & coruſcationem fuiſſe ignem, generatum à radiis ſolis deorſum deſcendentibus, nubibus interceptis; Anaxagoras iſtum ignem eſſe ætheris portionem autumauit, quem vult de alto demitti, & in eo loco impingi, vbi nubes conſiſtunt. Quas quidem opiniones, quamuis Ariſtoteles ipſe, & Seneca refutare ſunt aggreſſi, tamen nihilominus longe probabiliores videntur eſſe, & ad rem pertinentes, quam illæ Ariſtotelis, cum ſuis ſectis, Quod etiam argumentis ab experientia ipſa depromptis ſat liquido declaratur. Nam Deus bone! quam ſunt illi ratione deſtituti, qui admirabiles tonitruorum effectus, exhalationis terreæ virtuti, aut debili ignis terreni, ſiue ſit actualis ſeu in ſola potentia, facultati recte referre aut appropriare ſolent? Nam fulminis actu vinum ex dolio ſubito impetu extrahi, vaſe minime tacto, & gladium in vagina, aurum argentumq; in crumena, & oſſa in carnoſo hominis domicilio confringi, ventos repentinos in aere procreari, ſiluas comburi, lapides conteri, ingentes, turresq; ſubito conuelli, & infinita alia patrari mirabilia videmus, quorum rationem promptam reddere eſt difficillimum; imo vero ſenſus videtur eſſe & ratio in fulgure, quibus obedientiam præbent creatori, eiq; benedicere dicuntur à literis ſanctis, inde indicando nobis Chriſtianis, quod ipſis inſit virtus quædam Angelica & diuinitati quam proxima, quibus reguntur, atq; *emiſſa violenter exeunt, & reuertentia dicunt creatori, en adſumus, Iob.* 39.35. Imo vero tam ſubtiles ſunt eius ſpiritus, tamq; agilis eius vita, vti à quodam in myſteriis iſtis perito ſcriptum habeamus: Angeli multo ſunt clariores & ſplendidiores ſpiritualibus corporibus, quod difficulter poteſt homo fateri aut comprehendere, nam ratione ſuæ ſubtilitatis poſſunt tranſire, & penetrare res omnes, ſine vllo impedimento, & ſine ſui corruptione inſtar fulguris: Similiter id poteſt anima humana, vtpote quam Deus itidem creauit ex eadē ex qua creati ſunt angeli; Hæc ille. *Lib. de ſecretis creationis.* Quibus innuere videtur, quod ſubſtantia angelica, fulguris, & animæ humanæ, ſit de eadem materia, quã ſextam in multis locis nuncupare geſtit eſſentiam. Et reuera vt Angeli ſubſtantia minime videtur, niſi in veſte ſua aerea, quam illuminat more ſpiritus ſolis, qui ab anima ſua interna illuminatur, ita quidem & internum fulguris eſt vis & eſſentia angelica, aereis indumentis obuelata. Hinc ergo eſt, quod tot mirabilia à fulgure, ſurdam exhalationis naturam & diſpoſitionem longe ſuperantia oriantur. Experientia enim eſt hic in Anglia reuelatum, quod in prouincia Deuienſi tonitru ab Aquilone proueniens lapidem ignitum in cuiuſdam nobilis culinam immiſerit, qui ab illo loco in aulam illius domus voluens, inter pedes cuiusdam hominis illius domus tranſiens, ipſum pro tempore dementem & furibundum reddidit, & ab eo loco in conclaue tranſiens, ſolo ipſius intuitu omnia feneſtræ illius partis vitra in infinitis locis eo modo ſunt perforata, ac ſi aciculis eſſent penetrata, atque ita per murum denſum penetrans, & ex domo exiliens in durum ſcopulum ſeſe mirum in modum immerſit: porro in Hybernia duæ fœminæ ſyluam petentes, & per agrum commigrantes, tonitru quodam horrendo ſunt in via retardatæ, harum autem altera erat timore atque pauore percuſſa, Deumq; inclamabat atq; arborem verſus propere feſtinabat, altera minime perturbata viſa eſt, ſed ſe more impio gerebat, vocesq; tonitruorum in deriſione ex contemptu habens, anum ſeu podicem manu percutiendo, eum vertebat contra locum illum à quo ſoni edebantur, vnde factum eſt vt prior timore Dei & vocis eius percita, tuta euaſerit, alteri vero anus & clunes integri tonitru erant protenus dilacerati atque dilaniati, atque ita blaſphema illa miſere mortua eſt. Sed vt ad Peripateticorum iſtorum ſtultas aſſeuerationes propius accedamus, quodam die mercatores quidam, & alii in ſocietate cuiuſdam Peripatetici (iuuenis bonæ indolis, qui apud ciuitatem Salopienſem habitabat, & in re literaria ibi loci operam dabat, & pro cognitione ſua in re philoſophica ab omnibus illius loci in pretio habebatur) ſimul per planam amplam Salopienſem iter facientes, nubes denſas cum ſonis & tonitru ipſis appropinquantes animaduerterunt, & vehementer timere cæperunt eorum pars maior.

At

At iuuenis iste in philosophiæ peripateticæ cognitione se probe versatum esse ostendere volens, ipsis consuluit, & ne timerent, audacter suadere perstitit, affirmando rem illam esse in natura communem, & more adventitio contingentem, nihilque in eo esse periculi, vtpote quod ex sola exhalatione calida & sicca, è terræ gremio, vi radiorum solarium in mediam aeris regionem sublimatum, & per antiperistasin illam, quam dixit esse inter loci frigiditatem & exhalationis receptæ caliditatem, flammam illam procreatam esse asseuerauit, sed aliter ipsi inter cæteros soli eueniebat, ac ipse putauit, nam fulgure subito erat exanimatus, reliqui vero stupore solummodo & pauore percussi humi ceciderunt, atque hoc modo blasphemia viri istius, Aristotelicis argumentis decepti, iusto Dei iudicio est diiudicata. Anno 1623. iuxta oppidum, quod Croydon dicunt, 8. solummodo milliaribus ab vrbe Londinensi distans, circa mensem Iulii quidam fœnum in agro cuiusdam nobilis præparantes, atque in sole desiccantes, voces atq; tonitrua cum fulgure horrendo properantes animaduerterunt, vnde factum est, vt in cohortes duas seu numerum binarium se diuiderent, & vltra duarum vlnarum spatium non multum ab inuicem distantes, vt à tempestatis rabie immuniores manerent, sunt congregati, sub vna ergo arbore tres ancillæ cum quodam puero sedebant, sub altera duo vel tres viri; tempestate ergo appropinquante (mirabile dictu) tonitru nihil potuit contra illos arboris prioris, durante mora vnius prædictarum ancillarum sub illa, ac si illa esset solummodo fronte quasi à Deo obsignata, ne spiritus ille mali aliquid ei inferret; quare spiritus nescio cuius instinctu incitata, durante tonitru & pluuia maxima cadente, arborem illam relinquere, & ad aliam festinare sibi proposuit, & cæteros alloquens, Ego (inquit) ad arborem alteram properabo, vultisne mecum decedere? at cæteris recusantibus, vt illa 5. vel 6. fecerat passus, protenus aliæ duæ, simulque ille puer sub illa arbore manentes, & cum ipsa decedere nolentes, fulmine percussæ exanimatæ sunt, nullo alio signo præter paruulam corticis rasuram apparente, ancilla vero decedens tuto ad viros sub arbore alia delitescentes euasit. Sed quod maius adhuc miraculum videbatur, ignis in forma globi, ab arboris illius summitate ad radicem eius vsque descendens, instar rotæ super terram voluebatur, & iuxta alterius arboris, sub qua ancilla illa cum viris steterat, cuius præsentia & transitu non modo stupore atque timore alienati atque attoniti sunt substantes, sed & ipsa arbor reuerentia quadam insigni commota, ita se ad rotam illam inclinare atque reuerentia quadam humiliare visa est, vt viri illius robusti qui ad truncum illius renitebatur dorsum ingenti arboris inclinatione fractum ipsi videbatur. Vnde liquet, quod maius sit in fulmine & tonitru mysterium, quam quod Peripatetici vnquam potuerunt comprehendere. Quare ad scripturarum sacrarum sensum potius, quam ad vanam atque vix probabilem Peripateticorum Ethnicorum imaginationem se accingere debent veri Christiani, quoniam quanta sit illarum certitudo, quantaque horum vanitas & absurditas in præcedentibus lucide est declaratum. Præterea aliud stupendi istius in natura meteori exemplum mirificum se obtulit, Anno vltimo præterito 1624. mense Iulii prope oppidum illud Windesor, vbi regale atque satis munitum conspicere est palàtium seu castellum, ab vrbe Londinensi non nisi octodecim miliaribus distans. Nam duabus fœminis cum puellis tribus tritici spicas per agrum vndique dispersas post messem colligentibus, subito tonitru stupendum superuenit; maior puellarum fulgura vndique per aerem volantia, & coram oculis in forma oblonga cum caudis acutis apparentia respiciens, admodum & præter cæteras omnes est spiritu commota atque perturbata clamando matri, Phy de fulgure isto & tonitru non possum perdurare, vtinam essem domi, & cum à matre & alia muliere honesta, quæ ante nuptias suas mihi in domo mea fuit famula seu ancilla, admonita esset, vt relicto friuolo & contentioso sermone Deum inclamaret, ipsa nihilominus, omissis ad Deum orationibus, exclamationes suas facere erga fastidiosas meteori apparitiones pergebat. Vnde cæteræ sub duarum arborum procerarum alis seu ramis se à tempestatis violentia munire sunt aggressæ. Puella vero illa jocoso & hilari vultu tergo ad quercus eminentissimæ truncum renitens dixit, se in throno quasi regio collocatam esse præ cæteris, & à tempestate securam; Mulier altera quondam ancilla mea brachium suum in gremium dictæ puellæ innitens habuit, atque altera eius soror natu minor non procul ab iis, matre interea puellæ sub alia arbore per quinq; vel sex passus ab illa distante. Eueniebat autem subito, vt globus quidam igneus è nube subito in arborem illam ingentem decidens, eius corticem in tribus locis à vertice ad radicem vsque sine vlla partium intermissione, violentissimo atque subitaneo impetu abraserit, atque vndique ad miliaris fere distantiam eiusce fragmenta dispersérit, interea etiam trunci atque corporis interni substantia à triplici illo vulnere haud immunis erat, sed ad digiti profunditatem longis atque continuatis, à summis ramis, vsque ad radicem vulneribus cauis, & quasi vomeribus inflictis, digito procul dubio Dei aut cuiusdam angeli administrantis operante, vnde factum vt puella illa quæ seipsam maxime tutã existimabat atque ab omni violentia protectam, impetu verbis nõ explicãdo, subito & ictu quasi oculi exanimata sit, mulier olim mea ancilla, brachii illius in gremio puellę innitentis officio & sensu orbata, & more furibundo per plateã seu viã currebat, alta voce clamando, nubesq; respiciendo, Deus sancte aperi nubes tuas, atq; januas tuas, vt ingrediar nec

ſibi per aliquot dies conſtabat, altera puella mortuæ ſoror ſolummodo inter omnes globum igneum deſcendentem animaduertit, cui ſenſus ſemper aderat, ſed ſeipſam flammis atque ardore impatibili circundatam putabat. Mater alia arbore tecta, alterum ex pedibus filiæ mortuæ proximum ſtupore attonitum, & per quoſdam poſt dies quaſi mortuum habebat. Vnde dignum exiſtimo eſſe admiratione, quod ipſa ſola, cui cor adeo erat induratum, vt Deum orare non potuerit, cæteris viuis, ſola quamuis à periculo, vti videbatur munitiſſima morte eſſet affecta; Porro etiam, quæ res erat maiori adhuc admiratione digna, maritus ancillæ olim meæ vxorem per campos vndique requirens, vt ei pallium afferret, quo à pluuiis & tempeſtate ſe defenderet, ſed in itinere ſuo ei præ oculis flammæ oblongæ draconibus ignitis ſimillimæ obuerſabantur, quarum vna galerum eius per aliquod ſpatium more turbinis auferens, portiunculam ſui pallii in forma triangulari tanta facilitate exſcidit, ſeu excerpſit, vt ipſe minime hoc perceperit, quouſque galerum quærendo portiunculam illam triangularem palmæ magnitudinis iuxta illum inuenit. Quid igitur ex hiſce miraculis coniecturare poſſint Peripatetici? Anne quod ſit in iſtiuſmodi effectu nihil præter calidam & ſiccam exhalationem è terra exurgentem, & in media aeris regione accenſam: O quanta eſt hæc hominum ratione imbutorum dementia, operationes tam admirabiles & ſtupendas rebus tam pauci momenti referre atque attribuere! aut exiſtimare, quod ratio tanta ex rebus tam brutis aut inſenſibilibus quales ſunt vapores aut exhalationes depromi poſſit.

Denique meteora omnia alia, tam ſulphurea quam ſubtiliori ſubſtantia illuminata, qualia ſunt cometæ, ignis fatuus, & id genus alia hanc eandem ſibi cauſam efficientem, videlicet ipſum Deum, vendicant, qui mediantibus angelis ſuis coruſcantibus ea producere ſolet. Nec tamen hoc faciunt angeli ſed Deus ipſe in angelis & per angelos, qui vt in ipſorum compoſitione variant, ita quidem & meteora conditionis & proprietatis atque etiam conſtitutionis variæ producunt, vnde alia eſſe cometas, columnam igneam, lanceam ardentem, chaſma, &c. & alia coruſcationes, fulgura, pluuias ſulphureas; deniq; & alia ignem fatuum, flammas è terra exeuntes eſſe obſeruamus meteora, quorum nihilominus vnicus ſolus eſt actus, vnus Deus in eſſentia ſua peamanens, qui varie non ratione ſui, ſed obiecti, radios ſuos varie recipientis, agit, videlicet reſpectu varioru corporum angelicorum quæ mediate actu primo interno in varias aeris mundani portiones diſtribuuntur, quæ denſitate, raritate, atque etiam qualitate differunt, quemadmodum teſtantur ſcriptores fide digni.

Cap. XXI.

De cauſa terræmotus, fontium, tempeſtatum marinarum, & ſimilium efficiente, & quod illa ſit ſolus DEVS, mediantibus organis angelicis.

QVod etiam DEVS ſit cauſa tam primaria quam immediata (nam nullus eſt aut in loco aut tempore reſpectus coram Deo, qui eſt Alpha & Omega) ex literis ſacris colligimus, vbi ſcriptum reperimus, quod *DEVS terram commoueat è loco eius, adeo vt columnæ eius contremiſcant, montes transferat &c. Iob.* 9.5. Et alibi. *Terra intuente Deo tremit, Pſal.* 104.32. Atque hinc alibi dixit Pſalmiſta regius, *quod Terræ ima veſtigia ſint in manu Dei.* Similiter ibi denotatur quod hanc terræ perturbationem inducat in proprietate ſeueritatis atque iracundiæ ſuæ, eſt enim terræmotus ſemper actus in Macrocoſmo præter naturam. Hinc dictum eſt in ira Dei contra Iſraelitas: *Concutitur & mouetur terra, fundamenta cælorum commouentur, 2. Sam.* 22.8. concutiuntur autem cum ira accenditur ei. Quod autem Iehoua quandoque denſa nube circumſeptus, ac vt plurimum corpore angelico veſtitus huiuſmodi meteora ſtupenda producat, è multis ſcripturarum locis colligimus: *Ecce* (inquit D. Mat.) *Terræ motus ingens factus eſt, angelus enim Domini deſcendit de cœlo, erat autē aſpectus eius ſicut fulgur &c. Mat.* 28.2. quibus verbis innuitur Angelū Dei fuiſſe cauſam terræmotus efficientem, vnde poſtquam effectū expreſſerat in his verbis: *Ecce Terræ motus magnus factus eſt &c.* rationem ſeu cauſam efficientem verbis ſequentibus explicat; *Nam* (inquit) *angelus Domini deſcendit de cœlo.* Modus autem per quem hæc fecit, erat aſpectus eius fulgureus, hoc eſt Dei fulgor & ſplendor eſſentialis, ex angelica compoſitione effulgens. Nam corpora angelica dicuntur ſpecula ſuſcipientia ſplendorem diuinitatis vti infra latius. Hinc dixit Dauid: *Terra intuente Deo tremuit &c. Pſal.* 104.32.

Ex his igitur luce meridiana clarius apparet, quam impia & profana ſit illa Ethnicorum opinio dicentium, Terræ motum eſſe nihil aliud, præterquam violentam multitudinis ventorum in terræ viſceribus retentorum eruptionem: vbi ventum ſeu aerem, organum ſeu vehiculum aſpectus diuini, huiuſmodi ſtupenda efficientis, male accipiunt, atque ita in idololatriæ inſignis ſpeciem coincidunt, creaturæ actus creatoris iniurioſe atque vane attribuentes. At vero huiuſce rei myſterium ſi oculis paulo accuratioribus inſpicere voluerint, rem quidem momenti altioris percipient, atque ipſi

ipsi existimarunt. Nam communis nos docet experientia, quam abstrusi terræ motum sequantur euentus, & quantæ admirationis ipsum concomitentur effectus, videlicet pestes, fames, & quandoque ipsa terra suspiriis igneis ingemiscere, & gemitu more leonis rugire animaduertitur, quæ omnia mirabilia vento, ac identaliter in terra incluso, assignare, valde (vti rationali videbitur) absurdum apparebit. Nos vero inter mille exempla vnicum tantum in nostra Europa admiratione dignum producemus. Die conuersionis D. Pauli (inquit Historia Veneta) circa horam à meridie primam, Audrea Dandulo duce 54. tunc temporis gubernante, terræ motus maximus est ortus, qui tali motu tantaque violentia ciuitatem concutiebat, vt structuræ variæ tam publicæ quam priuatæ eiusdem impetu corruerent, adeoque turres templorum, videlicet Sancti Syluestri, Vitalis, & Iacobi De Lorio, simulque tectum Sancti Angeli, & pars læua illius D. Basilii humi ceciderunt, & prostratæ sunt, atque hic terræmotus per spatium quindecim dierum plus vel minus durauit, eiusque impulsu complures mulieres grauidę abortiuerunt, hunc autem morbus admodum contagiosus est insecutus, qui cum tumore in inguinibus incipiebat, quem immediate ardor extremus cum dolore atque grauedine capitis insequebatur, ita vt memoria ipsis sit ablata, & communiter infectionem istam patientes intra triduum vt plurimum vitam cum morte commutasse sunt obseruati, imo vero ex personis centum vix decem sunt numerati, qui mortis flagellum euaserunt, ita vt per vniuersam ciuitatem nihil præter quam lachrymæ, gemitus, funera, medici, & visitatio ægrotorum fuerit in vsu. Denique in fine grassari incepit pestis, & tanta atrocitate & seueritate inuadere, vt vndique viri, infantes, mulieresque omnis ætatis, qui infectionem passi sunt subito etiam in plateis mortui ceciderint, ita vt consanguineus consanguineo, aut amicus amico præsidium præbere non sit ausus, & itidem liberi parentes, parentesque suos liberos recusare & euitare sunt coacti; medici ipsi attoniti fugam ceperunt, & pompa funebris iam erat incognita, sed sine ceremoniis nobiliores ad fossam more vili sunt attracti. Hæc quidem contagio à primordio verni temporis vsque ad primum mensis Maii incrementum suum habuit, atque tum postea (non nisi paucis superuiuentibus) decrescere incepit.

Quid? Anne hoc vento brutali, & inani in terra incluso, seu potius præsentiæ Domini, per angelum impios & superbos affligentis (vti in tempore regis Dauidis quando contra mandatum DEI populum numerare est aggressus) est attribuendum? O vana philosophorum Græcanicorum inuentio, qui admirabilium terræmotus effectuum, cum sint oculares quasi testes (nam Diodor. Siculus & Herodotus mirabilia de terræmotibus in Græca accidentibus narrauerunt) tamen stupendos ipsorum effectus causæ tam friuolæ assignare gestiunt, qualis est merus aer seu ventus inclusus in cauitatibus terræ.

Sed in hoc loco varias philosophorum de terræmotu intentiones recitare aggrediemur, quo facilius discernatis quam sint in suis opinionibus inconstantes atque instabiles, quod quidem inde oriri solet, quoniam verum meteororum fundamentum secretosque verbi diuini actus ignorauerunt.

Posidonius dixit causam huius esse ventum iuclusum in concauitatibus terræ, in quo cum Peripateticis conuenire videtur dicentibus, ipsum esse factum à vaporibus in visceribus terræ obstructis, qui locum exitus minime inuenientes, atque per radios solares tempore diurno facti atque rarefacti, latera terræ exitum quærentia concutiunt, & ita erumpentes terræ motum faciunt. Assyrii atque præ cæteris Babylonici eum virtute cuiusdam planetæ seu eiusdem radiorum aspectu quodam, cum illis solis in centro terræ concurrentium produci volunt. Anaxagoras eum processu temporis ab aere in terra retento procreari putat. Atque ita videtis quod multi multa, at nihil certi de huius ortu aut causa efficiente indicauerint, cum reuera Deus sit huius rei causa immediata, è corpore angelico aspectu iracundiæ suæ terram intuente, qui hæc omnia efficit atque agit in fortitudine brachii sui, vti in præcedentibus est declaratum, ei ergo soli attribuatur tanti miraculi laus atq; gloria in æternum.

Quod etiam Deus sit sola fontium atque fluminum causa efficiens, nos docet sacer contextus, vbi sic legitur: *Qui emittit fontes per valles, vt inter montes ambulent, vt potum præbeant omnibus animantibus agri, Psal.* 107. Et alibi, *Cum roborauit Iehoua fontes abyssi, sapientia erat cum eo. &c. Prou.* 8.28. Quibus liquet, quod Deus seu virtus diuina sit causa fontes & flumina efficiens, & non vapores terræ, vti Peripatetici falso existimauerunt.

Denique Deum esse vnicum tempestatis marinæ effectorem, vtpote qui ex turbine ad istiusmodi effectum agit, non aliter quam dictus est Iobum ex turbine alloquutus esse, quod etiam ex hisce Psalmistæ regii dictis confirmari videtur, *Descendentes* (inquit) *ad mare nauibus, ipsi vident opera Iehouæ, & mirabilia eius in profundo, dicitque, & flare facit spiritum turbinis, & exaltat fluctus eius, ascendunt vsque ad cœlum, descendunt vsque ad voragines &c. Psal.* 107.33. Porro & alibi legimus, *Oceani naues perfringes Euro, &c. Psal.* 65.

His ergo more recto intellectis, necesse inprimis habemus, vt ad Deum in omnibus tribulationibus istis confugiamus, eum oremus, eius potentiam cum tremore agnoscamus, vt hoc modo li-

beri euadamus à periculo imminente. Quare Ethnicorum figmentis, nullius virtutis aut potentiæ fidem nullam adhibeamus, in Deum eiusque verba omnia perficientia credamus, vt Deo commiserescente bene in omnibus huiusmodi angustiis nobis sit atque fauste. Hinc loco antea citato in tempestatis marinæ aggrauatione sic pergit Propheta: *Tunc clamant ad IEHOVAM, & de angustiis eorum educit eos, stare facit turbinem in silentium, & silent fluctus eorum, vnde celebrant IEHOVÆ misericordiam, & mirabilia eius filiis hominum prædicant, Psal.* 107.

Correlatiuum ad Microcosmum.

TAm ex Theosophorum quam Philosophorum eruditiorum doctrina accepimus, quatuor esse in mundo ad Archetypi & primæ Ideæ similitudinem procreata, quorum duo sunt naturali via, à creatore optimo maximo creata, videlicet mundus & homo, alia vero creaturæ humanæ hominis nempe artificio fabricata, Arca nempe seu tabernaculum fœderis à Mose exstructum, & templum illud insigne à Salomone fabricatum. Vt ergo naturalia illa sunt secundum Archetypi effigiem creata, ita quidem artificialia ad naturalium exemplum sunt fabricata. Sic enim in mundo tres habemus regiones, quarum vna dignitate alteri præcellit, videlicet suprema, quæ est omnium essentia præcellentissima, *Empyrea* dicta ab ignea sua natura, & vero, vt ignis est elementum omnibus cæteris dignitate eminentius, essentia purius & simplicius, itaque idem ob istam rationem cœlum Empyreum est cæteris duobus inferioribus caput atque Princeps, vnde pro sede assignatur creaturis omnium purissimis atque simplicissimis, Angelis videlicet, atque intelligentiis splendore diuino coruscantibus.

Tunc media regio de vtroque extremo participans sequitur, quæ *Aether* dicitur, quia ex igne supremo & aere infimo videtur componi, quare non est adeo pura atque illa suprema, nec ita impura, crassa, atque immunda, ac illa infima, sed in mediocritate consistens. Denique infima est superioribus quantitate crassior, qualitate imperfectior, omnibusq; mutationibus obnoxia, videlicet ventorum agitationi, nubium procreationi, tonitruorum vociferationi, atque fulgurum, presterum, & cæterorum meteororum lucidorum inflammationi, pluuiarum madefactioni, aquarum inundationi, ventorum è terra erumpentium violentiæ insanæ & furibundæ, turbinum potentiæ, & infinitis aliis præter naturæ placidæ leges accidentibus; Porro etiam in homine ad imaginem mundi fabricato (vnde & Mundi filius dicitur à Mercur. Trismegisto) habemus cœlum intellectuale, menti diuinæ eiusque scintillis angelicis assignatum, vnde & eius caput est, sancti sanctorum sedes; in regione media seu spiritu cœlesti est vitæ atque animæ viuentis sedes, atque aer eius grossus, cum externa templi huiusce humani sedes, videlicet corpus, tot & tantis mutationibus subiiciatur, atque meteororum, tam ad generationem quam corruptionem tendentium effectibus, vt quam aptissime infimæ mundi regioni comparari debeat.

At vero hoc idem confirmauerunt Moyses in sui tabernaculi, & Salomon in sui templi construendi ratione: Nam prima eorum pars est detecta, & aeri communi aperto relicta, ventis, pluuiis, grandinibus, niui, & aliis aeris impressionibus, quæ sub circulo lunari formari obseruantur, ac denique omnibus alterationibus & mutationibus subiecta est, quare & huic parti accedunt homines vulgares omnis generis, simul atque animalia, vbi ratione sacrificiorum continuorum assidua est vitæ & mortis vicissitudo, vnde factum est, vt mundi elementaris dispositioni conuenienter applicetur pars illa, vtpote qui compositus est ex aqua, tanquam substantia fluxili & instabili, vnde mundus reuera dicitur tenebrarum atque obscuritatis, atque ob hanc causam tentator dicitur quandoque Princeps tenebrarum, & quandoque Princeps mundi, & quandoque Princeps habens potestatem aeris. Pars secunda tabernaculi seu templi tecta est, atque intrinsecus auro resplendet, & illuminatur candelabro cum 7. brachiis, quæ sine dubio denotant planetas totidem, vnde hæc tabernaculi regio sine dubio repræsentat mundum in Macrocosmo cœlestem, de luce & tenebris participantem, videlicet igne & aqua tenui, vnde dicti sunt cæli ab Hebræis *Eschamaim* ab *Esh*, igne, & *maim*, aqua, ex quibus liquet, quod cœli substantia sit reuera corpus, sed incorruptibile, quodam imbutum intellectu, à quo gubernatur, eique annectitur, ita vt non sit materia hæc libera nec vagabunda, talem etiam respectum habet anima rationalis in homine, seu Microcosmo, ad eius corpus. Tertia Tabernaculi seu Templi pars erat Sanctum Sanctorum, effigiem seu imaginem præ se ferens mundi intellectualis, qui est ignea angelorum atque intelligentiarum abstractarum seu separatarum (qui ministri sunt Dei viuentis) sedes & domicilium, quod etiam in eo significatur, quoniam duo Cherubini aurei extensis in longum alis tegunt & adumbrant propitiatorium. Porro etiam in templo humano has omnes habemus regiones, puritate & impuritate omnimodo differentes, vnde factũ est, quod vt in mundo maiori omnes habemus influxus à DEO per mundum maxime purum atq; igneum, in illum sibi proxime subiacentem, videlicet mediantibus sephirotis per regionem angelicam seu empyream in illam æthereum, atque itidem illa æetherea in illam sublunarem, elementarem

dictam

dictam, in qua tot & tantæ fiunt in mundo permutationes; ita quidem in mundo humano vis mentalis per intellectum influxus suos facit in regionem æthercam, in qua est vis vitæ, cuius denique influentiis spiritus aereus, vndique per corpus & alueos sanguineos dispersis, regitur atque gubernatur, ad vitæ humanæ complementum, atque ipsius conseruationem; at vero harum regionum essentias habemus ab illa regionum Macrocosmi, præterquam quam duplici afflatu (illo scilicet communi, quem creator mundo ad eius complementum assignauit, & eum proprium, quem ipse homini sub nomine spiraculi vitæ inspirauit in faciem Adami) necesse est quod particulæ cuiuslibet Macrocosmi regionis homini in sua creatione attributæ concurrant ad perfectionem regionum Microcosmi. Porro etiã eadem ratione liquet, quod infima Microcosmi regio seu aer, meteororum varieformium præsentia aggrauata atque perturbata, etiam cum aere humano communicet assidue, quippe qui aer communiter inhaustus & inspiratus tam per nares, asperam arteriam, & poros Microcosmi, se iungit cum illo in homine incluso, & per hanc communicationem ille etiam humanus est particeps & compos naturarum, impressionum in aere magno prius generatarum, ac tum postea per eum dissipatarum, & quasi in seminaria inclusarum: atque vt in Macrocosmo Deus influentias, omnia meteora, tam propitia quam maleuola procreantes, per portas suas lucidas impluit in mundum angelicum, & ille in mundum cœlestem, qui tandem per illum elementarem vndique disseminat: ita quidem Deus est actor in his omnibus generalis, eiusque actus est eius verbi vndiq; dispersi seu sapientiæ, seu emanationis atque emissionis lucidæ effectus. Quare etiam manifestum est, quod omnes morbi in homine procreati non aliter procedant à Deo, quam meteora illa in magno mundo: at vero quemadmodum voluntatis diuinæ effluxus prius per ordines angelorum varios secundum variam effluxuum rationem descendunt, qui etiam tum postea in corpora ætheris stellaria eos effundunt, à quibus denique in inferiora ad meteororum atque impressionum cuiuslibet generis procreationem impluuntur, ita quidem venti quasi spiritus & angelicæ impressiones, tam occulte quam manifeste, sunt ministri Dei, qui primum agunt in aere aperto, vt tum postea variis modis & viis agant in aere humano ad voluntatem seu placitum DEI siue bonum siue malum exequendum. Hinc ergo est, quod vt in mundo maiori dictum est, *præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando, & carbones ignis, & intonuit de cœlo Dominus, & dedit altißimus vocem suam, & carbonem ignis, misit sagittas suas, & disparuit eos fulgura multiplicauit & conturbauit eos, &c. Psal.17.a 9.* Vbi per sagittas intelligi possunt fulguris radii, vnde alibi dictum est, *Ibunt directe emißiones fulgurum, & tanquam bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Sap.5.22.* Etiam in Microcosmo tali modo mediante Microcosmi spiritu agit Deus, videlicet in cendium in eius spiritu aereo non aliter accendendo, quam in aere Macrocosmico.

Quare in hæc verba erumpit Iob. *Sagittæ omnipotentis in me graues sunt, virus earum ebibit spiritum meũ, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt oppugnant me, Iob.6.4.* Et alibi, *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis donec consumaris, Iehoua te percutiet tabe æstuante*; Hoc autem fit in ira Iehouæ de qua sic loquitur *Ira Iehouæ fit vt ignis consumens*, Et alibi, *Igne absumet Deus improbos*, Et de hoc alibi, *Effunde æstum tuum in alias gentes.* Porro etiam lepra cadens in Miriam niui comparari potest. Sed de his in historia nostra Microcosmi Præternaturali locupletissime. Nunc autem ad ministrorum angelicorum DEI descriptionem, quorum est mandata & placita DEI perficere, saltu quidem leui descendemus.

MEMBRI SECVNDI

LIBER PRIMVS.

DE ANGELIS IN GENERE.

CAP. I.

De variis intelligentiarum appellationibus, iis tam à Theosophistis, Cabalistis atque etiam Philosophis assignatis, & de ipsorum ratione.

TAmetsi in Historia nostra Macrocosmica luculenter satis, licet verbis magis succinctis, de angelorum seu dæmonum tam bonorum quam malorum nominibus, naturis, locis, atque operationibus loquuti sumus: tamen hoc in membro ipsorum conditiones paulo accuratius inspicere nos vrget subiecti præ manibus nostris versantis necessitas. Quare dum hoc in loco apta se nobis præbet

præbet occasio de ipsorum appellationibus, compositione, differentiis, proprietatibus tam in genere quam magis speciatim agemus.

Ad ipsorum nomina ergo quod attinet, ea non necessitate aut ex essentia sunt iis imponenda, vti per ea & palam prout reuera in suis naturis sunt nominentur, & clamentur, sed solummodo signacula memoratiua sapientibus reuelatione sunt tradita, mediantibus quibus ab hominibus intelliguntur, & in memoria habeantur: non enim latet omnis virtus diuina in voce; Sic etiam ineffabile est nomen Tetrogrammaton, & tamen cum à Moyse quærebatur, Quod est nomen tuum, respondebat ei Deus i. h. u. h. hoc est, *nomen meum in æternum*, & *hoc memoriale meum de generatione in generationem*, est igitur Tetrogrammaton æternitatis nomen, generationi autem memoriale tantum, quia nequit vlla voce componi nomen, quod diuinitatis naturam æquare possit. Quare Rabi Moyses Ægyptiacus dicit, nomina Dei ab hominibus vsurpata esse à proprietate & minime ab essentia proferenda; verbi gratia *Ehieh* ab æternitate: *Adonai* à Dominatione, *El* à fortitudine, &c. Pari etiam ratione Angelos seu intelligentias secundum ipsorum essentias nominare, durum & impossibile est, vtpote essentia diuina repletissimas: at vero quatenus sapientes angelos ab operibus cognouerunt ita quidem nomina iis tam generalia quam particularia imposuerunt. Exempli gratia, Generali nomine primus Hierarchiæ supremæ ordo dictus est *Seraphin* ab amore & ardore igneo. *Cherubin* à sapientia & scientia, *Throni* à Iustitia &c. Sic etiam Archangeli & angeli ab officio ipsorum emissario. Porro etiam nomina pari ratione peculiaria peculiaribus ascribuntur angelis eodem respectu, videlicet à conditione seu officio & virtute, quemadmodum à medicina & medicatione *Raphael*, à virilitate *Gabriel*, ab ignea natura *Vriel*, &c. quorum tamen nihilominus nomina propria & essentialia proferre admodum est arduum, quoniam ipsorum essentiam ignoramus, & consequenter eam inuenire mortalium fragilitas negat atque prohibet, nisi in quantum nobis reuelatione diuina fuerit concessum, Hinc ergo erat, quod sapientes contēplantissimi sibi ex numeris & figuris secundum voluntates, angelorum nomina formauerunt, non aliter quam pueri ex literis voces componere docentur, vel Hebraicis, vel Græcis, vel Romanis, vel Arabicis, vel Ægyptiacis, non quod voces egeant literis talibus, sed quia tanta est nostra imbecillitas, vt memoriæ causa tales requirantur characteres, taliaq; ex literis & characteribus nomina efformantur: Sunt ergo nomina huiusmodi quasi notamina (vti Reuchlinus habet) quæ sensus nostros inprimis incitent vel figura, vel voce, tūc phantasia à sensu exagitatur vt & phantasia memoriam, memoria rationem, ratio intellectum, intellectus mentem, ac denique mens angelum mouet, Ex quibus liquet, quod angelus excitetur à nobis hac via, ad voluntatem nostram piam obeundam, & non nos ab angelis. DEVS enim & angeli syllabis & dictionibus aut orationibus vulgo familiaribus non commouentur, sed nos per illas, sed illæ nos inducunt vt in eis quasi anchoram fiduciam habeamus. Exempli gratia (vti Reuclini verbis vtar) appellendo nauem ad portum, solent nautæ resti eiecta vel fune prolato terram attrahere quāquam immobilem, quo conatu ad terram seipsos trahunt, simili plane respectu per signa huiusmodi sensibus obiecta videmur diuinitatem inuisibilem nobis attrahere, cum tamen reuera nos ipsos mobiles ad immobilem diuinitatem attrahamus.

Hinc ergo est, quod signis, characteribus, voce, hymnis, & aliis cæremoniarum ritibus vtamur in DEI & Angelorum in nostrum auxilium inuocationibus, non inquam vt illos moueamus ad nos, sed vice versa vt nos hac ratione ad eos eleuemus, Sed ad propositum.

Spiritus

- Spiritus separatus appellatur nomine magis
  - Generali vel respectu ipsius
    - Officij
      - Archangelus
      - Angelus.
      - Spiritus administratorii.
    - Substantię ex qua componitur
      - Mamon seu Mamona
      - Spiritus,
      - Ventus,
      - Minister igneus.
    - Scientiæ qua præditus est
      - Dæmon
      - Dæmonium
      - Intellectus separatus
      - Intelligentia
    - Originis & dignitatis
      - Sanctus Dei nutus
      - Diuinus vultus
      - DEVS
      - Agalmata
    - Contrarietatis in proprietate
      - Bonus
      - Malus
  - Speciali & peculiari vel respectu
    - Virtutis atque operationis, nempe à
      - Medicina, Raphael,
      - Virilitate Gabriel.
      - Ignea dispositione Vriel,
      - Stupore & admiratione gratia fortitudinis suæ Michael
    - Mundi, quartæ ipsi assignatæ,
      - Orientalis,
      - Meridionalis,
      - Occidentalis,
      - Septentrionalis.
    - Elementi, in quo creditur habitare
      - Igneus,
      - Aereus,
      - Aqueus
      - Terreus
    - Stellæ cælestis, in cuius orbe mansionem habet vel virtutem per influxus recipit
      - Saturnius,
      - Iouialis,
      - Martialis &c.
    - Nominis cui inseruiebat
      - Ieremiel à Propheta Ieremia.
      - Zachariel à Propheta Zacharia.
      - Vriel ab Vria
      - Ezechiel &c.

IVxta Cabalistarum sententiam spiritus istiusmodi abstractos dicimus Malachim à Hebræis, Angelos à Græcis, Deos à Latinis, Reuclin. De Art. Cabal. At vero alii volunt Archangelum & Angelum esse nomina ab officio potius emissorio deriuata, vnde Angeli quasi nuntij, vtpote qui emittuntur ad voluntatem diuinam annuntiandam & exequendam. Dicuntur etiam spiritus administratorii, seu præfecti ad faciendam omnẽ rem à Deo institutam. Et Racanat in 14. Exodi vocat eos characteres volantes superne in fundamento sapientiæ spirituales operationes, quorum sunt notæ Cabalisticæ. Nomina eorum iis secundum substantiam assignata sunt. Mamon seu Mamona quasi spiritus, atq; etiam ventus & ministri ignei, vnde in literis sacris legimus, *Qui facis Angelos tuos ventos, & ministros ignes vrentes.*

Præterea nomina sua sortiuntur à scientia & ratione, qua præditi sunt. Dæmones, & Dæmonia dicuntur, quasi scientes, intelligentes, sapientes, & præcipue ipsi qui solicitudini negotiorũ inferiorum sunt destinati. Et quamuis Dæmonij vocabulũ videatur nobis esse nomen in malam partem acceptum videlicet pro malo dæmone, in quo esse diuinum extenuari solet; attamen à multis authoribus satis probis illud in bonam partem vsurpari inueniemus, videlicet ab Homero, Apuleio, & aliis, qui dæmonium Socratis accipiunt pro Deo eius. Porro etiam intelligentia dicitur angelus &

intellectus separatus, non à materia, sed à Diuina natura, vtpote quæ est vnitas, at vero essentia angeli est alteritas, vti infra clarius. Per intelligentiam autem & intellectum separatum intendimus substantiam intelligibilem, liberam ab omni crassa & putrescibili corporis male, immortalis, insensibilis, cunctis adsistens, cunctis influens; quibus denuo concludere possumus, Intelligentiam, Dæmonem, & Spiritum esse eiusdem naturæ atque conditionis.

Nomina etiam iis ab eorum origine & dignitate sunt inscripta, videlicet *Sancti, nutus DEI*, & *diuini vultus*, Imo vero & Dij nuncupantur, & Angeli pro Diis interpretantur: Atque etiam Dionysius eos agalmata, id est præclara & polita specula vocat, in quibus gloria & splendor diuinus recipiuntur, atque ob formarum istiusmodi vbiquitatē, dixerunt Platonici omnia diis fuisse plena, quos tamen vnico Ioui referebant, quasi ipsorum parenti, nam à prosapia increata orti sunt, atque fulgidam suam gloriam acceperunt. Ad nomina quæ iis imponuntur, propter cognomina hominum quibus administrabant, quod attinet, talia iis nomina à sacris scripturis imponi legimus, videlicet apud Esdram nomen Archangeli *Ieremiel*, à Ieremia Propheta, *Zacchariel* à Zacharia, *Vriel* ab Vria Propheta, quem occidit Ioachim: Sic Samuel, Ezechiel, Daniel, tum prophetarum tum & Angelorum sunt nomina. Porro etiam Phaniel & angeli & loci nomen est, in quo per totam noctem luctatus est Iacob, Ex quibus patet, quod nonnunquam spirituum nomina accipiantur à rebus ipsis quibus præficiuntur, videlicet siue stellis, siue hominibus, siue locis.

Denique à naturarum contrarietate bona & mala dicuntur, At vero, quoniam de his latiorem mentionem in sequentibus habebimus, vbi de Angelorum differentia verba faciemus, ad ipsorum compositionem saltu quidem leui descendemus.

Cap. II.

De Angeli Essentia & compositione, quid sit eius externum, quidque internum?

MAgna orta est inter philosophorum atq; theosophorum peritiores *De consistentia Angelica* disputatio atq; discrepantia, cum quidam (inter quos Damascenum, Thomam, atq; Dionysium nomino) affirment Angelum esse quid absolute incorporeum. At vero, Basilius, Origenes, Gregorius atq; Mercurius Trismegistus cum tota Academicorum Schola eum vult esse substantiam corporeā, & quod absque errore Angeli possint dici corpora Augustinus supra Genes. verbis expressis ait dæmones, aera, atq; ignea esse animalia, & consequenter iis corpora aerea assignare videtur; nam alibi asseuerare haud dubitat, angelos ab initio creationis suæ corpora habuisse aerea, ex puriori superioris aeris parte formata ad agendum idonea, & non ad patiendum, malos autem angelos lapsu mutatos fuisse, quoad corpus in aeris crassioris qualitatē, vt etiam pati atq; igne torqueri possint: Qualia etiam corpora angelis assignata sint à Deo in creatione nos docet Basilius, videlicet quando dicit esse spiritus tenues, aereos, & puros, Artesius in claue sapientiæ ait Diaboli externum esse aerem, eius vero internum ignem, ob quam causam docet Diabolo facillimum esse, respectu sui externi, cum spiritu aereo in homine coniungi, atque hac via morbos æstuosos procreare.

Ad nostram autem opinionem quod attinet, certissimum est, & ratione aperta cōprobatum, quod Basilius, Gregorius, Origenes, & Academici omnes à veritate minime in eo deuiarint, quod dixerūt dæmones seu angelos esse quoad eorum externum ex aere incorporatos, vnde & pro aeris incrassitie aut tenuitate variatione diuersa, varii inueniuntur in mundo dæmonum ordines, natura & conditione inter se discrepantes; nam vti obseruatum est in ordine naturæ aerem subtilē nihil esse præter merum ignem, & aerem mediocrem præter ventum, eiusq; crassum in naturam aquæ commigrare, cuius tandem spissum est ipsa terra, ita quidem ob eundem plane respectum, dæmonum alii sunt ignei, alii aerei, alii aquei, & nonnulli terrei, atque consequenter omnes respectu ipsorum externi sunt aerei mere, hoc est subtiliter corporei; quatenus aerei.

Nam quis in philosophia quodammodo versatus ignorare potest aquam pluuiam prius fuisse nubem densam, & nubem densam à vaporis nebulosi specie fuisse prius deriuatam, atque ille vapor nebulosus qui oculis comparere solet, erat vapor inuisibilis, qui est primus gradus progressionis ab aere mediocri & inuisibili, ad illum spissum & visibilem, quæ alteratio fit per gradus spissitudinis; Pari ergo ratione necesse est, quod ad variam angelorum constitutionem respectum habemus, atq; hinc oritur mysterium mutationis angelicæ ab vna in aliam speciem, à forma visibili in inuisibilem, & è regione; vnde certum est, quod angeli quatenus aerei, eatenus sunt corporei; nam nisi aer in sua natura inuisibili esset corporeus, impossibile esset, vt in corpus visibile condensaretur; nam quod facit tale est semper magis tale, in suo exordio, nec certe quicquam quid dare potest quod ipsum non habet, at aer appositione facit nubem aquam, & terram, via condensationis; quare procul dubio naturam corpoream in se habet, aut in corporis speciem alterari erat impossibile; Hæc ergo erat ratio, cur alii sunt dæmones ignei, videlicet qui tenuissimo & rarissimo induuntur aere;

aere: alii venti qui ſcilicet aere mediocri veſtiuntur,& ſunt in ſuis corporibus ſpiſſiores ; quam illi ignei,& ita in cæteris: quibus concludimus , quod vtcunque angeli in ſuis ſphæris intelliguntur, pro corporibus accipi debent,licet raritate & puritate , prout de hoc vel illo elemento magis participant,inter ſe diſcrepare videntur.

Ob iſtam procul dubio rationem agnoſcere videtur Orpheus eſſe corpus vnum, quod igne tantum conſtat,hoc eſt cuius tam externum quam internum ſit igneum,atq; huiuſmodi dæmones vocat ipſe ſupercæleſtes:alterum ignis & aeris mixtione contemperatum,atque hi dæmones dicuntur aerei & ætherei,illi ſi aqua addatur,aſſurgit genus tertium dæmonum,qui aquei dicuntur,atq; hi viſui quandoq; ſubiiciuntur, quibus ſi ſubtile terreum ſubiungatur , dæmones dictitantur terreni. Quibus nobis innuere videtur , quod ſecundum variam ſpiritus mundani in tenuitate aut ſpiſſitudine temperiem,corpora angelorum inter ſe diſcrepare videntur.


Sed ad lucidiorem huiuſce rei demonſtrationem accedere nobis jam liceat. Habemus in rerum vniuerſitate non niſi duo nobis propoſita,videl.creatorem vniuerſalem,ſeu lucem increatã, omnia formantem,atq; creaturam omnia in cœlo & in terra mediante dicta luce increata conſtituentem, atq; eam nos docuit D.Petrus eſſe aquam, vt & lucem illam verbum nuncupauit diuinum.Hic ergo habemus omnium creaturarum tam externum quam internum.internum (inquam) quod initium ſuum habet , à Spiritu Dei incorruptibili , qui dicitur ineſſe omni rei, *Sap*.12. vt vitam & eſſe ei impartiatur,h.e.cuilibet creaturæ,inter quas angelos & intelligentias ſtatuimus eſſe primi ordinis atq; intentionis,h.e.in eſſentia & excellentia ſua Deo proximas,& in conſiſtentiæ ſui externi puritate & tenuitate Deo contiguas,vnde vt Dei eſſentia eſt ſimpliciſſima , omniſq; materiæ expertiſſima,atq; ſibi ſoli abſq; vllo materiæ adiumento ſufficiens,ita quidem identitas iure nuncupatur & vnitas,at vero quatenus præter radium iſtius increatæ diuinitatis,qui eſt eius internũ, angelus habeat ad ſuam conſiſtentiam ſpiritum externum creatum,ad ſui corporis molem vtcunq; ſubtilem cõplendam,eatenus eſt ipſa creatura & non creator,quare ab itentitatis dignitate diſtare dicitur,quoniam ex duobus conflatur,atq; ob hanc cauſam haud inepte à tam in philoſophia quam theoſophia peritioribus appellatur Alteritas,quæ numerum binarium præſupponit,vnde euidens eſt,quod,vt Deus in ſua natura eſt abſoluta ſimplicitas,ita quidem natura angelica ſit ſummus in compoſitione gradus,non aliter quam numerus binarius eſt prima vnitatum confuſio,ſeu prima vnitatis in multitudine immerſio,h.e.primarius in compoſitione gradus,non aliter quam numerus denarius,qui eſt articulus,eſt radix ad centenarium , qui eſt quadratum ad millenarium,qui eſt cubus,nam articulus eſt primus in numerorum cõpoſitione gradus,poſt digitos,qui ſunt numeri ſimplices,vti in demonſtratione ſequẽti clarius. Vel ſic; Alteritas hæc angelica eſt numerus binarius,conflatus ex vnitate diuina,quæ eſt eius formale atque internum lucidum,& vnitate creata,quæ eſt ſubtile aereum,ſeu,eſt tenuiſſima aquæ primordialis proportio,quod eſt angeli externum & corporeum;quare certum eſt, quod binarius numerus ſit compoſitorum omnium in mundo quaſi radix, cuius quadratum cum ſit quatuor,importat illa quatuor elementa,quæ in radice multiplicata producunt elementa ſub forma cubi,quę ſunt vltima in compoſitione ſpecies,non aliter quam numerus millenarius eſt vltimus numerorum finis,vt autem vnitas ſeu lux Dei ſeu verbi ſyncera,eſt forma in compoſitione primaria ſeu angelica,ita quidem natura angelica eſt forma ad compoſitionem cæleſtem, quæ in ternario cõſiſtit,atq; eſt iſta compoſitio itidem loco formæ ad elementa ſublunaria,& quæ ab ipſis conſtituuntur. Atq; hæc eſt ratio quod à ſapientibus omne opus abſconditum,omnis meteori effectus, omnis animalis vegetabilis aut mineralis proprietas habeat ſuam virtutem angelicam à cœlo & aſtris ipſis influxam,imo vero ob iſtam rationem Orpheus & Pythagorei omnia Diis plena dixerunt, quos vnico Ioui Deo Deorum referebant omnes. At Platonici dixere, Omnia formis plena,quas itidem vnicæ mundi animæ referebant,quorum priores magis à priori demonſtrationem ſuam fecerunt,videlicet angelos,quos ad Deũ vnicum retulerunt,alteri magis à poſteriori videlicet ab anima mundi, quam in cœlo æthereo poſuerunt,quæ eſt vis illa angelica à Deo infuſa,qua cælum animatur, formaſq; nouas aſſidue in varias elementorum ſphæras earumque ſpecies impluit liberaliter.

Ex his ergo videmus,quomodo angeli ſint compoſiti ex interno & puro,quod eſt lux diuina, de gloria cuius ſunt magis minusue repleti,& de ſpiritu mundano tenuiſſimo , tanquam ipſorum externo,qui ſpiritus etiam differt in tenuitate,puritate,& ſubtilitate,vnde fit,quod qui puriores & tenuiores ſunt,ſint magis gratiæ capaces,qui denſiorum corporũ,minus: nam quo magis materia diſtat à groſſitie,eo etiam magis vicina & propinqua eſt Deo; Hinc legimus in Secretioribus in Cabala & theographia,quod natura angelica ſit valde propinqua ob ſuam puritatem primæ luci , quæ eſt Deus; & quod eo plus attrahat à fonte lucido quo propinquior eſt,& eo magis recipiat Theophanã, hoc eſt, lucem & ſplendorem Dei,quo purior,ita vt prima lux deſcendat primum in angelos, primi ordinis,à patre luminis,à quibus infunditur illa illis ordinis ſecundi &c.

Sed vt iſta clarius intelligantur ſciatis velim quæ in hac re ſit opinio Archangeli in Dog. ſuo Caballiſtico: Quicquid inquit diſtat à Deo actu primo & puriſſimo , neceſſe eſt ſubintrare materiam, vnde naturales deſcribentes entium latitudinẽ in eius cacumine poſuerunt actũ purũ ſine materia,

in

in imo vero materiam sine forma, intermedia vero omnia admixta demonstrantur ex forma & materia: hæc ille. In quo eius sermone percepi ego inventionem meam de pyramidibus formali & materiali mixtis, (qua vsus sum sæpius in physicæ meæ Macro & Microcosmi historiæ demonstratione,) non modo non fuisse vanam, verum etiam à probis authoribus strenue statuminatam. Quare si vobis placuerit figuram hanc sequentem acutis oculis intueri, videbitis pyramidem materialem sursum cœlum versus suo cono petere, quousque eius conus pertingat ad naturam diuinam, in quam penetrare non permittitur, quippe quæ est omnis materiæ expers, & vacua, & sibi ipsi vbertim sufficiens: huius autem pyramidis materialis basis in centro est terræ, quod maxime à fonte lucido videtur distare. At vero vice versa Pyramidis formalis basis est cum Deo, & in Deo, eius vero conus ad basin vsque pyramidis materialis descendit. Considerare ergo potestis, quod vbi maior est pyramidis formalis proportio, ibi debilior, subtilior, & minor est pyramidis materialis portio, & è regione, in media vero intersectione vbi sc. ambæ pyramides se intersecant, ibi æqualem adesse diximus formæ & materiæ portionem, quare sphæram æqualitatis per eam transire affirmauimus, in qua Sol transire dicitur. Descriptio est talis.




Vidi

In qua videtis portionem pyramidis materialis superiorem portionem vix tertiam occupare, ita vt tres videantur esse pyramidis formalis portiones ad vnam illius materialis.


Porro à tertia diuisione in suprema regione ad sedem Dei videtis pyramidem materialem paulatim & gradatim ascendendo deminui; Quare certissimum est, quod quo magis creatura angelica propinqua est naturæ diuinæ, eo etiam & in ipsius compositione materiam reddi puriorem, tenuiorem, & rariorem, & consequenter proportione minorem esse, atque vt videtis in ista demonstratione, quod quo magis tendit pyramis illa versus conum eo etiam maiori pyramidis seu emanationis formalis à Deo emissæ portione includitur, ita angeli ordo quo propinquius in sua natura accedit ad Deum, hoc est, quo subtilior & rarior est in materia, eo plenior & ditior est in forma diuina, atque ex istiusmodi proportione pyramidali colligere fas erit angelorum dignitates, exaltationes, atque differentias: nam quo magis in materiæ multitudine submergitur natura interna angeli, quæ à DEO mera forma effulsit, eo magis gradu & honore deprimitur ipsa; vnde factum est, quod secundùm Dionysii animaduersiones Ordo *Seraphin* dignitate & excellentia præcellit illum *Cherubin*, quoniam suprema seraphicæ in compositione materiali portio est in cono pyramidis materialis, quæ contigua est ipsi Deo, quare & angeli istius ordinis sunt illi, qui immediate dicuntur stare in præsentia Dei, & consequenter qui immediate recipiunt igneos seu lucidos à Deo influxus, quos tum postea ad Cherubin demittunt, vt & Cherubin ad Thronos, atque ita successiue in reliquis; ita vt quo magis deorsum remouentur ordines in sua positione, eo remotiores sunt à dignitate præsentiæ diuinæ. Hoc videntur in theographia profundiores verbis quidem expressioribus arguere; quæ sunt huiusmodi, Quo substantia angeli est simplicior, eo magis à materiæ dominio distat, quo autem magis à materiæ multitudine abest ordo angelicus eo expressius similitudo Dei relucet in eo, tanquam in clarissimo & politissimo speculo, & consequenter splendor Diuinus est in eo clarior, & influentia fælicitatis copiosior, viuacior, atque dignior, Hinc dicit Dionysius, Qui ordinis sunt superioris, copiosius recipiunt lumen DEI, quam qui inferiores sunt, & hi lumen illud quod receperunt aliis inferioribus participant, hæc enim participationis lex inter angelos obseruatur. Hæc ille. Sed & hoc clarius per demonstrationem quandam in physica nostra De Microcosmi historia, vbi de hominis interni harmonia mentionem fecimus est explicatum, quam etiam ad meliorem huius rei intellectum hoc in loco denuo sic expressimus.

Vidi Iehouam in altissimo throno super palatium mundanum eleuato sedentem: illudq; palatium erat gloria Conditoris plenissimum. Esaiæ 6.




In figura ergo hac liquido explicatur proportio illa qua quilibet angeli ordo tam in materia quam in forma abundat, atque etiam quanta proportione diuina emanatio se immergat in multitudinem, hoc est in profunditatem, pyramidis formalis. Etiam in istius imaginis contemplatione videbitis apertis oculis, quomodo omnia à Deo sunt progressa, & quomodo ad Deum reuertentur, iuxta illud Apostoli: Et consequenter quomodo vnum sit omnia, & omnia tandem non sint nisi vnum. Porro etiam in pyramidis formalis speculatione debita percipietis, quid Cabalistæ intellexerint per magnum suum angelum *Metattron* seu emanationem ab *Ehieh*, quæ est sapientia illa toties in scripturis allegata, quidque illa mundi anima Platonicorum, quid poetarum Pan & Panthea, quomodo angelus sit alteritas scilicet ex pyramide creata, hoc est materialis respectu sui externi, & pyramide increata seu formali, respectu sui interni, vnde angeli dicuntur specula, lumina diuina suscipientia: quid denique sit natura creata, videlicet pyramis materialis, quæ fit ex aqua primordiali, quidque illa increata, videlicet pyramis informans, quæ est nihil aliud, quam emanatio seu effluxio diuinitatis, in spiritum seu aquam mundan im, tenebris olim obrutam & deformem, nunc diuina præsentia informatam, hoc est, in lucem productam: atque in conclusione possumus percipere, quod creatio sit nihil aliud, quam diuinæ emanationis cum recreanda permistio, vtpote sine qua ne momento quidem temporis persistere quear; hinc ergo *Omnia verbo fieri* dictum est, *& sine eo nihil quod factum est*, hinc Deum vbique omniaque implere dicimus; hinc Apostolus dixit, *In Deo nos mouere, in eo, per eum, & ab eo omnia esse, &c.* At vero Angeli dicuntur creaturæ primæ compositionis, quia eorum materia omnium tenuissima, prius accepit effectus emanationis creantis, quæ ideo à sapiente dicitur creaturarum omnium prima.

Sed ne me male capiatis vbi de pyramidibus mentionem faciam, quoniam vox pyramidis sonare videtur mathematice, & præterea more mathematico eas descripsimus, videlicet cum basi & cono, intelligatis velim, quod de pyramide physica intelligam, & non mathematica, licet illam per hanc (vtpote magis vulgariter cognitam) describere sum coactus, quare per physicam pyramidem intelligo spiritum mundanum, qui à terra ad mundi periferiam ascendens, semper gradatim se reddit in suo ascensu tenuiorem & subtiliorem, quousque in suo apice ad extremam peruenerit raritatis perfectionem, vltra quam metam nescit materia ascendere. At quod est extra materiæ captum, necesse est esse diuinæ essentiæ. Nonne videtur ipsa experientia hoc idem declarare, cum in hanc omnes coincidant, tam physici quam in theologia peritiores, aquã terra esse subtiliorẽ, aerem aqua, ignem aere, ætherem igne, spiritum Empyreum æthere, qui etiam spiritus habet & suos gradus vsq; ad pyramidis physicæ conum. Hic ergo pyramidem materialem tam physice quam mathematice expressimus, quo facilius à vobis quod à nobis est dictum concipiatur.



Similiter

Similiter pyramidem formalem tam physice quam mathematice in hunc modum delineamus.



Contractione ergo partium vtriusque pyramidis physicæ tam formalis quam materialis per se & in separata sua positione stabunt, vt numero 2. prædictæ demonstrationis videre est.

At vero proportio mixtionis vnius pyramidis formalis, videlicet cum materiali, secundum Dei decretum cum loco intersectionis, per quem transit sphæra æqualitatis, indicatur, quoniam in eo loco materia & forma sunt æquales, vti per conformem vtriusque adaptionem declaratur, in figura secunda prædictæ demonstrationis.

Videtis ergo rationem dilucide, cur Cabalistæ angelum vocauerint Alteritatem, videlicet quoniam ex duobus est constitutus, Deum autem Identitatem ac vnitatem, vtpote qui est mere formalis & sibi sufficiens, sine vllo ad materiam respectu, vnde & respectu istius proprietatis dictitatur *Sadai*, hoc est, sibi sufficiens.

At replicabunt Thomas, Damascenus, & alii illius sectæ, agnoscimus materiam in Angelis, negamus autem eam materiam esse corpoream, eam enim mere spiritualem esse asseueramus; quibus replicamus, quod stella non sit ideo à corporis nominatione remouenda, quoniam est densior pars spiritus sui circuli, qui spiritus est æthereus, & per consequens, valde tenuis & rarus. Porro etiam corpus vtcunque rarum & inuisibile non magis à corporis legibus est remouendum, quam quod est grossum & visibile: at videmus, stellam esse corpus visibile, densum, anne igitur negandum est, spiritum etiam æthereum esse pariter corpus, licet inuisibile, cum ipsius partiũ inuisibilium

appo-

appositione corpus visibile producatur? Quicquid ergo intra leges raritatis & densitatis comprehendi potest, dici potest (idque haud iniuria) corpus: Pari modo cum densum aeris sit nubes, quidni eius etiam rarum corporis nomen sortiatur, cum quod facit tale sit ipsum tale? Quid? An quia est corpus naturale, idcirco non est corpus spirituale? *Corpus* (inquit Apostolus) *quod seminatur in corruptione surgit in incorruptione, corpus naturale mutatum erit in spirituale Corpus.* Non est ergo magis impossibile, quod spiritus sublunaris aut ille æthereus, aut ipse quidem empyræus aut angelicus sit rarum corpus, & consequenter vt creaturas angelicas sua præsentia reddant corporeas, quam fuit corporeum illud corpus saluatoris nostri, quod post eius passionem incorruptibile factum, puritate & subtilitate ad thronum vsque DEI est subleuatum & sublimatum, in quo sedere dicitur ad dextram patris, & tamen nihilominus nomen corporis non perdidit. Quare angelis cuiuscunque ordinis externum corporeum assignare in nobis non detur vitio, quod omnis materia siue sit corruptioni obnoxia, seu cælestis, & incorruptibilis naturæ intra corporeæ substantiæ limites comprehendatur; nam quis iusto more negare potest, aquam in vaporē redactam non esse corpus, tam bene quam in specie aquæ, aut quod conus pyramidis materialis sit minus corpus quam est eius basis? Tota differentia est in raritate & densitate: at vero quia densum est corpus non ideo excluditur aliquod esse rarum. Quare luce clarius explicatum esse spero angelos, quo ad ipsorum externum, esse corporeos & non incorporeos, vti ipsi existimauerunt.

Quod autem ad ipsorum internum attinet, dicimus illud esse lucem increatam, ita, vt angelorum externum est quasi speculum politissimum, & clarissimum, & immaculatum, ineffabilem Dei in se recipiens similitudinem; nam in eo relucet, tanquam in terso & mundo speculo splendor diuinus immediate à maiestate diuina emanans, vnde (vti in præcedentibus declaratum est) angeli dicuntur Agalmata, hoc est, specula clarissima, lumen DEI recipientia, atque ob hanc rationem angelus dicitur esse imago Dei, reuelatio lucis absconditæ, speculum politissimum & purum, sine macula, *Dionys. de diuinis nominibus cap. 6.*

Nam recipiunt per influentiam lumen Deitatis, quod in se est incomprehensibile & inuisibile, illudque ostendit, emittit, & patefacit aliis inferioris ordinis, & dicitur speculum quasi quod potens est recipere lucem, & vocatur speculum politissimum, ob completam substantiæ suæ puritatem: & alius dicit, quod angeli sint luces intellectuales, recipientes lucem à prima luce. Emanatio autem illa descendens tam in angelorum corpora, quam in cœteras creaturas mediatione illorum est illud Cabalistarum *Hochma* Sapientia nempe, quam ideo sapiens vocat primam creaturam, vtpote quæ immediate tanquam filius à patre procedit, à fonte lucido, quam Salomon describit esse spiritum intelligentiæ sanctum, omnibus mobilibus mobiliorem, vbique attingentem propter munditiam suam, atque ipsum esse in sua essentia vaporem virtutis Dei, & emanationem seu fluxum quendam claritatis omnipotentis DEI synceram, & candorem seu splendorem lucis æternæ, & speculum sine macula DEI maiestatis, ac imaginem bonitatis illius, *Sap.* 7. Hinc ergo spiritus iuxta Cabalorum doctrinam est angelus ille magnus Mettátron, cuius est mundum vniuersum animare, quem Platonici mundi animam dictitarunt: at ipsi istam Dei claritatem intellexerunt, prout cum spiritu creato permiscetur. Dicimus ergo istam claritatem in spiritum angelicum primo ferientem ipsum inprimis informasse sua præsentia, atque hac ratione etiam est dictum, quod nomen DEI sit in angelo, hoc est, lumen Diuinum seu verbum omnia viuificans, & in angelica compositione inprimis mouens; vnde angeli sunt ministri, per quos tanquam organa verbum DEI perficitur in hoc mundo: quare Psalmista ait, *Angeli DEI validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri eius, facientes placitum eius, Psal.* 103. Et alibi, *Ecce mitto angelum meum ante te, ausculta voci eius, quia nomen meum est in eo, Exod.* 23.

Concludimus ergo quod angelus componatur ex spiritu creato, quod est eius externum, eique loco corporis adest, & luce increata, immediate à DEO effulgente, quod est eius internum, qua animatur, mediante qua angelus in sacris literis quandoque angelus seu alteritas dicitur, respectu compositionis sui totius, ex duobus, videlicet ex interno & externo, & in alio loco dicitur IEHOVAH respectu sui interni solius, quod est DEI emanatio, sic quandoque dicitur angelus esse in rubo, quandoque Iehouam è rubo esse Moysen alloquutum, atque ob istam causam angelis DEI assignatur nomen DEI El, vt *Gabriel, Michael, Raphael, &c.*


Cap. III.

De Generali Angelorum differentia, ac tum postea de particulari Angelorum bonorum diuisione.

CVm notum atque tritum sit, non modo ab ipsorum Christianorum, sed etiam Ethnicorum experientia, dæmones esse tam malos (quos cacodæmones vocant) quam bonos: Inprimis intelligentias secundum hanc generalem ipsorum diuisionem à proprietatis & conditionis contrarietate distinguere operæ pretium existimauimus. Quare angelos in prima radice ita distinguimus.

Distinguimus Angelos in { Bonos seu Lucidos vid. A.
Malos & tenebrosos. De quibus cap. seq.

Magna istiusmodi in Angelica conditione contrarietas in diuersa creatoris proprietate consistit, quæ variatur secundum decem nomina à Hebræis ei iuxta sacri Biblii sensum attributa, iuxta quorum dispositiones varij fiunt per sephirotas seu numerationes, seu portas luminosas in hunc mundum influxus, quorum alii tendunt ad clementiam & benignitatem, qui deorsum feruntur, mediantibus angelis bonis, vti illi qui ad seueritatem inclinant, ad angelos referuntur punientes, & ictu iracundiæ diuinæ ferientes: vti inferius vbertim: secundum has duas proprietates oppositissimas scientiam variam inuenerunt mundani, videlicet Boni, quæ in Deo totius bonitatis fonte & suis angelis administratoriis bonis versatur: & Mali quæ circa Diaboli, qui est totius malitiæ seu tenebrosorum effectus negotiator, quam vti methodice vobis delineemus in distinctionem hanc compegimus.



Sed ad propositum, Angelos bonos varieformiter distinguimus, secundum mundi dimensionem variam, hoc est iuxta cœlorum ordines, ex quibus conflatur mundus.

Angeli boni distinguuntur vel
- Respectu diuisionis mundi, & sic dicuntur vel
  - Supercælestes vide B.
  - Cælestes vide C.
  - Elementares vide D.
- Vti Symbolizare videntur cum literis sanctis vti infra.

Illos dicimus supercælestes, qui sunt illorum nouem ordinum, qui in cœlo Empyræo dicuntur comprehendi, qui varie à Theosophis videntur ordinari atq; explicari, progredimur ergo sic.

B Diuiduntur Angeli supercælestes à
- Theologis recentioribus in tres distinctiones quas hierarchias siue choros vocant quorum nuncupatur
  - Supremus, Epiphania cuius ordo triplex, sunt enim vel
    - Seraphin
    - Cherubin
    - Throni
  - Medius, Epiphonomia cuius tres sunt gradus videlicet
    - Virtutes
    - Potestates
    - Dominationes
  - Infimus, Ephionia quæ diuiditur in
    - Principatus
    - Archangelos
    - Angelos
- Doctorum Hebræorum antiquioribus in ordines vel locos nouem, quorum vocant illos
  - Primi Haioth Kadosh, hoc est animalia sanctitatis seu vitas,
  - Secundi Ophanim formas seu rotas.
  - Tertii Arælim, Angelos fortes, & robustos.
  - Quarti, Chasmalim seu Hashmalim
  - Quinti, Seraphin
  - Sexti, Malachim
  - Septimi, Aelohim seu Deos
  - Octaui, Ben Aelohim, hoc est, filios Deorum
  - Noni, Cherubin.

Posuerunt Theologi in superiori distinctione siue Hierarchia, Seraphin, Cherubin, & Thronos, tanquam supercælestes spiritus, diuinæ prouidentiæ gradum atque conditionem proximam speculantes, quorum ordinum supremus Dei bonitatem & amorem igneum, secundus, eius essentiam atque sapientiam, tertius eius prudentiam & iustitiam respic t. De Seraphin mentionem facit Isaias cap. 6. & scriptura sacra in multis aliis locis, vbi Deo ordine proximiores describuntur esse spiritus. Cherubin assignatur custodia Paradisi, Et alibi, *Ascendit Deus super Cherubin, & volat super pennas venti. Psal.*17. De Thronis etiam loquuntur multi Biblii sacrosancti loci videlicet Ezechiel, *cap.*1. Apostoli *Coloss.*1. Reuelatio in multis.

In secunda Hierarchia collocantur Virtutes, Potestates, & Dominationes, tanquam mundi spiritus, quorum officium magis ad mundi gubernationem accommodatur. Horum supremus imperat atque pręcipit inferioribus, secundus administrat in cœlis fatique leges ordinat, tertius summa ope enititur, vt ea impediantur, quæ legem diuinam quoquo modo perturbare præsumunt. De principatibus, potestatibus, & Dominationibus verba facit Apostolus loco superius allegato, nempe, 1.*Coloss.*16.

In inferiori Hierarchia exprimunt Principatus, Archangelos, & Angelos, quorum est officium, vt ad inferiora curanda descendant, nam primus huius distinctionis ordo curat publica, videlicet, Principes, Magistratus & Prouincias seu regna, singuli singula, inter quos 72. à Cabalistis numerantur, quibus à Diuina prouidentia commissæ sunt 72. terræ portiones, quæ ideo regna dicuntur.

Secundus ordo sacris interest, & hominibus probis in terris assistit, precesque & sacrificia dicitur DEO offerre. Porro etiam in cœlo stellarum erraticarum gubernationi atque directioni dedicantur ex illis septem, vti infra latius. Denique Angelorum est, ea, quæ minoris

in terra ſunt importantiæ, curare, vtpote qui ſinguli ſingulis adeſſe, imo vero & quamlibet creaturam ſiue animalem, ſiue vegetabilem, ſiue mineralem curare ſolent. De principatu agit D. Paulus variis in locis, & de Archangelis & Angelis vbique in pagina ſacrata fit mentio.

Ex quibus liquido conſtat, quod harum hierarchiarum quælibet ad ſpecialem in Sacroſancta Trinitate perſonam relationem habeat, ſuprema ſcilicet ad eſſentiam diuinam, media ad emanationem, ſeu Filium, vtpote cælorum monarchiam & Oeconomiam reſpiciens, & infima ad res ſublunares habet reſpectum, quippe quæ formis & virtutibus inferiorum adeſt, iiſque adminiſtrare videtur.

Ad hunc igitur ſenſum videtur pſalmiſta regius in pauciſſimis loqui dicens; *Verbo Domini firmati ſunt cœli, & ſpiritu ab ore eius omnes virtutes eorum*; Vbi Dominus ſeu Pater, Verbo ſeu Filio cælos creauit, & Spiritu ab vtroque quamlibet virtutem & influentiam, &c.

Iuxta antiquorum vero Hebræorum diuiſionem videmus eoſdem tam numero quam effectu, licet numero variantes, angelorum ordines, ſecundum ſeriem etiam portarum lucidarum ſeu ſephirotarum, aut numerationum Cabaliſtarum, per quas influxus varii diuinarum proprietatum deſcendunt ad inferiora: Nam vt alibi à nobis eſt declaratum, quod influxus *Cheter* quibus præſidet nomen DEI *Ehieh* per ordinem *Seraphin* iuxta Dionyſii doctrinam deſcendant, ita quidem ſecundum veterum Doctorum Hebræorum ſenſum per ordinem angelorum *Haioth Kadoſch*, Deus *Ehieh* eſſendi munus largire, per *Ophanim Ælohim* Chaos diſtinguere, per *Arælim Iehoua* formas materiæ vniuerſæ præbere traditur, atque ſic in cæteris, quemadmodum in ſequentibus clarius. Horum etiam ordinum nomina angelicorum Hebræorum Doctores alii fere eadem, mutato nihilominus ordine, impoſuerunt, videlicet *Cachmalim, Cherubin, Tarſiſſim, Arelim, Seraphim, Malachim, Ophanim, Iſſim, Ælohim*, quibus etiam & *Ben Elohim* addere geſtiunt, qui Dæmones tam bonos quam malos (de quibus infra) intendunt. Atque hæc omnia nomina ex ſacro etiam ſacræ paginæ fonte ſunt ipſi expiſcati. Nam de *Chaſmalim* loquitur Ezechiel. *Cherubin* meminerunt Geneſis, Exod. Pſal. & alia, *Tarſiſſim* etiam nominat Ezekiel, licet communis interpretatio proferat angelos pro eo ſeu nuncios, Etiam Ezekiel habet nomen *Ophanim*: vt & *Iſſim* à Salomone exprimitur, *Elohim* ex primo Regum habuerunt, vbi Pithoniſſa dixit Saul: Vidi *Elohim* aſcendentes è terra, i. e. Deos, iuxta vulgarem editionem, De *Bene Elohim* bonis Iob, malis autem Moyſes atque etiam Iob alio in loco mentionem fecerunt.


Notatu àutem haud eſt impertinens, quod quamuis nouem ſolummodo notantur à ſapientibus ſeu Theologis ſecretioribus angelorum ordines, tamen innumerabilis eſt ſingularium ſeu indiuiduorum cuiuslibet illarum ſpecierum multitudo, quam ipſorum exercitus nominauerunt, quemlibet ergo horum ordinum, inprimis iuxta Zodiaci cæleſtis partitionem, in partes duodecim diuiſerunt, quarum primum in diuiſione membrum *Mizaloth* dixerunt, deinde horum duodecim membrorum quodlibet in portines triginta ſunt partiti, quas *Cohortes* dixerunt, atque hanc ſubdiuiſionem dixerunt *El* quod conſequenter ſub ſe continet cohortes triginta, pro quolibet illorum duodecim, quæ faciunt in vniuerſum trecentas ſexaginta Angelorum cohortes.

Tum poſtea aliam aſſignant ſubdiuiſionem quæ multiplicat illam 360. per 30. & numerum 10800. producit, atque hoc membrum ſubdiuiſum Legionem vocant, & numerum hunc iterum in 30. ducunt, atque *Ribaton* vt dicunt proferunt, conſtans ex 324000. Porro iterum hunc numerum per 30. multiplicant & reſultat numerus quem dicunt *Chitton*, qui conflatur ex 972000. Denique iſtum productum iterum in 30. ducunt eritque reſultans numerus 29160000. Vnde horum omnium ſumma eſt vnum millium, millia ſexcenta, & quinquaginta quinque millia centum, & ſeptuaginta duo, iuxta Cabaliſtarum doctrinam, qui hos omnes angelos fecerunt ſpiritus adminiſtratorios, de quibus in ſequentibus clarius. Platonici autem volunt quod dæmonum inferiorum tot ſint numero legiones, quot in cælo ſunt ſtellæ, dicuntq; totidem eſſe in qualibet legione dæmones, quot in cœlo ſtellæ. Et nonnulli Cabaliſtarum ſtrenue defendunt, quod angeli non ſolummodo conueniant cum hominibus in multis rebus naturalibus, ſed etiam numero, aſſeuerantes tot eſſe homines debere ſaluandos, quot angeli rebelles à cœlo ceciderint in conflictu & pugna inter Michaelem & Luciferum, atque tot iterum fore damnandos quot angeli ex parte Michaelis victoriam in angelos caducos obtinuerunt.

Sed vtcunque Cabaliſtarum & Platonicorum de angelorum numero opinio ſit, colligimus etiam ex ſacris literis quod multæ ſint ſpirituum angelicorum myriades, idque pluribus in locis, *DEI curruum* (inquit Dauid) *duæ ſunt myriades, multa millia angelorum Dominus cum illis eſt, dominus Sinai, in Sanctuario habitans, Pſal.68.v.10.* Porro & Chriſtus de multis legionibus tam patris ſui quam Satanæ loquitur: Et Auguſtinus & Gregorius volunt quod angelorum bonorũ numerus omnem humanum captum tranſcendat: quibus contra reſpondent innumeri ſpiritus immundi, tot exiſtentes in mundo inferiori quot mundi ſpiritus ſunt in mundo ſuperiori. Hoc etiam faſſi ſunt quidam Theologi e ab oraculis accepiſſe. Et in Porta lucis habetur, quod à terra ad firmamentum vſque non ſit locus

cus

cus vacuus sed omne plenum formis. Ex illis puræ, ex illis capaces gratiæ, ex illis fædæ, noxiæ & tentatrices: &c.



Dæmones cælestes à Secretioribus Theologis dicuntur mundani. Porro etiam & Olympici vocantur isti, qui in firmamento & astris ipsius habitant, atque horum officium est, fata decernere, & fatales casus inferioribus administrare, secundum voluntatem & permissionem Dei, vnde fit, vt neque malus dæmon, neque malum fatum ei, *qui sedet in adiutorio altißimi nocere poßit*.

Cuilibet autem horum spirituum decretum est illud efficere, quod eius astrum, cui additus est, portenderit, tametsi sine permissione diuina nihil de potentia ad actum perducere potest, solus enim est Deus, qui posse & efficere dat illis, vtpote cui quasi omnium conditori datum est, vt tam supercælestia quam cælestia & sublunaria imo vero & infernalia obediant pariantque.

Ad dæmones stellis fixis præsidentes quod attinet, illi qui in Zodiaco regna sua tenent, vel triplicitatibus videlicet igneæ, aereæ, aqueæ, vel terræ præsunt.

Alii singulis signis integris præficiuntur, videlicet, *Malchidael*, Arieti, *Asmodel* Tauro, *Ambriel*, Geminis, *Muriel* Cancro, *Verchiel* Leoni, *Hamaliel* Virgini, *Zuriel* libræ, *Zarachiel* Scorpioni, *Advachiel* Sagittario, *Hanael* Capricorno; *Cambiel* Aquario, *Barchiel* Piscibus, At vero nomina angelorum cuiuslibet signi, à consonantia, quam habent cum nomine cuiuslibet illorum, quibus præficiuntur, deriuari solent, vnde ab Ariete Ariel; Telechiel, Suriel, Tommiel, Sartamiel, Betuliel, Masniel, Acrabiel, Chesitiel, Gediel, Deliel, Dagymiel, Ac si in latinis literis diceremus, Ariel, Tauriel, Geminiel, Cancriel, Leoniel, Virginiel, Libriel, Scorpiel, Sagittariel, Capriel, Aquariel, Pisciel; Vtcunque, certum est, quodlibet horum signorum habere peculiarem sibi præfectum, seu angelum, de quibus Cabalistæ volunt Ioannem in Apocalypsi intellexisse, vbi in descriptione Ierusalem Cælestis mentionem facit de 12. portis ciuitatis, per 12. portas 12. Signa intelligens cœlestia, quæ Plato vocat portas cœli, in quarum portarum qualibet dicit Apocalypsis inesse angelũ, nam 12. portis ciuitatis cælestis verbis expressis assignat 12. angelos: atque vt signorum Zodiaci iuxta Astrologorum doctrinam tria sunt Orientalia, tria occidentalia, tria meridionalia, tria denique Septentrionalia, ita reuelator agnoscit assignatque portas tres plagæ orientali, occidentali totidem, nec non & meridiei tres, atq; totidem, Aquiloni.

Porro etiam omnibus ſigni decuriis, quas facies dixere Aſtrologi atque etiam quinariis quæ ſunt faciei dimidiæ partes angelum inferiorem aſcribunt Cabaliſtæ, atque etiam quælibet triplicitas angelica ſuo gaudet præfecto angelico, iuxta ipſorum ſeutentiam.

Quod etiam quilibet planetarum orbis ſpiritum ſeu intelligentiam habeat principem, mediantibus quibus mundus ſucceſſiue gubernatur, teſtatur Trithemius Abbas in tractatu quodam peculiari, Maximiliano Imperatori dedicato, per quos etiam omnia quæ tam in cœlo & aere ſunt, & quæ in terra habitant & creſcunt, iuxta voluntatem creatoris fataliter diſponuntur: quorum Princeps ſeu præfectus ſuperior Saturni gubernationi deſtinatus à Magis vocatur *Zabkiel* vt nonnulli volunt, alii eum appellant *Oriphiel*, huic ſuccedit *Zadkiel*, ſeu *Zachariel*, qui præeſt Ioui, vt & *Zamael* ſeu *Samael* vel vt alii volunt *Camael*, Marti, *Michael* Soli, quamuis nonnulli *Raphaelem* ei præfectum faciunt, *Haniel* vel *Anael* Veneri, *Raphael* Mercurio, at aliqui *Michaelem* ei attribuunt, *Gabriel Lunæ*. Atque de iſtis ſpiritibus planetas regnantibus videtur Iohannes in Apocal. 1. intelligere dicens, *Et à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni DEI ſunt &c.* De quibus etiam *Raphael* intelligebat cum ad Tobiam ait, *Ego ſum Raphael vnus ex angelis 7. qui aſtamus ante Iehouam*, Et Gabriel ait ad Mariam: *Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum, Luc.* 1. Et alibi dicit ad Danielem: *Ecce Michael vnus ex principibus venit in adiutorium meum, Dan.* 10. 15. Erat etiam *Zachariel* bonus angelus Prophetæ Zachariæ, de quo ſcribit: *Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & dixit ad alium angelum Curre &c. Zach.* 2. Hi principes ſeu præfecti ſu b qualibet ſuarum ditionum multas habent ſub ſe inferiorum ſpirituum cohortes, quæ ad voluntatem ſui præſidis (iuxta Dei mandata) obeunda in inferiora aſſidue per viam influentia impluuntur, idque exuberantius ſecundum ſtellæ dominium in cœlo, quam dicuntur inhabitare. Atque hi angeli ſeu dæmones inferiores nomina ſua generalia à ſtella ſua accipiunt, ſi Gallum, Anglum, Hiſpanum, Italum dicimus, intelligimus, hominem in Gallia, Anglia, Hiſpania, Italia natum; Sic ſpiritus etiam pari ratione Iouiales, Saturninos, Martiales &c. dicimus, qui ſunt illorum orbium incolæ.

Angeli autem ſub Magni Archangeli *Gabrielis* imperio, natura, & diſpoſitione variare ſolent, ſecundum varium ſphæræ lunaris ſub ſignis Zodiaci ſitum, quem manſionem vocauerunt Aſtrologi, quæ manſiones in toto ſunt 28. quare & angeli eas gubernantes variis appellationibus dicuntur, quas ordine ſic enumeramus, *Geniel, Enediel: Amixiel: Azariel: Gabiel, Dirachiel, Seheliel, Amnediel, Barbiel, Ardeſtel: Neciel, Abdizuel, IaZeriel, Ergediel, Ataliel, Azeruel, Adriel, Egibiel, Amutiel, Kyriel, Bethnael, Geliel, Requiel, Abrinael, Aziel, Tagriel, Alheniel, Amnixiel*, Atque hi omnes magnam vim habent tam in aquæ & aeris mutationibus variis, quam in rerum terreſtrium alterationibus.

Denique iuxta Cabaliſtarum doctrinam ſunt alii angeli, quibus quatuor noctis cuſtodiæ committuntur, de quibus Chriſtus ſic loquitur, *Et ſi venerit in ſecunda vel tertia vigilia noctis &c.* alii præficiuntur quatuor anni cuſtodiis, ſecundum quatuor illas ſolis ſtationes quæ in ariete, cancro, libra, & Capricorno fiunt, &c.

D.

Angeli ſeu dæmones ſublunares ſeu in regione ſublunari præcipue gubernantes ſunt, præfectus vel ſuper

- Quatuor mundi cardines ſeu ventos nempe ſuper
  - Orientalem Michael,
  - Occidentalem Raphael,
  - Borealem Gabriel.
  - Auſtralem Vriel, qui & Noriel ſeu Nariel dicitur.
- Quatuor elementa videlicet ſuper illud
  - Ignis Seruph,
  - Aeris Cherub,
  - Aquæ Tharſis
  - Terræ Ariel qui & Nathaniel à Philone nuncupatur.
- Septuaginta partes ſeu regiones terræ atque hi ſunt 72. illi Angeli, quos Theologi ſecretiores vocant angelos totius terræ fortes.
- Infinita Animalium, Vegetabilium, & Mineralium negotia.

Magno angelo ſolari nomen *Michael* aſſignatur à ſtupore & admiratione, ac ſi diceremus, Quis tam fortis? De huius angeli origine ſeu proſapia inclyta, & poteſtate in mundo immenſa, atque dominio tam in bonos quam malos angelos in hoc mundo in ſequentibus fuſius loquemur.

Raphael dicitur à Medicina DEI, vt & *Gabriel* à virilitate: *Vriel* ignis ſeu lumen Dei.

Hiſce quatuor Angelis, iuxta Theologos occultos, aſſignantur gubernationes 4. cardinum

huius mundi, à quibus venti principales flare animaduertuntur, atque hac de causa dicuntur illi Venti Cardinales vt in præcedentibus à nobis est declaratum, quare ex Bonis Angelis *Michaeli* Venti orientalis curam atque dominationem attribuunt Hebræorum Doctores, vt & *Raphaeli* illam occidentis, quorum ille subsolanus dicitur hic Fauonius, *Gabrieli* datur Septentrionis & venti principalis illius plagæ præfectura, vt & *Vrieli* Austri gubernatio.

Et sciendum est quod quamuis quatuor spiritus seu dæmones destinentur ad ventorum cardinalium officium, videlicet *Oriens* ad subsolani directionem, *Paymon* ad illum Fauonii, *Egyn* ad Boreæ gubernationem, & *Amaymon* ad Austri præfectionem, qui & plures sub se habent ad suam malitiam exequendam dæmonum legiones seu cohortes ipsis subseruientes, tamen hi mali angeli (vtpote quibus est datum nocere cœlo & terræ atque mari) bonorum prædictorum dominio subiiciuntur, ita vt sine ipsorum venia & permissione seu potius voluntate & verbo DEI in ipsis relucente nihil mali possint in terris, in aqua, aut in aere, quemadmodum in consequente sermone luculentius.

Sed & hoc verbis quidem expressioribus insignire videntur Doctores Hebræorum, in secreta Theologia peritiores: Nam *Rabi Tedacus Leui in Lib. de 10. numerationibus*, postquam de 4. ventis Cardinalibus verba satis aperta fecisset, sic pergit. Ex illis (inquiens) quatuor ventis creauit angelos qui præfecti sunt super eos in die & in nocte, nam Michael qui est ex parte clementiæ Mamona hoc est præfectus super ventum Orientalem, vsque ad dimidium diei & vsque ad noctem, regitque ventum occidentalem Raphael qui etiam est ex parte clementiæ, tum Gabriel in virtute iudicii & seueritatis præfectus est vento boreali super mediam noctis & duas mensuras mundi, Noriel vero præsidet Austro, Hæc ille, Et *Liber Arcanorum* agnoscit, quod isti præsides plures habent sub se species seu legiones. Cui *Ioseph Castaliensis* in libro dicto *Porta lucis* astipulari videtur, dicens, quod à terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus, sed omne plenum formis, ex illis puræ, ex illis capaces gratiæ & miserationum, & sunt inferius multæ effigies fœdæ, noxiæ, tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aere: Et alibi Ioseph Castaliensis habet hæc, A terra ad firmamentum vsque non est locus vacuus, quin totum sint species, ex illis ad pacem, ex illis ad bellum, ex illis ad bonum, ex illis ad malum, ex illis ad vitam, ex illis ad morte: Et omne id in habitatione inferiori, in qua nos sumus, Atque hi omnes spiritus si boni à bonis ventis angelicis animantur, sin mali à malis: vnde manifeste liquet, quod illi venti, qui apud Peripateticos & etiam nos vulgares pro naturalibus impressionibus habentur, si ad philosophiam occultam, referuntur ad ordines spirituum. Hinc etiam in sacra pagina legitur: *Spiritus procellarum qui facit verbum, Psal.* 148. Et alibi; *Qui facis angelos tuos ventos, &c. Psal.* 104. Porro etiam de Angelis in quorum est potestate ventorum vis mentionem facit Apocalypsis cap. 7.

Quatuor etiam regionis sublunaris elementa vt sunt natura diuersa ita etiam diuersos sibi vendicant duces atque præfectos ipsis à Deo institutos, sub quorum imperio magnæ existunt spirituum seu dæmonum turbæ, quarum quæ sub imperio *Seraphin* sunt ignea sunt indutæ natura, atque ob hanc causam naturali inclinatione elementum igneum eligunt pro sua patria; at si extra illius limites deorsum magis descenderint, (quod sæpicule in Martis dominio in cœlo accidit) tonitrua, coruscationes & fulgura atque id genus alia producunt in aere, propter conflictum illum, quem aquei spiritus habent cum iis. Pari ratione in corpore humano videmus, quod humor biliosus seu sanguineus extra locum & sedem suam connaturalem putrescit, & perturbat aerem humanum meteoris calidis, & morbos inducit. Hoc idem quod de igneis spiritibus dictum est, de aereis, & aqueis, atque terreis est intelligendum, qui suis ducibus subseruiunt, & naturali conatu elementum illud in quod ipsorum princeps habet dominium pro sua patria eligunt: vnde aerei, aquei; & terrei dicuntur spiritus, quippe qui de talibus naturis magis participant.

Denique secundum Cabalistarum & Doctorum Hebræorum doctrinam concipimus, quod 72. sint angeli fortes totius terræ, quorum assistentia Moyses dictus est mare rubrum diuisisse: nam isti Angeli dicuntur ab ipsis Angeli diuisionis, aiuntque Deum terram iuxta horum angelorum numerum diuisisse, vnde in libro dicto *Porta Iustitiæ* legimus; Quod relictæ sint omnes gentes, & traditæ in potestatem septuaginta præfectorum, hoc est Principum angelorum, atque hi dicuntur solere esse familiares hominibus, & præsides esse septuaginta duarum regionum terræ, vti Reuchlinus habet, qui in *libro* 3. *De arte Cabalistica* eorum nomina iuxta *Rabi Salomonis* & aliorum sententiam eos hoc modo recensere aggreditur.

Vehuiah, Ieliel, Sitael, Elemiah, Mahasiah, Lelahel, Achaiah, Cathetel: Haziel, Aladiah, Lauiah, Hahaiah, LeZaleli, Mehahel, Hariel, Hakamiah, Louiah, Caliel, & sic in cæteris vti in loco antea citato reperire fas est.

Atque ita omnia angelorum bonorum genera habetis iuxta mundi partitionem distincta atque diuisa: quod nihilominus in magia versati Literis sacris, vtpote quæ cum ipsis symbolizant, referre videntur: Literæ Sanctæ dicuntur esse Symbola ad res creatas atque consequenter angelis qui assignantur illis rebus creatis vti infra declarabimus.

Cap. IV.

De prauorum atque malignorum Dæmonum differentia.

VT Deus,qui eſt lucis Imperator,eſt bonitatis Imperator, ita etiam Diabolus, qui eſt magnus tenebrarum Princeps,eſt author atque operator mali,vnde factum eſt, quod vt Deus vtitur pro ſuis miniſtris bonis angelis,qui exinde lucis angeli dicuntur, ita quidem viceuerſa Diabolus multas habet ſub ſuo Imperio Dæmonum turmas,quæ in legiones diuiduntur, quibus datum eſt, ſpiritum aereum tam Macro:quam Microcoſmi more maligno in vadere atque nocere,hiſce ergo rebus ex multorum ſcriptorum fide dignorum authoritate confirmatis niſus ego Cacodæmonum multitudinem in hunc modum diſtinguere aggrediar.

Cacodæmones verſantur maligniter vel circa
- Spiritum tantum
  - Macrocoſmi A.
  - Microcoſmi B.
- Spiritum & corpus ſimul
  - Macrocoſmi ſolius, C.
  - Microcoſmi ſolius D.
  - Vtriuſque ſimul E.

Vniuerſa tam mundi quam hominis compoſitio fit ex ſpiritu & corpore. At vero, quoniam vtriusque mundi ſpiritus vniuerſus in tres (vti ſæpius à nobis antea eſt declaratum) regiones diuiditur,Nam primo cælum Empyreum,quæ eſt bonorum angelorum ſedes, à qua maligni angeli ob ambitioſam ſuam rebellionem ad denſam & inferiorem ſpiritus vniuerſi regionem, in exilium quaſi relegantur,& huic ſpiritus mũdani regioni ſuperiori reſpondet ſpiritus in homine intellectualis ſeu rationalis,qui eſt angelica mentis ſedes: Deinde in mũdo eſt media ſpiritus huius vniuerſi ſedes, qui æther dicitur,in quo Angeli ſeu Dæmones Olympici agunt,qui ideo Fati dicuntur diſtributores, quia tam maleuolas quam beneuolas (ſecundũ ſummi creatoris placitum) influentias in regionem elementorum impluunt; vtpote à quibus tam dæmones ſublunares boni quam mali vires ſuas in agendo & dominationes ſuas recipiunt.Ex quibus liquet,quod Satan,qui eſt Princeps aeris, nil poſſit ſine permiſſione & influxu vario, ſecundum variam cuiuslibet numerationis ſephiroticæ ſeu portæ lucidæ diſpoſitionem huic ſpiritus mundi regioni mediæ reſpondet ſpiritus in homine vitalis,qui nonnunquam ad ſuperiora & quandoque ad res inferiores & caducas inclinat. Denique ſpiritus mundi ſublunaris eſt ille,cui (permiſſione diuina) imperat magnus tenebrarum Princeps, cui reſpondet in homine ſpiritus naturalis,quem Paulus *animam animalem* vocare videtur,cuius appetitus verſatur circa carnem & voluptates eius,hinc dicitur *Princeps aeris habere poteſtatem, & operari in filios diffidentiæ*, vti infra patebit. Qui autem ſint Cacodæmonum in aere elementari ordines,quæq; ipſorum conditiones ex ſequentibus diuiſionis Cacodæmoniacæ membris colligere fas eſt.

Cacodæmones in ſpiritu mundi ſublunari, aere nempe, vires ſuas exercentes, dignitate differunt,cum alii ſint
- Principatus ſeu Spiritus ordinis ſuperioris.
  - Imperator.
  - Reges, F.
  - Duces, G.
- Subditi ſeu conditionis inferioris, & ducibus prædictis ſubiecti,qui in cohortes & legiones ab inuicem diſtinctas diuiduntur. H.

Vt in Cœlo Empyræo Principatus, Archangelos,atque Angelos conditionis benignæ reperire licet,ita quidem Lucifer olim ab illo throno deiectus cum ſuis angelis, ſimiles ſub ſe miniſtros, ordine & dignitate diſtinctos habet, atque hoc etiam ab Apoſtolo confirmatum habemus,cuius eſt authoritas hæc,*Induite* (inquit ille) *armaturam Dei,vt poßitis ſtare contra Diaboli inſidias, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem,ſed adverſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum,contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus &c.Epheſ.6.12.* Quibus euidenter docet, quod Diabolus quaſi ſummus nequitiæ & malignitatis rex,atque imperator habeat ſub ſe ſuos miniſtros conditione eminentes,quos Principes & poteſtates tenebrarum mundi rectores & ſpiritualia nequitiæ vocat Apoſtolus: hinc etiam alibi dicit dictus Apoſtolus, *Ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius,*

huius, secundum principem potestatis aeris huius, qui nunc operatur in filios inobedientiæ: &c. Ephes. 2.2. Vnde videtur concludere, quod hic sit totius aeris imperator, atq; hoc idem verificare videntur magi & in Theologia occulta peritiores (vt Agripp. l. 3. 18.) super dicta Apostoli verba dicentis: Quod Princeps hic ab Hebræis sit dictus *Meririm*. i. dæmon meridianus, spiritus æstuans & dæmon furens in meridie, sub cuius imperio sunt potestates aereæ, quæ se miscent tonitruis, fulminibus, fulguri, aliisque aeris impressionibus, vnde fit, vt aerem malignis suis halitibus corrumpant & consequenter morbos pestiferos, famem, sterilitatem, & infinita alia mundi incommoda proferre soleant: Vti in Apocalypsis historia latius est declaratum, & à nobis infra perspicuius declarabitur. Ex his ergo sapientum testimoniis colligimus, de hoc summo Cacodæmonum rege quid intellexerint scripturæ sacræ in locis istis à nobis iam citatis, *Deus ab Austro veniet, operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra, splendor eius vt lux erit, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius,* At alii interpretantur *Anteiuit eum pestis, & lues vastans in meridie &c.* In quo sermone Propheta innuere videtur, quod Deus in iracundia sua vtitur Diabolo pro ministro suo cum quo egreditur à meridie, quæ est plaga mundi contagiosa & mortifera, vnde & aer corruptis halitibus contaminatur. Atque hinc est quod iste aeris tenebrosi imperator dictus sit merito *Meririm* seu dæmon æstuans in meridie, cuius malignis flatibus vniuersa elementorum regio intoxicatur atque contaminatur quando Deus permiserit: & etiam à Biblio sacro atque à Cabalistis vocatur Satan.

F

Reges seu Regales Cacodæmones immediate imperio Satanæ subseruientes sunt quatuor videlicet

- Oriens seu Vriens quem rectius Hebræi vocant Samael, regnat super
  - Plagam, Ventos — Orientales
  - Elementum ignis
- Amaymon ab Hebræis Azazel dictus regit super
  - Plagam, Ventos — Meridionales.
  - Elementum Aeris
- Paymon seu Azael ab Hebræis gubernat
  - Plagam, Ventos — Occidentales
  - Elementum Aquæ
- Egyn: alio nomine Mahazael, qui dominium habet in
  - Plagam, Ventos — Septentrionales
  - Elementum Terræ.

Cabalistarum dogma est, quod quilibet bonorum angelorum præfectuum est magnus princeps, ingentemque in sibi subditos dæmones habet potestatem, siue sint stellarum Zodiaci præsides, siue illarum erraticarum, siue mundi cardinum, ventorum, atq; Elementorum, atq; hæc libertas & potestas iis destinatur quibusdam certis temporibus, annis, mensibus, diebus, & horis in mundi quartis, ventis atque elementis, horum etiam Principum quilibet plures sub se dæmonum inferiorum ordines habet vti infra plenius.

In Cardines, Ventos, atque Elementa mundi tam Cacodæmones regii quam angelorum bonorum principes dominium habent, vtpote quorum est seuera Dei creatoris mandata in hæc inferiora præstare & exequi, eodem plane modo, vt Angeli boni Principales benigniter & secundum misericordiam diuinam cum creaturis agere solent: quare iuxta Cabalistarum & Hebræorum doctorum doctrinam, vt quatuor recensentur in exercitu Dei antesignani, qui præsident Cardinibus mundi, ventis ipsius, atq; 4. in mũdo Elementis, videlicet *Michael, Gabriel, Vriel, Raphael*, qui omnia in mundo sublunari benigniter, mediantibus suis legionibus bonis creaturarum commiserescente Deo gubernare solent: ita in exercitu Satanæ ratione contraria latissime dicuntur quatuor signiferi vltores gerere vela, videlicet, *Samael, Azazel, Azael, Mahazael*, quos alii *Oriens, Amaymon, Paymon, & Egyn* vocant, qui non aliter sunt reges & præfecti malis corruptionis & mortis, quam quatuor prædicti angeli regales boni sunt ipsis natura & officio oppositissimi. At vero quoniam misericordia Dei dicitur in sacris literis excellere ipsius seueritatem, ita quidem maiorem assignauit creator Principibus suis bonis potestatẽ ac virtutem, quam suis ministris malignis, imo vero dedit ipsis dominium super spiritus seu angelos istos malignos & deuastantes; quod etiam hisce verbis Apocalypsis optime denotatur, cap. 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angelos terræ, tenentes quatuor ventos terræ,*

Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem sigillum Dei viui, qui clamauit voce magna quatuor Angelis quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, ne noceatis terræ & mari neque arboribus quousque obsignauimus seruos Dei nostri in frontibus suis: Quibus luce clarius est colligendum, imprimis, quod sint 4. angeli regii, quorum præfecturæ destinantur 4. mundi anguli seu cardines, atque etiam ventorum ex iis flantium virtutes: deinde quod isti Dæmones regales sint maligni & nocentes, vtpote in quorum potestate est nocere atque malo afficere terram, & mare, & creaturas eorundem; denique, quod isti subiiciantur imperio boni angeli, quoniam ipse iubet & illi obedientiam præbent, & quod angelus ille imperans sit bonus declaratur ab officio, quod est Electos Dei signare in frontibus suis: porro etiam quod Princeps hic bonus sit *Michael*, declaratur ab angulo à quo ascendit, videlicet ab ortu solis, ac tum postea quoniam hic est dux ille, qui victoriam contra Draconem dictus est obtinuisse, animasque sanctas Deo quotidie offerre. Porro & de his Angelis Cardinalibus intelligebat *Daniel*, vbi dicit, *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*, Et per ventos interpretatur glossa quatuor intelligentias angelicas, quæ præsident 4. mundi Cardinibus. Præterea in Propheta *Zacharia* inuenimus hos angelos ita descriptos sub nomine ventorum seu spirituum prodeuntium coram Domino, *Ecce* (inquit ille) *quadrigæ quatuor egredientes è medio duorum montium, montes ærei, in quadriga prima equi ruffi, in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta varii fortes: & dixi ad Angelum, Quid sunt hæc Domine mi, Et respondit Angelus, Isti sunt quatuor venti cœli qui egrediuntur & stant coram dominatore omnis terræ, in qua erant equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis, & albi egreßi sunt post eos, & varii egreßi sunt ad terram Austri, qui autem erant fortißimi exierunt & quæsiuerunt ire & discurrere per omnem terram &c. Zachar.* 6. Quibus innuere videtur, quod sub ventorum nomine Angeli ipsis præsidentes cũ legionibus sub iis intelligantur; similiter per montes æreos intelligere videtur nubes magnas, è varia mundi plaga concurrentes, quas ideo æreas vocat, quia luce & fulgure vndique coruscantes sunt, Atque in hoc videtur Propheta *Ezekiel* cum *Zacharia* conuenire, *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & in medio eius similitudo quatuor animalium, & animalia ibant & reuertebantur in similitudine fulguris seu coruscationis, &c. Ezek.* 1.

G.

Duces sunt multi qui post prædictos reges immediate locum habent, Atque hi legionibus infimæ conditionis præponuntur vel
- Igneis
- Aereis
- Aqueis
- Terreis

Atque hi subiiciuntur regi
- Samael.
- Azazel,
- Alzael
- Mahazael.

Vt inter bonos angelos alii loci eminentioris sunt duces, qui multis legionibus conditionis inferioris præponuntur, ita quidem & res cum spiritibus malis sese habet. Nam (vti antea declaratum est, & Theologi secreti sunt fassi,) qui Cacodæmonum turmis præsunt cæteris quatuor reges nocentissimi sunt iuxta quatuor mundi partes, sub quibus etiam plures dominantur Principes legionum, multi quoque sunt priuatorum officiorum.

Priuati seu ordinis inferioris in cohortes seu legiones ab inuicem conditione varias distinguuntur. Atque hi nomina sua sortiuntur vel à
- Stellis, Hinc alii dicuntur
  - Saturnini,
  - Iouiales,
  - Martiales,
  - Solares, &c.
- Mundi plagis, vnde alii
  - Orientales,
  - Occidentales,
  - Meridionales
  - Septentrionales,
- Elementis, hinc alii
  - Ignei,
  - Aerei
  - Aquei.
  - Terrei.

Quod plures sint angelorum tam bonorum quam malignorum legiones testantur non modo biblia sacrosancta, sed etiam Hebræorum sapientiores; nam vti in cœlo Angelico plures recensentur Angelorum ordines, ab inuicem dignitate differentes, videlicet Principatus, Archangeli, & Angeli, quorum Principatus sunt regalis conditionis, Archangeli sunt magistratuum superiorum officia obeuntes, & Angeli circa res priuatas versantur; ita quidem Satan sub se habet inferiores principatus & potestates, qui etiam infinitas alias sub ipsorum ditione habent angelorum priuatorum cohortes, hinc inquit Apostolus, *Ambulastis secundum Principem potestatis*

potestatis aeris huius,&c.Ephes.6. per quem Satanam intendit,qui est princeps seu imperator aeris, sub cuius Imperio sunt(iuxta Doctorum Hebræorum doctrinam) quatuor reges seu antesignani, qui lata Satanæ vela gerere dicuntur,videlicet & illi reges antea citati, quos cum suis ducibus Apostolus vocat alio in loco *Principes,Potestates,& dominos tenebrarum,in hoc mundo,Ephes.2.2.* sub quorum imperio sunt legiones quadripartitæ conditionis,iuxta triplicitates 4. Zodiaci, quarum cuilibet sunt Principes tres,verbi gratia in ignea triplicitate præfectus arietis,Leonis,& sagittarii,quorum influentiæ in regno elementari custodiæ Samaelis,si male affectæ,aut Michaelis,si bene affectæ,committuntur.Hinc ergo est,quod secundum signorum cælestium duodecim præfectos, Saluator noster mentionem facit de angelorum legionibus,dicens: *An putas,quod non poßim rogare patrem meum,& exhibebit mihi modo plus quam duodecim angelorum legiones? Matth.26.53.* De his signorum præfectibus duodecim,& dominis 4. triplicitatum,quæ ad portas cœlestis ciuitatis sunt relatæ, videlicet tres in oriente,& totidem in occidente,atque etiam meridie & septentrione,cum angelis ipsarum custodibus,antea sumus loquuti.Pari etiã ratione in legiones ordinantur praui angeli,vnde cum Christus petiit à Dæmonio, *Quod tibi nomen est?* respondit,*legio mihi nomen est,quia multi sumus: Mar.8.* Quibus notare possumus,quod Dæmonii substantia sit valde minuta, instar atomi solaris& consequenter quod sit infinita dæmonũ vndiq; in aere volantium multitudo,quod etiam à Doctoribus Hebræorum verbis expressis confirmatur; quorum est opinio,quod à terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus sed omnia plena formis,ex illis puræ ex illis capaces gratiæ,& sunt inferius multæ effigies fœdæ,noxiæ,tentatrices,commorantes & volantes in aere,similiter in *Porta lucis* habetur, quod non sit à terra vsque ad firmamentum locus vacuus,quin totum sint species,ex illis ad bellum, ex illis ad pacem,ex illis ad bonum,ex illis ad malum,ex iis ad vitam atque ex iis ad mortem, & omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus,vt refert Ioseph. Castaliensis. Quibus euidens est,quod infinitus,quo ad nos,sit dæmonum, tam malorum quam bonorum in regione hac elementari, in qua spiramus,numerus,quorum alii sunt ex parte Orientis, alii ex natura meridiei,nonnulli occidentales, atq; alii septentrionales respectu plagæ mundi, atque etiam triplicitatis, de cuius complexione & conditione participant.

Porro etiam à planetæ natura,cuius præcipue influentiis animantur ac viuificantur, alii Saturnini,alii Iouiales,Martiales,Solares,Venerei,Mercuriales,atq; Lunares dicuntur,vtpote qui sunt Angelorum seu Intelligentiarum,Planetis præsidentium subditi,vnde fit, vt prædominante Saturno in horoscopo seu schemate cælesti,propter copiosos ipsius tunc temporis influxus,& spiritus in elementis de eius natura participantes solent prædominari,& sic in cæteris.

Denique horum quilibet generali nomine vocatur ab elemento, de quo naturaliter participat, in quo tanquam in sua patria communiter & libentius viuit, atque in hoc consentiunt permulti, in mysteriis dæmonum versatissimi. Nam in primis Cabalistæ & Hebræorum Doctores dicunt, quod dæmones squalentes & turpissimi sint humano generi hostes, vnde in eorum appositione ad angelos bonos dicuntur Angeli contrariæ fortitudinis; at horum fatentur nonnullos supremam aeris regionem peruagari,quos ideo igneos appellant,qui vero nobis propinquius oberrare solent, aereos vocant,at illos qui terrestria territant terreos nuncupant,vt & illos qui lacus ac fluuios inhabitant ac sæpe mare quatiunt,aqueos nuncupant,quos denique lucifugos dictitant & tenebrosos, hos siquidem subterraneos faciunt. Hoc etiam Psellus ex Marci confessione confirmare videtur dicens,sex solummodo horum dæmonum genera in regione elementari inueniri.

Quorum {
- Primum igneum,quod circa sublimem aeris regionem peruagari videtur.
- Secundum aereum,quod propinque nobis oberrat.
- Tertium Aquatile,quod humoribus se immergit,videlicet lacubus,stagnis,fluminibus atque mari.
- Quartum Terreum,quod vtplurimum circa terram versatur.
- Quintum subterraneum,quod sub terra habitare solet.
- Sextum & vltimum est lucifugum, imperscrutabile & tenebrosum.

Hæc Cacodæmonum genera dicuntur Deum,Angelos,atque etiam homines in odio habere,de quorum proprietatibus & conditionibus mox latius loquemur.

De malis Dæmonibus circa ſpiritum humanum verſantibus.

Cacodæmones qui verſantur circa humanum ſpiritum in ſex diſtinguuntur gradus quorum

- Prior Idololatria & vano ſiue falſo cultu inficit, & ad ſui adorationem pellicit.
- Secundus Mendaciis contaminat falſisque ſuſurrationibus decipit, & in errorem ducit.
- Tertius, ira & furore, inflat, artesque ad varias in iis paſſiones accendendas inuenit.
- Quartus, vindicta vltione ac crudelitate replet.
- Quintus præſtigiis ac miraculis falſis eludit.
- Sextus diſcordia bellorum ac vaſtationum ardore incendit.
- Septimus criminatur explorat atque accuſat ante conſpectum Dei.
- Octauus temptationibus & inſidiis in errores & periculum coniicit, & deſperatione inquinat.

Cacodæmonum primus gradus humanum ſpiritum Idololatria infeſtans eſt ordo illorum qui pſeudothei, hoc eſt, falſi DEI dicuntur, nam horum eſt nomen DEI ſibi ipſis falſo attribuere, humanumque ſpiritum falſis & fallacibus demonſtrationibus ad ſui cultum atque adorationem allicere: Horum princeps putatur eſſe *BeelZebub*, hoc eſt, vetuſtus Deus, qui tam audax eſt, vt non dubitauerit ipſius mundi Saluatoris ſpiritum tentare dicendo, *ſi proſtratus in terram adoraueris me dabo tibi hæc omnia, Matth.* 4. Iſtius etiam gradus fuerunt Dii Madianitarum, qui mediantibus filiabus Moab (cum quibus eſt populus Iſrael fornicatus) illum populum à cultu veri Dei ſeduxerunt, & vt ipſos adorarent ſacrificiaque ſeu holocauſta immolarent perſuaſerunt. *Num.* 25. Talis etiam erat ſpiritus Oraculorum videlicet Apollinis Delphici &c.

Secundus gradus illos comprehendit, qui falſitates ſolent inferre atque inſuſurrare in ſpiritus hominum, atque iſtius ordinis erat ſpiritus ille mendax, qui iuſſu diuino ingreſſus eſt in ora Prophetarum Achab: 1. *Reg.* 22. Similiter ſpiritus ille, terrorem, & pauorem incutiens in ſpiritus hominum, de quo ſcriptum eſt. *Ecce ego indam ei ſpiritum, vt audito rumore reuertatur in terram ſuam*, 2. *Reg.* 19. Princeps autem iſtius ordinis à magiæ peritioribus dicitur *Python* hoc eſt ſerpens.

Tertii gradus ſunt illi qui iniquitatis amore & ira atque furoris flamma ſpiritum humanum incendunt: & vt hoc officium facilius præſtare queant ludos inueniunt, quales ſunt chartæ, alea & huiuſmodi alia quibus homines ad paſſionem & iram commouent, atque talis erat dæmon ille *Theutus* nomine, quem Plato ait eſſe ludorum, videlicet aleæ, magiſtrum; horum principem ſtatuunt Hebræi *Belial*: qui interpretatur ſine iugo, inobediens, præuaricator, &c.

Quartus gradus ſeu ordo eſt qui non modo ſpiritum humanum ad vindictam & vltionem exagitat, verum etiam & ipſe factus eſt Diuinæ vindictæ author. Præcautionem contra inuaſiones Dæmonis iſtiusmodi in ſpiritum humanum Pſalmiſta regius oſtendere videtur hoc ſermone: *Ab ira abſiſte, & derelinque æſtuantem iram, ne accendaris ira ſaltem ad malefaciendum, nam malefici excindentur, Pſal.* 37. 8. Et ſapiens, *Ne feſtines in ſpiritu tuo ad iracundiam, quia ira in ſinu ſtultorum requieſcit, Eccleſ.* 7. Et alibi, *Cum iracundo ne colas amicitiam, & cum furibundo ne congrediaris, Prou.* 22. 24. Porro quod ſit vltor & miniſter vindicans Dei indicat hoc ex ſcriptura ſacra allegatum; Vbi dicitur huiuſmodi dæmon, *Spiritus potentiæ Dei ventilans & iuſtitia perſequens iniuſtos; Sap.* 11. 21. Et de eo alibi, *ſpiritus potentiæ & ſpiritus virtutis ſtabit contra eos: Sap.* 5. 24. Horum principem faciunt Cabaliſtæ & Magi *Aſmodeum*, hoc eſt, facientem iuſtitiam.

Quintus gradus eſt eorum qui præſtigiis & miraculis falſis deludunt, atque horum aſſiſtentiam requirebant magi Ægyptiorum, quando rem contra Moyſen aggredientes tot miracula præſtigioſa in præſentia Pharaonis ediderunt: atque iſtiuſmodi auxilia implorant Cacomagi & venefici in ſuis negotiis. Denique horum Principem magi ipſi affirmant eſſe Satan, de quo in Apocalypſi dictum eſt, quod vniuerſum orbem ſeducat faciens ſigna magna, & ignem de cœlo deſcendere in terram, in conſpectu hominum, vt habitantes in ea ſeducat.

Sextus gradus discordiam,bellum,vastationem,desiderium,per spiritum humanum disseminare dicitur,atque horum Princeps in Apocalypsi vocatur *Apollyon* & à Hebræis *Abaddon*,hoc est,exterminans & vastans. Istius ordinis erat etiam Angelus ille stans inter cœlum & terram, quem misit Iehoua ad perdendam & destruendam Ierusalem 1.*Chr*.21.15.Et ille *qui occidit omnem Valentem robore in Castris regis Aßyriæ*,2.*Chr*.32.

Septimus solet criminari,explorare atque accusare spiritus coram conspectu Iehouæ: Hunc magi *Astaroth*, hoc est, exploratorem & Græce *Diabolum* vocant, hoc est, criminatorem & calumniatorem.

Vltimus tentationibus & insidiis spiritum humanum fallere,& in errorem ac desperationem inducere tentat,atque istiusmodi dæmonum Princeps dicitur esse *Mammon*, quem interpretantur Cupiditatem.

De Dæmonibus circa spiritum & membra Macrocosmi corporea male versantibus.

Voluntate diuina Dæmones agunt quandoque maligniter circa corpora & spiritus macrocosmi sublunaris, vnde in

- Aere denso fit
  - Inflammatio à prestere & coruscatione
  - Perturbatio à ventoso turbine
  - Caligo à nebulis & halitibus densis
  - Rubedo vespertina &c.
- Nube
  - Ignis exardens,
  - Carbones & lapilli accensi,
  - Caligo tenebrosa,
  - Grando, Nix,
  - Tonitru
- Mari
  - Aquarum Perturbatio
  - Fluctuum exaltatio & depressio
  - Spiritus interni agitatio
- Terra
  - Tremor & concussio.
  - Incendium & destructio ab igne cælitus demisso.
  - Hiatus & fissura,
  - Inundatio & submersio,
  - Ariditas & sterilitas.

Agnoscunt Theologorum scholæ sextum Cacodæmonum gradum, iuxta ipsorum diuisionem esse eorum, qui sunt potestates aereæ, licet nos includamus omnes prædictorum graduum in hunc ordinem, quoniam non est nobis animus de alia specie separata determinare, quæ sub aliquo prædictorũ ventorũ seu præfectuum mundi Cardinalium seu 4.Elementorũ nõ comprehendatur: At quoniã dæmones hi omnes sunt potestates ipsius aeris seu spiritus sublunares, ideo & sub eorũ imperio reliquos cacodæmones, siue circa hominẽ siue rem quampiam in mundo aliam versentur, comprehendi dicimus. Agnoscit ergo ipsa Theologorum schola aereas potestates se miscere tonitruis, fulminibus, & fulguri, aerem corrumpentes, pestilentias & alia mala inducentes. Atque horum Principes videtur Apocalypsis affirmare esse 4. illos angelos, tenentes quatuor ventos, in quorum potestate est nocere mari & terræ, quorum Principem faciunt *Meririm*, id est, spiritum æstuantem seu dæmonem in Meridie furentem. At Paulus eum vocat *Principem potestatis aeris huius, qui operatur in filios diffidentiæ*, Et quidam vir sapiens in mysteriis Dei & naturæ profundus, in tractatu suo De Reuelatione maiestatis diuinæ in hæc verba loquitur: *Cum aere etiam simul creauit Deus verbo suo angelos, & spiritus, qui in aëre circa directionem tempestatum tam malarum quam bonarum, pluuiæ, niuis, grandinis, pruinæ, nubium, fulguris, fulminis, tonitrui, lapidis ceraunei, ignis, chasmatum, cometarum, aquarum inundationum, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, & aliorum id genus quamplurimorum munus suum ac officium obeunt & exequuntur, atque hoc ipsum quoque etiamnum hodie fit in verbo eius. De hisce omnibus seculares illi sapientes seu philosophi libros sibi ipsis conscribunt, mire ineptos, in quibus ne punctum quidem vnum, nedum integra litera vera est, sed quicquid è cerebris eorum in calamum atq; in chartam dimanauit, hoc tantum in illis legitur, quod nihil prorsus est, quam purum putum mendacium: quin imo etiam ipse spiritus oris in sapientibus istis omnino mendax & falsus est, volunt illi tamen sapientes vocari: fit autem id vnice inde, quod neq; Deum neq; sacrosanctum eius verbum cognoscunt &c.* Hæc ille.

Infima autem Macrocosmi regio, vt passionibus & mutationibus variis sit obnoxia, ita quidem in varios corporeitatis gradus distingui animaduertitur eius spiritus aereus, antequam in quolibet etiam gradu affligitur & exagitatur tam corpus externum quam spiritus eius internus à spiritibus seu ministris Dei Angelicis, videlicet tam ventosis, quam flamma vrentibus: Nam fassus est Dauid, *quod Deus faciat angelos suos ventos, & ministros suos ignem vrentem* : *Psal.* 104. 4. Atque in psalmo præcedente: *Quod angeli Dei validißimi robore efficiant verbum Dei, auscultent voci eius, & quod sint exercitus & ministri Dei facientes placitum eius, &c. Psal.* 103. *a.* 20. In quo Psalmistæ regii sermone docemur, quod tres sint præcipui angelorum ordines, quorum prior & superior recipiens immediate effluxus Dei solet efficere, hoc est, recipere & emittere verbum Dei; secundus auscultare & animaduertere illud, quasi à summo Imperatore editum, qui & tum postea mandatum illud legioni, suo dominio assignatæ, ad exequendum committit, cuius est immediate facere atque exequi placitum creatoris.

Hoc etiam idem fateri videntur Theologi recentiores. Videlicet quod Angelorum ordines superiores recipiant lucem seu emanationem immediate à Deo, quam postea influendo inferioribus impertiunt atq; communicant.

Horum autem Angelorum quibusdam vtitur ad iræ suæ atque vindictæ effectus exequendos, quos ideo malignos & cacodæmones respectu nostri vocamus, qui nihilominus necessarii sunt Dei ministri: Sic Deus Sathana est vsus pro suo ministro ad tentandū Iob. Sic etiam Angelus ille Iehouæ perdens, quem Dauid sublatis oculis vidit stantem inter cælum & terram cum gladio suo stricto in manu, & extenso contra Ierusalem; 1. *Chron.* 22 Atque etiam ille, quem misit Iehoua ad excidendum omnem robore valentem in Castris regis Assyriæ, 2. *Chron.* 32. talis etiam erat malus ille Iehouæ spiritus, qui obsedit Saul, &c. Quibusdam etiam vtitur in sua benignitate, qui spiritus boni dicuntur & benigni, talis erat Angelus qui Eliæ apparens in deserto cibum obtulit, & ille quem Deus misit ante Moysen & Israelitas ad eos seruandos in itinere per desertum, *Exod.* 33. Et Angelus ille qui vendicauit Iacobum ab omni malo, *Gen.* 48. Et angeli qui ei obuiam facti sunt in itinere suo, *Gen.* 32. Denique angeli omnes illi, quos mittit Deus ante iustos, *Genes.* 24. 7. Similiter bonorum angelorum ministerio spiritus Macrocosmi benigniter & pacifice gubernatur, vt & tumultuosorum prædominio perturbatur, atque etiam corpora sublunaria ægrotare videntur.

Prima autem incorporatio, quæ fit inter simplicem aerem & corpus perfecte mistum, est aer halituosus seu nebulosus, in quo variæ à spiritibus malis producuntur impressiones præternaturales, videlicet inflammatio à prestere & coruscatione, perturbatio à ventis, & turbinibus, caligo à nebulis & halitibus densis, rubedo vespertina &c. De aeris autem intemperie à prestere sic loquitur pagina sancta, *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio ignis quasi species electri, & ex medio eius similitudo quasi animalium, & spiritus in 4. rotis &c. Ezek.* 1. Quibus innuere vult Propheta, quod anima tam nubis quam presteris illius fuerit spiritus ille, seu potius auriga illius currus, & quo dominus, qui vehebatur in illo fuerit ipse *Iehoua*, quemadmodū ex toto illo capite colligere possumus: Et Esaias ait, *A Domino Deo exercituum visitabitur in tonitruo & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, & flamma ignis deuorantis, Esa.* 29. 6. Et Ieremias dicit. *Ecce turbo domini, furor egrediens, procella ruens in capite impiorum quiescet, Ierem.* 30. 23. Et psalmista regius, *Impluit super improbos, prunas, ignem, & sulphur, vario prestere coniuncto. Psal.* 11. 6. Et alibi, *vt ignis exurit siluam, vt flamma consumit montes, ita prosequere eos procella tua & turbine tuo conturba eos Psal.* 83. 15. Et de turbine dicit Esaias *ipsum ab Aphrico venire, Isa.* 21. 1. Et Zacharias, *Dominus Deus in tuba canet, & in turbine & austris vadit, Zach.* 9. 14. Et Iob dicit, *E penetrali prodit turbo, & à dispergentibus frigus, Iob.* 37. 9. hoc est, à spiritibus seu dæmonibus, qui flatibus suis faciunt voluntatem Dei ab Aquilone. Concludimus ergo, quod eius internum sit spiritus Dei procellosus, efficiens verbum & voluntatem Dei, vti Propheta Dauid agnoscit. Vnde & sapiens ait, *spiritus potentiæ Dei stabit contra impios, & tanquam turbo venti iactabit eos, Sap.* 5.

Porro & nubes sunt vehicula Dei quæ vehuntur atque animantur, atque violento motu videntur in aere ferri & præternaturaliter perturbari ab angelis Dei & præsentia ipsius, in cuius præsentia semper adstant, & assistunt ministri angelici, hinc dicit Propheta *ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius, tabernaculum eius tenebrosa aqua, in nubibus aeris, præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis, Intonuit de cœlo Dominus, altißimus edit vocem suam, grandinem & carbonem ignis, & misit sagittas suas, fulgura multiplicauit & conturbauit eos, &c. Psal.* 17. 9. In quo sermone luculenter docet Propheta, quod ministri Domini sint Cherubin & venti, ac si dixisset, angeli auscultantes voci eius, & venti seu spiritus angelici, ministri ignei, efficientes placitum, vti alibi fatetur, Et alibi dicit, *Viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ sunt abyßi, multitudo sonitus aquarum vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota; illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est & contremiscit terra, Psal.* 104. 4. Et alibi, *Aquæ à voce tonitrui tui formidabunt, Psal.* 16. 17. & *Psal.* 103. Denique verbis quidem expressioribus hoc omne aperit Dauid in sequentibus. *Deus amictus lumine sicut vestimento, extendens cœlum sicut pellem, qui regis aquis superiora eius, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus, &*


ministros

ministros tuos ignem vrentem, Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, *Psal.*104.*v.*2. Quibus verbis arguere videtur, quod *Iehoua* sit princeps & summus imperator, qui tabernaculum suum habet in nubibus, cui administrant angeli tam ignei quam ventosi, & quod nubes aspectu splendoris conturbari, timere & rugire videantur, ac denique præternaturaliter se habere. Tertius gradus progressionis à natura aeris inuisibili ad corpus perfecte mistum est aqua, cuius præcipuum elementum est mare, quod etiam cum fluminibus & lacubus aut à bono spiritu Iehouæ pacificum redditur, aut à malo Iehouæ spiritu perturbatur, & in malum nauigantium excitatur, hinc ait Psalmista regius. *Oceani naues perfringis Euro Psal.*48. 8. hoc est, vehementi flatu à Samaele seu oriente diuina voluntate emisso, Et alibi, *Qui conturbas profundum maris, Psal.* 65. Et alibi agnoscit *mare esse excitatum increpatione Iehouæ, & quod mare videns Iehouam profugerit, Psal.*114.3. Et Iob dicit, *Potentia eius quiescit mare, & intelligentia sua perculit elationem, Iob.* 26. 12. Quo videre licet, quod Dei sit tam perturbare quam quietum reddere mare seu elementum aquæ. Sed & hoc optime & verbis quidem lucidissimis exprimit propheta regius alibi, sic inquiens, *Descendentes ad mare nauibus, ipsi vident opera Iehouæ & mirabilia eius, in profundo, dicitque, & flare facit spiritum turbinis, & exaltat fluctus eius, ascendunt vsque ad cœlum, descendunt vsque ad voragines, ita vt anima eorum in malo liquefiat, Iactantur & nutant sicut ebrii, ita vt omnis sapientia eorum absorbeatur; Tunc clamant ad Iehouam in angustia sua, & de angustiis eorum educit eos, stare facit turbinem in silentium & silent fluctus eorum, celebrant Iehouæ misericordiam, & mirabilia eius filiis hominum prædicant, Psal* 107. 33. Hic ergo videtis inprimis quod *Iehoua* sit imperator omnium potestatum, & primus omnium rerum actor atque operator; deinde quod in seueritate sua seueriter cum mundi elementis agat propter hominum peccata, ac tum postea quod per ministros suos angelicos agat, qui semper sunt parati, secundum ipsorum officium bonum vel malum, ad mandata & placitum Diuinum perficiendum: nam dicit; *Et flare facit spiritum turbinis.* At hominum pœnitentia & exclamationibus pro clementia stare facit turbinem tumultuosum, hic autem turbinis spiritus est ventus angelicus, seueritatem Dei in mari exequens, qui iubente *Iehoua* non aliter in internum maris & lacuum spiritum more insano, tumultuoso & furioso agit, quam malus ille *Iehouæ* spiritus in spiritum internum aereum ipsius Saul, aut dæmonium legio dictum in obsesso illo, quod virtute *Iesu* eiectum in porcos est ingressum, aut in epilepsia pessima vexatis, qui tumescunt tumore magno, spumam eiiciunt ab ore, aut in illis qui rabido illo morbo Lycanthropia dicto affecti sunt, qui violento more huc atque illuc iactitantur atque feruntur, sic agit spiritus ille violentus cum suis legionibus, in mari, & lacubus, & stagnis, &c.

Denique quoniam terra est grossior pars aquæ, ad illam iam peruenimus, quam etiam malis Dei spiritibus quandoque esse iactatam atque percussam dicimus. Hinc ait Pagina sacra. *Concutitur ac mouetur terra, fundamenta cœlorum commouentur, concutitur autem cum ira accenditur ei*: 2. *Sam*, 22. 8. Et alibi, *Terram commouet Deus è loco eius, adeo vt columnæ eius contremiscant, montes transfert, Iob.*9.1. Et alibi, *Terra intuente Deo tremuit, & attingente ipso montes fumant, Psal.*104.32. At vero in tali Dei actu vtitur ipse ministris spiritualibus ad illud opus destinatis, qui iubente præfecto angelico terram quatiunt, hiatus ingentes in ea producunt, ignes ab eius visceribus euomunt, & multa alia tremenda in terra patrare solent. Hinc etiam irascente Deo ob Iudæorum impietatem dictum est, *Ecce terræmotus magnus factus est, angelus enim Domini descendit è cœlo, erat autem aspectus eius sicut fulgur &c. Matth.*28.2. Quandoque etiam per vindices suos angelos ignem & sulphur dimittit *Iehoua* in terram, quo subuertitur, & præternaturaliter pertractatur; *Et dimisit* (inquit Genesis) *Iehoua super Sodom & Gomorrha pluuiam sulphuris & ignis è cœlis, subuertitque ciuitatem & planitiem totam, & omnes incolas, & fatum terræ, &c. Gen.* 9. 24. At vero quod angelis suis vsus sit *Iehoua* in tali negotio in contextu illo ipso explicatur. Et alibi dicitur, *Sale & sulphure adusta est terra, vt neque seri neque pullulare poßit, neque prouenire in ea vlla herba &c. Deut.*49.23. Quod quidem *Iehoua* mediantibus ministris produxit habitatoribus terræ, propter eorum peccata. Et alibi, *Efficiet Iehoua vt terra tua sit puluisculus, seu puluis è cœlis descendet super te donec exscinderis, Deut.*28.23. Porro etiã & in alio loco dicit Psalmista, *Terram fructiferam in salsuginem conuertit, propter malitiam hominum habitantium in ea, contra, ponit desertum in stagnum aquarum & terram desertam in exitus aquarum &c.* Quibus arguere videtur quod in seueritate sua tam reddat Deus terram siccam & sterilem quam nimia aquarum inundatione suffocatam, propter peccata hominum: quod etiam ipse per ministros suos facere traditur à Cabalistis & in mysteriis Dei profundioribus versatis.

Nam vt ipsi elementis præfectos angelicos destinauerunt, videlicet *Seruph* igni, *Cherub* aeri: *Tharsis* igni, & *Ariel* Terræ, qui boni sunt duces, ita quidem & sub iis maligniter agunt 4. spiritus maleuoli, videlicet *Samael* ex parte ignea, *Azazel* ex parte aerea, *Alzael* ex parte aquea, & *Mahazael* ex parte terrea, sub quorum imperio (vti antea dictum est) multi sunt dæmonum inferiorum ordines. Quare & tempestates igneæ & lucidæ cum cometis talibus ab angelis igneis procedunt; sic ab angelis aereis impressiones aereæ, vt ab aqueis quæ aquas perturbant, & terreorum spirituum est, vt testatur Pselus, efficere hiatus terræ & fundamenta concutere, flammiuomosque ventos sursum emittere.

Cacodæ-



Non est dubium quin Cacodæmones, vtpote hominibus hostes exitiales humanum tum spiritũ tum corpus non aliter affligant, quam spiritum, & aquam, & terram in Macrocosmo. Nam cum homo sit filius, respectu compositionis, Mundi, & cum etiam ipse recenseatur esse omnium creaturarum finis, sequitur, quod tam praui dæmones sint ordinati à Deo, ad hominum peccantium punitionem, quam boni ad obedientiam, tutelam, atque prosperitatem; sed hi omnes, vt sunt ministri Dei, in pænam mundi & hominum ordinati, seu quidem nihil efficere valent, nisi à Deo iis permittatur, quod siquidem exemplo Iobi, *Iob.* 1. 2. & Dæmoniaci, quem Christus liberauit, *Matth.* 8. 31. aperte denotatur. Hinc Dæmonium Christo, *Si eiicis nos hinc mitte nos in gregem porcorum*, & ait, *Ite*, Quare cum Deus maledicit hominem vel populum, tunc angeli isti perdentes parati sunt ad voluntatem Dei obeundam: Atque hoc modo maledicente Deo populum pro peccato Dauidis: Angelus perdens statim præsto fuit ad perdendam Ierusalem, 1. *Chron.* 21. Porro etiam dicente *Iehoua*, angelus in momento paratus excidit omnem robore valentem in castris Assyriorum videlicet 185000. homines, 2. *Reg.* 19. Quare videmus, quod immediatus pestis inflictor sit angelus Dei perdens, qui & vastator, atque exterminator dicitur in aliis locis. At vero vt peccatum hominis est morbi & mortis occasio, ita quidem diabolus non est solummodo paratus in malorum inflictione, verum etiam, vt ad tale officium & exequutionem intromittatur, solet hominem occultis blanditiis ad peccandum inuitare, nam Cacodæmones istiusmodi, & præcipue illi aereæ naturæ, cum in eorum compositione sint familiares spiritui nostro externo seu aereo, facillime se possunt susurrationibus occultis insinuare, & impellere sensum hominis phantasticum atque incitare ad illud quod malum videbitur, in oculis Dei, vt tum postea potestatem habeat, in spiritum eius aereum & corpus, nam in cœlum humanum (vtpote templum spiritus sancti) penetrare nequit, quippe exul à cœlo. Hanc diaboli astutiam nimis tarde lugebat Adam, qui blanditiis serpentis ductus à cœlo in sphæram peccati est delapsus, imo vero & propheta regius, vtcunque sagax & mente sublimatus, ab ipsius dolis tuto euadere nequibat, sed laqueis ipsius captus non modo ipse sed & vniuersus populus est pro eodem peccato peste vexatus. Nonne expressis verbis hoc legimus in pagina sancta, videlicet, *quod Diabolus incitauerit Dauid ad numerandum populum Israeliticum*, vt

hac

hac via pestem induceret in eum? 1. *Chron.* 21. Nec tamen peccante homine in potestate est angeli vastantis malo eum afficere, nisi DEVS reiiciendo misericordiam suam, & induendo seueritatis amictum dixerit *fiat* vel *percutiam*. Sic in Exodo habemus à DEO hoc pronunciatum, *Ego missurus sum in cor tuum omnes plagas meas, & in seruos tuos, & in populum tuum in vniuersa terra, Exod.* 9. 14. Et alibi, *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis, & Iehoua percutiet te tabe calida, & æstuante, ac vrente febre, & siccitate, & vrigine, & morbo regio, quæ prosequentur te donec pereas, Et percutiet te Iehoua vlcere Ægypti & hæmorrhoidibus, & scabie, & prurigine, quibus non poteris sanari: Et percutiet te Iehoua dementia & cæcitate, & stupore cordis, adeo vt palpes in meridie quemadmodum cæcus in caligine: Et percutiet te vlcere maligno in cruribus & genibus, vt non possis sanari, Deut.* 28. Quibus à DEO pronuntiatis, tanquam *fiat* Angelus malus paratus est cum suis subditis, ea præstare quæ dixit DEVS: Sic quidem dictũ est, *diabolum percußisse Iobum, vlcere peßimo, à planta pedis vsque ad verticem, Iob.* 2. Et tamen Iob in hac sua aduersitate dixit; *sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, Virus earum ebibit spiritum meum, conturbationes DEI quæ acie instructæ sunt oppugnant me, &c.* Et alibi, *Eleuasti me ad ventum, efficis vt desluam substantia: Iob.* 30. Hisce ergo videre licet, quod vbi sit angelo vastanti permissum hominem morbo affligere, ibi quidem illud totum opus licet mediante ministro ascribitur Deo, qui per malos angelos affligit morbo, vt per bonos viceuersa sanitatem restituit.

Non autem affligunt angeli mali morbo, nec boni sanitate hominem beant, sed tam sanitas quam morbus est à DEO per angelos. Hinc sequitur, *Si sedulo attendens ad vocem Iehouæ DEI tui quod rectum in oculis meis feceris, nullum morbum quem imposui Ægyptiis imponam tibi, sed ego Iehoua ero creator tuus, &c.*

Hoc est efficiam & mandabo vt angeli boni, cuiusmodi est Raphael, cum suis angelis te curent, aut verbum meum per angelum &c. Vnde *Raphael* ac si diceremus Deus sanans.

Concludimus ergo quod sit DEVS qui percutit & qui sanat, sed hoc facit per ministros suos angelos, quorum est facere placitum eius, ita vt nullus sit dæmonum malorum, qui sine bonorum venia percutere possit, nec veniam dare aut à tutela sua desistere (nam quiuis habet bonum suum angelum tutelarem) aut vacare potest nisi Deo iubente. De horum spirituum generibus, conditione contrariis, mentio est facta, ibi vbi dictum est; *quod spiritus Iehouæ bonus recesserit à Saul, perturbaueritque eum spiritus malus à Iehoua: Quare dixerunt serui eius: Ecce iam spiritus DEI malus perturbat te,* 1. *Sam.* 16. 15. Sic etiam manifestum est, quod angeli mali seu Cacodæmones sint instrumentum DEI in seueritate sua, vti boni in clementia, quod etiam Dauid fatetur sermone hoc aperto, *misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immißionem per angelos malos, percußit n. omne primogenitum, & non pepercit à morte animalibus eorum &c. Psal.* 77. 49. quibus sat liquido constat, quod tametsi loquitur Moyses de vastatore seu angelo vastante, tamen multi fuerunt angeli seu Cacodæmones assistentes in illo opere, aptitudinem autem dæmoniorum qua potestatem habent in homines à DEO derelictos declarat Artesius in his verbis: Sunt quædam infirmitates, in quibus se adiungit diabolus humore egrediente à suo temperamento, ac conturbante ipsam sanitatem, & hoc maxime accidit infirmitatibus ex cholera prouenientibus, causa est istiusmodi videlicet, quoniam Diaboli internum est ignis, vt & eius externum aer, vnde facile iungi potest, DEO permittente, cum aere humano.


Hæc ille. At angelorum bonorum est elementa in concordi pace ligare, vtpote qui sunt concordiæ filii, hisce ergo voluntate diuina vacantibus à suo officio, fit, vt dæmones mali qui sunt discordiæ proles subito inuadant & in dissonantiam tentant conuertere harmoniam humanam, vnde liquet, quod dæmonia secundum sua elementa soleant morbum quemlibet in corpore humano procreare.

Hinc Albohali dicit Melancholiam esse à dæmonio: Et Alzarabius ait, ægritudines inuadere homines ex præuaricationibus & maledictis dæmonibus, qui dicuntur Alhabinables. Et Psellus ex reuelatione Marci spiritus seu dæmones aereos hominibus damnum adferre ait, spiritui, qui nobis inest phantastico, propter naturæ vtriusque similitudinem appropinquando, nam hac ratione verba perturbationum & voluptatum nobis insonant, non emittentes vocem pullatione quadam, ac sonitu, sed sermones suos absque sonitu emittentes, in aurem more tacito in susurrando subloquuntur, varios phantasiæ colores pro voluntate præbent, quatenus aerei, nam aer est capax omnium colorum, vnde essentia phantastica figuras & colores, & quascunque ipsi voluerint ipsi, formas in ipsum animalem nostrumque spiritum transmittunt, vnde multa nobis negotia præbent, voluntates & consilia suggerentes, formas repræsentantes, suscitantes memorias voluptatum, simulachra passionum frequenter concitantes, vigilantibus atque dormientibus, nonnunquam femora nobis ac inguina titillantes insanos & iniquos amores subiiciunt & subacuunt; hi perturbant animam arte quadam & sophistica fraude. At vero dæmonia aquea & terrestria nil excogitant sapienter, nec quicquam astu peragunt, nisi quod molestum est, & more Charonei spiritus lædunt; atque horum est proprietas corrumpere quicquid propinquauerit, siue quadrupes, siue homo, siue sit auis;

Hi subito lædunt & quandoque perdunt agitantes corpora animosque, naturalesque facultates peruertunt, sæpe igne vel aqua & præcipitio perdunt tam homines quam bruta; Istiusmodi autem spiritus non tam voluntate nocendi (sunt enim hominibus hostes infensissimi) quam viuifici caloris auiditate, inuadunt tam homines quam bestias, & præcipue illi qui in profundis atque frigidissimis locis atque humore carentibus degunt, vtpote qui frigiditatem plurimam contrahentes humoris expertem, calorem humidum appetunt, & vitalem, quem vt assequantur in animalia ratione carentia irruunt, & ad lacus foueasque aduolant, nam calores solis & ignis vtpote exiccantes & comburentes fugiunt, calorem vero animalem quasi moderatum, suauique humore permistum diligunt, præsertim humanum, quia temperatior: hinc fit quod hi corpora inuadentes ea non mediocriter perturbant, meatus illos opplendo & implendo, in quibus insidet spiritus animalis, ipsoque spiritu dæmonicorum corporum crassitudine coarctato, intusque concusso, vnde sequitur, vt corpora vibrentur concutianturque, viresque eorum principales male in actionibus se habeant, ac motiones stupidæ erraticæque proueniant. Horum dæmonum corpora irruentium si alius sit subterraneus, concutit & destruit occupatum, clamatque per ipsum, vtens patientis spiritu velut proprio instrumento, si lucifugus, segnitiem adducit, cohibetque vocem, hominemque obsessum quasi mortuum reddit, nam hoc genus est omnium aliorum terrestrius, summopereque frigidum & aridum, vnde fit, vt cuicunque irrepserit vim omnem animalem obtundat atque hebetet & obfuscet ac deleat.

Huiusmodi genus ergo dicitur mutum & surdum, nec discedit ab occupatis nisi diuina potestate videlicet oratione ieiunioque sit propulsum. Hæc didicit Psellus ex Marci obseruationibus, qui in deserto diu habitabat, vt conuersationem cum dæmonibus habens, ipsorum officia & proprietates addisceret.

Concludimus ergo quod dæmones soleant tales in natura & dispositione inducere morbos qualis est ipsorum conditio & qualitas in elementis; quare ignei igneos, aerei ventosos, aquei aqueos, & terrei stupidos & terrestres: at quandoque se miscent, atque ita morbum producunt spurium vti infra plenius.



Medicorum sectæ agnoscunt, quod perturbationibus animi seu spiritus perturbetur etiam & corpus, atque vice versa. Hoc etiam in Macrocosmo tritum est atque expertum, quod corrupto loci vel regionis aere, corrumpitur etiam aqua & terra, atque etiam creaturæ, & præcipue homines in eo degentes, & in hoc conueniunt sacræ scripturæ dicentes, *Et Dominus te percutiet aere corrupto &c.* Et alibi, *Percutiet te dominus egestate, febre, frigore, ardore & æstu, aere corrupto, & vrigine &c. Deut.* 28. 22. Et Salomon in eo loco, vbi modum curandorum morborum per orationem aperit, in hæc verba loquitur, *Si pestilentia aut corruptus aer ortus fuerit, aut ærugo, aut rubigo &c.* 3. *Reg.* 8. 37. quibus euidens est quod ministris Dei aerem corrumpere sit datum, vtpote quorum est Domini ordinata exequi. Nam ipsi solent contagionis seminaria per aerem apertum disseminare, quod etiam in hoc sermone verificare videtur propheta regius, *Ne timeto à pauore nocturno à sagitta volante in die, à peste in caligine seu nocte peruadente, à lue vastante in meridie*, vel (vt interpretatur Hieronymus) *à dæmonio meridiano, plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, nam angelis suis præcipiet de te, & conseruabit te in omnibus viis tuis &c. Psal.* 91. quo sermone liquet inprimis, quod à dæmonio meridiano & eius legionibus inficiatur aer, deinde, quod Deus instituat bonos angelos ad præseruandos homines à malis.

Atque hoc quasi idem inferre videtur Theologorum Schola cum Propheta, quando faciunt sextum Cacodæmonum gradum illorum, qui dicuntur potestates aereæ, & se miscent tonitruis, fulguribus & fulmini, quos referunt aerem corrumpere, atque hac ratione pestilentias atque alia mala inducere, de quorum principibus seu angelis quatuor terræ angulos tenentibus, quibus

quibus datum est nocere terræ & mari; hoc est aquas & terram inficere, mentionem facit Apocalypsis: Sed vt primarium horum regem statuunt esse *Meririm* qui est dæmon meridianus, spiritus æstuans, & dæmon furens, in meridie, quem Paulus (vti supra dictum est) vocat *principem potestatis aeris huius, & spiritum qui operatur in filiis diffidentiæ*, & de hoc etiam intelligere videtur *Abbakuk* in his verbis loquens, DEO *in meridie apparente operuit cœlum decor eius, & laude eius plena fuit terra, & splendor tanquam lucis affuit, cornuaque ad latus ipsius ei, quamuis ibi absconsio esset roboris eius, anteiuit ipsum pestis, & præcessit anthrax ad pedes eius, vbi autem constituit mensus est terram, &c. Abbakuk* 3.3. At Hieronymus sic interpretatur hunc locum: *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, &c.* E quo contextu inprimis est eliciendum, quod Deus in iracundia sua non immediate, sed mediante angelo vastante, rebelles & impios punire soleat; ac tum postea, quod plaga meridionalis sit sedes præcipua corruptionis pestiferæ.

Ex his igitur videmus qualis sit inter spiritum Macro: & Microcosmi consensus, & quod cum homo sit Macrocosmi filius, vtpote ex eius membris & elementis conflatus, necesse sit vt infecto spiritu vnius inficiatur & spiritus alterius: Hinc aerem cometa vel infausto tonitru & tempestate corruptum, hominum pestem & morbos contagiosos, imo vero & terræ sterilitatem, & consequenter famem sequi obseruamus, atque etiam contagioso vnius hominis peste corrupti afflatu integrum ciuitatis seu loci aerem corruptum reddi videmus; sic etiam venenoso lacuum halitu aerem in nonnullis locis infectum atque contaminatum animaduertimus, imo vero & quosdem terræ locos insalubres & contagiosos esse notamus, cum è regione aliæ terræ sedes sint valde salubres, quod quidem dæmonibus locos illos frequentantibus atque habitantibus assignari solet, ab iis, qui aliquantulum profundius se in mysteriis Dei & naturæ immerserunt; Deniq; manifesta adest experientia testis, ꝙ pestis terræ motū nonnunquā comitetur, quia spiritus praui inclusi, si maligni & venenosi sunt, exeuntes aerem corrumpunt & inficiunt, ex quo pestilentiam particularem, præcipue in eo loco, in quo terræ motus fit, sequi necesse est. Et in Margarita Philosophica l.9.17. hæc addi inuenimus. Fortasse in benedictione illius ecclesia meminit salis & aquæ cum dicit. Non sit ibi spiritus pestilens aut aer corruptus: nam tempestates tenebrarum hisce spiritibus multoties vtuntur, aut vt homines lædant in corpore, aut sensus alienent & visionibus decipiant; ab his nonnunquam oculi & vultus eorum, qui subterraneos specus aut antra ingrediuntur, immutantur, maxime autem eorum, qui à dæmonibus responsum accipiunt, quæ illi in huiusmodi antris dare solent, hæc ille. Et certe quatenus terræmotus vt plurimum flante Borea fieri solet, certum est, quod spiritus tenebrosi eius impetu violenter erumpant, & præcipue illi qui dicuntur *Benlchim* à stupore & terrore; vnde sic loquitur Ouidius in persona venti Boreæ.

Idem ego cum subii conuexa foramia terræ
Supposuiq; ferox imis mea terga cauernis
Sollicito manes, totumq; tremoribus orbem
Concutio &c.

Vbi per manes intelligit spiritus inclusos in visceribus terræ, qui scilicet commoti, & è nidis suis more volucrum, in magna multitudine congregatarum excitati, subito quasi bombardæ ictu è terra in aerem apertum cum magno strepitu ascendere & irrumpere solent, & venenoso suo halitu aerem loci contaminant.

At vero quid Magi & sapientes de istiusmodi aeris aquæ & terræ contagione iudicent breuiter sic accipite. Græcorum vetusti sex dæmones nominant, qui hominibus malefici, stygis aquam manibus haurientes in terras spargunt, vnde calamitates, pestes, & fames sequuntur, hos nomine generali alii *Telchines* vocant, alii *Alastores*, sed particularia eorum nomina sunt *Acteus*, *Megalesius*, *Ormenus*, *Lycus*, *Nicon*, *Mimon*. At vero nos à dictis sapientibus Græcis in eorum nominibus minime dissentientes, aliquid amplius tamen de eorum officiis addere volumus. Nam cum flumen illud infernale vnico tantum elemento videlicet aquæ referatur, morborum vero genera varia esse obseruemus, secundum variam 4. elementorum dispositionem, concedatur nobis venia, si demonstrauerimus istos 4. *Telchines* habere in suo officio contagiosas & corruptas maleficorum 4. fluminum infernorum, aquas manibus haustas, per terras & aerem spargere & disseminare, videlicet fluminis *Phlegethontis*, qui est igneus, *Cocyti*, qui est aereus, *Stygis* qui est aqueus, & *Acherontis* qui est terreus: Vnde morbi producuntur tam in Macro quam Microcosmo ignei & aerei, aquei & terrei.

Nam vt elementa disposita conferunt ad salutem, vtpote ab angelis salutiferis gubernata, ita illa male disposita & ad corruptionem ordinata per malos angelos pariunt infirmitates, horū autē pessime dispositorū atq; in malignitatē conuersorū fæces venenosæ sunt illæ, ex quibus tanquā fontibus scaturire videntur quatuor illa regni infernalis flumina cōtagiosa atq; venenosa, quorū cōtactu ipsi manes seu animæ defunctorum dicuntur mirū in modū & vlterius quā dici potest contaminari atq;

cruciari, multo magis corpora quæ in terris sunt, siue animalia siue vegetabilia. Dicimus ergo, quod prædicta malorum & morborum organa *Telchines* dicta ad infirmitates igneas procreandas aquas Phlegetontis venenosas hauriant atque dispergant per aerem, aquam, & terram, & præcipue in morborum Epidemicornm procreatione, quod nihilominus præstare nequeunt nisi venia eis detur à summo imperatore, qui est Deus & Princeps tam spirituum quam corporũ, hic ergo si dixerit Fiat seu potius vbi sic voluerit, spiritus hi protinus sunt promti ad voluntatem eius seueram exequendam; sic dictum est: *Ego adiungam tibi pestilentiam & famem, donec consumat te de terra*, Et alibi, *Percutiet te Dominus egestate, febre, & ardore, & æstu, Deut.* 28. Hoc ergo dicto, hauriunt statim ministri isti sex morborum irritamenta aquas à Phlegethonte, & statim terram exurunt, sterilitatem & famem producunt, & pestes atque morbos æstuosos disseminant, inter animalia, & præcipue inter homines, donec pereant. Hauriunt, inquam, aquas igneas & veneno æstuoso furentes à flamma contagiosa fluuii infernalis Phlegethonte, hoc est, conuertunt elementi ignis influxus in naturam venenosam, quam vndique per locum assignatum, siue sit magis communis & publicus, vt regio aut ciuitas, siue magis priuatus, vt domus, familia, aut priuatus solummodo homo, secundum placitum diuinum contaminari videntur, spiritu istiusmodi maligniter isto modo dissipato. sic cometæ dicuntur pestes ac famem præsagire. Porro alibi dicitur, *Percutiet te Dominus aere corrupto donec pereas, Deut.* 28. In quo sermone videtur venia concedi istiusmodi malignis spiritibus, ad hauriendas aquas aereas ex pessimo & maligno flumine cocyti, quas vbi illi disperserunt per terram & aquas, tabes aerea procreari solet, atque ita in cæteris: Infinitum volumen de istiusmodi infectionis ratione & mysterio condere possemus, sed quoniam subiectum præsens nos in limites arctiores constringit, ad angelorum primum bonorum ac deinde malorum proprietates & officia saltu leui descendemus.

Cap. V.

De Angelorum bonorum proprietate & officio, tam erga Deum quam creaturas.

Angelorum bonorum proprietas est vel
- Peculiaris, ipsisque propria A.
- Communis, estque officium ipsis in creatione assignatum vel erga
  - Creatorem B.
  - Creaturas, C.

Certum est & absque omni controuersia verum, Deum nihil proprietate creaturarum vsui necessaria destitutum creasse vnquam, sed vnam creaturam alteri vel ad præseruationem vel ad destructionem adaptauit, inter quas angelos fecit atque appropriauit creator, vt essent vasa sibi proxima, tam ad lumen immediate à Deo emanans recipiendum apta, quam ad illud in creaturas mundanas ad eorum vitam, præseruationem, & Esse impluendum atque influendum paratissima.

A
Angelorum bonorum proprietas peculiaris cernitur vel in
- Actione in qua obseruatur
  - Motus,
  - Sensus,
  - Apparitio,
  - Dispositio.
- Passione.

Dionysius ait quod tria sint in angelo consideranda; Essentia eius qua existit, de qua antea, Virtus per quam potentiam suam habet, & operatio, qua illam potentiam in actum & praxim reducit. Essentiam facit immaterialem, puram, distinctam & discretam, liberam, & intelligentem, hanc nos proprietatem eius vocamus, quam in duobus præcipue versari dicimus videlicet in actione & passione.

Angelorum motum dicimus omnium esse velocissimum, atque hinc est (vt testatur Isidorus) quod pictores soleant admonitione sanctorum ipsos, cum alis depingere, inde arguentes viuacem ipsorum in motu festinationem: velocitatem, atque ardorem illum maximum, quo incitantur in

instanti ad mandata diuina exequenda : Vnde fit, vt pro velle diuino vbique subito, & ictu quasi oculi reperiantur, ad hominum subsidium & assistentiam, prout mens est diuina. At vero quamuis ipsos mouere tradatur non tamen æstimantur respectu sui in loco corporeo contineri definitiue, vtpote qui per se nec longi, nec lati, nec densi, nec rari sunt, sed intellectuales, quatenus vero aliquod corpus assumunt sibi, eatenus circumscribi feruntur, vti in sacris literis vbique reperitur, quare licet sint propinqui & præsentes, tamen in simplici sua natura vbique operari dicuntur prout Deus vult. Distinguitur autem eorum in loco existentia ab illa Dei atque aliarum creaturarum, quoniam Deus dicitur à Theologis esse in loco, sed non definitiue, vt angeli & creaturæ spirituales, nec circũscriptiue, vt res corporeæ, sed more triplici omnibus adesse fertur vt Gregorius habet, videlicet præsentialiter vt iis exponat bonum, potentialiter per influentiam nempe, & essentialiter videlicet per intimitatis essentiam, atque hoc modo omnia dicitur implere. Angelus in separata sua natura dicitur esse in loco definitiue, sed non circumscriptiue, quatenus vbique operatur, licet cuilibet rei sit propinquus præsentialiter: sic Solem dicimus esse in cubiculo, per suorũ radiorum in illum locum influxum, licet solari essentiæ nihilominus eodem momento non denegetur locus in cœlo, in aquis, in aere, & per totum terræ hæmispherium. Sed hic quæstio non facile dissoluenda oriri potest, videlicet: An angeli supercælestes & cælestes penetrent & descendant personaliter ad hæc inferiora? an potius in cœlo existentes inferiora hæc per solos suos effluxus curare soleant? In cuius dubii resolutione variare videntur sapientes in mysteriis intelligentiarum versatissimi. Nam à Cabalistis recipimus, quod tametsi angeli 72. (qui potentiam habent ad diuidendum vniuersum terrarum orbem in 72. partes seu regiones, quarum cuilibet quilibet peculiaris angelus ex 72. antea numeratis præsidet) in mundo supercælesti habitant, ista nihilominus inferiora curant, videlicet varia regna per varias influentias, vnde fieri videmus, quod vna regio ab alia tam solis seu terræ conditione quam hominum proprietate differat; Hinc dicit *Photinus* in *libro suo De intellectu*, Ideis, & Ente, quod mundus iste sensibilis vno tantum loco determinetur, at vero mundum intelligibilem affirmat esse vbique, & consequenter intendit, quod ille hunc nostrum ambiat, ordinet, conseruet, atque penetret. Hinc Cabalistarum sapientes asserunt, quod nulla sit in terra herba vel planta, cui non sit stella in firmamento, quæ eam suo influxu percutiat, & ei quasi clamet voce occulta & Angelica, cresce, multiplicare in tua specie, sed & in hoc videtur pagina sancta cum illis conuenire, quæ in hæc verba prorũpit, *Num nosti leges cœlorũ? si posueris præfectum vel præsidẽ vel executorem in terra*, quib. indicat esse præsides, sed modum operandi eorum intimat esse admodum difficilẽ. Apostolus vero videtur hac in re à prædictis Cabalistis dissentire, dicens, quod licet omnes angeli sint ministri Dei, & assistant Deo, mittuntur tamen ad beneplacitum Principis, & quamuis mittuntur, semper tamen assistunt Deo, iuxta illud à Christo prolatum, *Angeli eorum semper vident faciem patris, Matth.* 18. Sic etiam erat angelus qui personaliter dictus est *descendisse de cœlo, & reuoluisse lapidem sepulchri, & sedisse super eum, cuius aspectus erat sicut fulgur, & vestimentum sicut nix, Matth.* 28. Similiter *Raphael* apparebat Tobiæ, *Gabriel* Danieli & Mariæ, & infinita alia exempla habemus in sacris bibliis realis Angelorum & Archangelorum apparitionis in hoc mundo; Tamen ni fallor hæc ipsorum controuersia in hoc tolli & in vnum contrahi potest quod sicut solis effigies est in cælis, lumen & claritas hic in terris, sic etiam persona angeli potest esse vbi vult, & radii potestatis suæ, qui indiuisibiles sunt à sua essentia, vbique; quare procul dubio angelus personaliter apparet & curat corpora, & tamen se, vbi à Deo est mandatum ipsi, realiter atque essentialiter transferre solet, sed ita vt officium à Deo in creatione ei assignatum respicere & præsentialiter curare possit. Sic etiam & candela, in hanc vel illam aeris tenebrosi partem ducta, non desinit totam loci caliginem respicere & illuminare. Porro etiam est considerandum quod vt cælum est vbique, Deus etiam adsit, videlicet vbique in vasto mundi spiritu, in aqua, atque in quolibet terræ puncto, ita quidem omnes & quilibet angelorum sibi vbiquitatis priuilegium vendicare solet, sed vbicunque non est in discreta sua essentia, ibi nihilominus radii suæ essentiæ infundi solent, quæ operatio dicitur proprie influentia, de qua tot & tanta verba fecerunt Cabalistæ, quæ ab essentia angeli non minus potest diuidi aut distingui, quam radii solares à sole, sed ad propositum.

Ad angelorum sensum quod spectat, dicunt sapientes in Cabala optime instituti, (Reucl. l. 3. De arb. Cab.) quod quales habent mentes nostræ linguas, tales habent angeli aures, & sicut spiritus diuini linguis angelorum loquuntur, ita spiritus humani auribus mentium auscultant. Hinc ergo est quod vox non significatiua, plus possit in magia quam significatiua, quælibet autem vox valet in magia quantum Dei voce formatur, quoniam illud, in quo magiam exercet natura, vox est Dei; at ista Dei vox non est tanquam illa hominis, sed tanquam verbum *Iehouæ*, quod (teste Iehoua) est in angelo, ita vt vox angeli mixta sit ex voluntate diuina seu verbo lucido, & natura angelica seu organo spirituali & aereo, quare constat quod sit valde occulta & soli menti familiaris. At vero quandoque assumto corpore voce articulata aures simul nostras pulsare solent, vti in pagina sancta vbique reperimus.

Proprietas etiam eorum est, varias nonnunquam induere species atque effigies, obtutibus nostris corporeis subiectas, vnde factum est, vt quandoque in forma humana appareant, quandoq; videantur in forma ignis, & nonnunquam formam aeris & venti induant, & haud raro in fluuii aut aquæ specie percipiantur, speciebus etiam volucrum aut gemmarum aut lapidum pretiosorum vestiantur, alii in spiritu habitent humano; ita etiam vidit Propheta *Zaccharias* angelum ex se egredientem, qui alium etiam angelum alloquebatur: quandoque in literarum & characterum figuris cernuntur, nonnunquam in sonitu vocis, atque ita de pluribus aliis visionum speciebus, quæ copiose in fonte sacro comprehenduntur; atque huic nostræ assertioni astipulari videntur Theologi secretiores. Ratio autem cur ad quamlibet speciem induendam ita apti & consentanei sint est, quoniam quatenus substantia spirituali & aereo singularis puritatis sunt prædití, eatenus percipiunt in se omnes formas intelligibiles, & consequenter omnes formæ intelligibiles ei conueniunt: hinc ergo est, quod replentur speciebus & imaginibus, hoc est, omnis intelligentiæ species, & consequenter omnis corporis effigies, quæ ab intelligentia informatur resplendet in iis, non aliter quam omnis color in aere, & omne obiectum in speculo, sed obiecta illa aeris & speculi sunt à circumferentia: at hæc angelica impressio est ab eorum centro, & secundum ipsorum velle & placitum, vt Psellus intimare videtur.

Quod autem ad bonorum angelorum dispositionem spectat, hoc certum est, & à literis sanctis comprobatum, quod malo sint in suis conditionibus contrarii, & quicquid est bonum hoc naturali inclinatione perficere proni sint, atque prompti.

Angelorum Passio.

Mole corporea minime patiuntur angeli, quippe quorum externum est spiritus purissimus, subtilissimus, atque leuissimus, quod etiam ex verbis Euangelistæ Lucæ optime declaratur cap. vltimo, sed angelos in eo dicimus pati, quatenus influxus luminis diuini copiose recipiunt, hoc est ipsa corpora spiritualia sunt apte præparata ad recipiendas impressiones lucis diuinæ, quas tum postea iussu diuino inferioribus impertiuntur, atque communicant. At vero malos angelos ob densam & tenebrosam suæ substantiæ molem tum pati tum etiam & cruciari nos docet pagina sacrosancta, quippe quorum lacus est infernalis: sed de his paulo inferius. Porro etiam angeli boni, quatenus imperatui & mandatis Dei subiiciuntur, eatenus etiam voluntatis diuinæ signacula atque impressiones perpeti putantur, sed more placito, nam Deo dicuntur inseruire sine compulsione.

Proprietas communis.


Communem vocamus angeli boni proprietatem, quæ versatur non in se solummodo, sed circa vniuersalia, siue increata siue creata, in hoc mundo, vnde proprie vocatur ipsorum officium, tam erga Deum rerum omnium creatorem, qnam erga creaturas eius, est enim angelus natura media inter creaturas & Deum.

B
Officium angeli boni erga creatorem consistit in
- Suscipiendo eius lumen,
- Colendo & reuerendo ipsum,
- Auscultando voci eius,
- Efficiendo verbum & placitum eius.

Angeli supercælestes ordinis superioris Deum & creatorem vnicum tanquam firmissimam & stabilissimam vnitatem colunt, & vnice circa eum versantur, nec dicuntur mundi corporibus præesse, aut inferiorum adaptationis administrationi; horum autem est suscipere Dei lumen, illudque inferioribus ordinibus influere, mediante quo singulis singula eaque distincta distribuuntur officia: atque horum alii sunt assistentes diuino tribunali, & Deum creatorem suum continue laudant: alii sunt ministrantes ipsi & nobis. At vero cælestes seu Olympici vltra diuinum cultum sphæris accommodantur; horum est, influxus illos, quos à superioribus acceperunt, dæmonibus ordinis inferioris commendare, qui in infinitis negotiis in aere, in aquis, & in terra diuersis his luminibus descendentibus vtuntur, pro conseruatione & multiplicatione creaturarum: Omnes denique angeli boni in genere dicuntur inprimis reuereri atque colere imo vero & videre faciem creatoris, siue sit in cœlo summo, medio, siue infimo.

Tertium angelorum bonorum erga Deum est officium vt auscultent voci eius, atque tum postea talis est ipsorum erga creatorem suum obedientia in mandatis eius ad exitum producendis, vt per quartum officii sui gradum illud confestim & libenter exequi aggrediantur: hinc asserunt & in hoc conueniunt Theologorum periti, quod angeli Deo inseruiant sine compulsione, & mandata eius

eius perficiant subito & in instante, neque ea procrastinent, sed & hoc ipsorum erga Deum officium verbis quidem apertioribus confirmare videtur Propheta regius quæ sunt huiusmodi. *Angeli Dei validissimi robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri eius facientes placitum eius &c.* *Psal.* 103.20.



Vt DEVS inprimis angelicas creaturas ad diuinum suum cultum atque ministerium in mundo ab origine procreauit, ita quidem, secundo loco ipsas creaturis in genere, videlicet Macrocosmo & Microcosmo, ac tum postea illis ex Macrocosmo ad vsum Microcosmi conditis præfecit vt illas respicerent & curarent.

Angelus autem seu intelligentia illa magna & summa totum macrocosmi spiritum animans, inspirans, atque mouens ab ortu in occasum, (habet enim in primum mobile imperium) est ille quem Cabalistæ *Mittatron* vocant, sacra pagina *Sapientiam*, & Platonici *Animam mundi*, cui omnes alii in mundo angeli tam boni quam mali obedientiam præbere dicuntur; de quo infra particularius atque plenius. Sunt & alii Angeli Principes seu Duces, qui immediate sub huius angeli ducatu seu imperio regnant, qui mundi partes respiciunt, quorum alii sunt cœli & ætheris rectores, quorum nonnulli Zodiaco præsunt, alii triplicitatibus, & nonnulli faciebus seu decuriis atque etiam quinariis, alii cæteris firmamenti stellis præponuntur, non est enim in cœlo stella quæ non habeat suum præfectum, alii imperant planetarum orbibus per diem & per noctem &c. alii in cœlo Empyræo vires & sedes habent, & alii mundi tam plagas quam elementa in sua custodia habent: Videlicet *Michael* Angelum orientalem, *Gabriel* Septentrionalem, *Raphael* occidentalem, & *Vriel* meridionalem, de quibus antea, atque etiam illis qui imperium habent in elementa 4. Videlicet *Seruph* in ignem, *Cherub* in aerem, *Tharsis* in aquam, & *Ariel* in terram; Porro etiam 72. angeli ideo à Cabalistis dicuntur angeli diuisionis, quippe quorum est officium ipsam terram in partes totidem diuidere distinctas, quæ regna dicuntur diuersa, atque quilibet ex dictis angelis præsidet & spiritualiter regnat super regna prædicta, non quod à cœlo descendant vt illic habitent (vti Cabalistæ volunt) sed quatenus habitant in mundo supercælesti, ista nihilominus inferiora curant, & terrena gubernant per ipsorum influentias, & hoc videtur ab Ecclesiastico confirmari, vbi legimus quod vnicuique genti præpositus sit rector angelicus, Porro etiam Moyses ait in suo cantico, *cum diuideret excelsus gentes, statueret eorum terminos secundum numerum Angelorum DEI.* Nostra autem nos fert intentio quod 72. isti angeli (quoniam à sapientibus cœlum stellatum terræ à sua fixitate refertur) sint duces illi, qui vim & potestatem primariam habent in quinarios cuiuslibet signi, qui sunt partes dimidiæ decanorum seu decurionum, verbi gratia in quolibet signo sunt 30. gradus, quorum quilibet numerus denarius dicitur decanus, vnde & numerus quinarius est decani pars media, quare in quolibet signo sunt quinarii 6. qui numerus in duodecim signa ductus producit 72. qui sunt exacte numerus 72. ducum, quorum, testibus Cabalistis, est diuidere terram in regna. Hanc quidem imaginationem in mente mea concepi, quæ quamuis nullibi, quod sciam, in scriptis est inuenienda, tamen res ipsa indicat rem esse probabilem, tam quia quodlibet regnum mutationis fato subiicitur, quod etiam in Monarchiarum mutationibus cernitur, atque etiam in contentione illa inter *Gabrielem* & *Principem Persarum* habita, vnde verisimile est, quod istiusmodi rectores sint Olympici & minime Empyræi. Atque hoc etiam in eo probabilius videtur, quoniam iuxta Astrologorum obseruationem regna & Prouinciæ terræ signis Zodiaci particularibus supponuntur, quæ causæ sunt alterationis tam naturæ locorum, quam conditionis incolarum, quæ solet esse inter vnum regnum & aliud sibi vicinum: Porro alii aquas præponuntur & sub se alios habent

dæmones

dæmones numero infinitos, hinc dii marini Neptunus, Thetis, Proteus, Nereus, hinc fluminum Nymphæ Nereides &c.

Sunt & alii angeli boni inferioris conditionis, qui mundi creaturis peculiaribus adminiſtrare ſolent; nam in cœlo empyreo angeli ſuperioris ordinis recipiunt immediate lucem diuinam à Deo, per viam influentiæ, atque illam emittunt atque manifeſtant illis ordinis inferioris, qui etiam & illam tandem eandem in mundi infima diffundunt, vnde ſpecula dicuntur potentia recipere lumen Dei. Porro etiam tantus eſt horum angelorum atque etiam ipſorum ſubditorum vndique in mundo influxorum atque diſperſorum ordo & conſonantia, vt nulli ipſorum ordini permittatur opus alteri deſtinatum ſuſcipere aut aggredi.

Porro in cœlo æthereo quodlibet Zodiaci ſignum, quælibet eiuſdem triplicitas, quilibet cuiuslibet ſigni decanus atque quinarius, ſuo principe gaudet angelo, quo regitur & gubernatur, qui & plures ſub ſe legiones & cohortes habet, imo vero (vti iam dictum eſt) nulla reperitur in toto firmamento ſtella, cui non præſit Princeps, & ab infinitis angelis inferioris ordinis non inhabitetur: hoc etiam idem de Planetis ſeu ſtellis erraticis eſt dicendum, quibus duces regales aſſignantur, quibus diriguntur, conſeruantur, & influentiis ab alto ditantur, ex quibus Princeps ſeu Præfectus Saturni eſt *Zabkiel*, Iouis *Zaphkiel*, Martis *Samael*, Solis *Michael*, Veneris *Anael*, Mercurii *Raphael*, Lunæ *Gabriel*, &c. quibus in ſuis ſphæris ſeu legionibus ſubſunt plures legiones, Imo vero à nonnullis in theoſophia occulta peritis affirmatur, angelos non ſolummodo cum hominibus in multis naturæ conuenire, verũ etiã numero, concludentes tot homines eſſe ſaluandos quot angeli in pugna inter draconem & Michaelem ceciderunt à cœlo, vt illi ſaluandi impleant locum angelorum à cœlo pulſorum, aiuntque tot eſſe damnandos, quot angeli, qui poſt victoriam manſerunt ex parte Michaelis in cœlo, vnde concludere volunt æqualitatem numeri hominum & angelorum, quod ſi eſſet verum probabile eſſet & conſequenter, eſſe tot angelos Saturninos quot homines Saturnini, totque Iouiales, Martiales &c.


In infima etiam mundi parte ſunt angeli cuique creaturæ adminiſtrantes, cum alii dicantur præſidere animalibus, alii plantis, imo vero Cabaliſtarum ſapientes volunt, nullam eſſe herbam aut plantam in terra, cui non ſit appropriata ſtella in firmamento, & conſequenter angelus, qui percutiat eam & dicat quaſi ei, creſce & multiplicare, alii lapidibus pretioſis dicuntur præeſſe, alii metallis, atque ſic in cæteris.

Sed quoniam antiquiores Iudæorum, res ſeu ſpecies in creatione omnes literis ſanctis attribuerunt quorum ſymbola totidem fecerunt angelorum ordines, quot ſunt literæ illæ ſanctæ, ideo hiſce literis & angelis iis ſymbolizantibus, cuilibet videlicet eorum particulatim peculiare in creaturas officium, & peculiarem ſpeciem aſſignauerunt: Verbi gratia, ad vitæ immediate à Deo *Ehieh* traditæ effuſionem in mundum, ordo dictus *Haioth*, id eſt, animalia ſanctuarii ſeu vitæ, qui ſymbolizant cum *Aleph*. Ad formas influendas *Ophanim*, id eſt, formæ ſeu rotæ, vtpote per quos DEVS *Elohim* Chaos diſtinxit cum *Beth*. Ad formam cum materia fluxili coniungendam ordo *Aralim*, id eſt, magni, fortes, & robuſti, qui vim iſtam à Iehoua obtinet à quo illuminatur, cum *Gimel*: Ordo per quem Deus *Elohe* corporum effinxit effigies *Chachmalim* refertur ad *Daleth*: Ille per quem Elementa depromſit *Elohim Gibbor*, ad *He*: per quem Deus *Eloha* metalla producit *Malahim* ad *Vau*: per quem *Iehoua Zabaoth* Vegetabilia producit, *Elohim*, id eſt, Dii, ad *Zain* per quem *Elohim Zabaoth* animalia procreat, *Bene Elohim* ad *Heth*. Per quem Deus *Zadai* genus humanum curat, *Cherubin* ad *Teth*, per quem Deus influit in filios hominum cognitionem rerum, mirificamque induſtriam, *Iſsim*, id eſt, nobiles, qui ſunt omnibus in hierarchis inferiores, ad *Iod*: per quem in primo mobili verſantem *El Saday* ſpiritus vitæ & rationis communicatur. Angelus *Metattron* dicitur, hoc eſt, intellectus agens mundi ſenſibilis ad *caph*, vt & *caph* finale refertur ad gyrum ſtellarum fixarum. Ad *Lamed* referuntur ſphæræ planetarum quæ dicuntur ambulones, & in ſpecie ei refertur angelus Saturni. Ad *Mem* apertum ſphæra angeli Iouis, ad clauſum ſphæra martis, & ſic in cæteris.

Denique dicunt alii elementorum formas regi diuina virtute per Angelos dictos *Iſsim*, & virtute cælorum, & virtute primæ materiæ, quæ eſt fons & origo cunctorum elementorum. Inanimata & mineralia, quæ dicuntur Elementata & miſta, reguntur per ſphæras cæleſtes & intelligentias ſeparatas, quæ vocantur *Iſsim*. Porro etiam omnia vegetabilia fructus & fruges ac terra naſcentia à cœli intelligentiis & illis ſeparatis dictis *Iſsim* virtute influxus diuini gubernantur, atque etiam ſenſitiua & reptibilia terræ ac progreſſiua, vt & aquarum piſces, & aeris volucres, ſimul & quæcunque irrationalia vitalem motum habent virtute Dei reguntur à ſpiritibus cœli, atque ipſorum ſubditis, *Iſsim* dictis, atque hi omnes ſpiritus dicuntur Angeli adminiſtratorii (teſte Apoſtolo) in miniſterium miſſi. Denique diſtinctione magis generali angelorum officia ſecundum ipſorum Hierarchias, diſtinguuntur. Nam hierarchiam ſuperiorem faciunt in regionem ſupercœleſtem habere curam, & diuinam prouidentiam contemplari, quorum ordo ſupremus *Seraphin* nempe in Dei bonitate, ſecundus *Cherubin* ſcilicet in eſſentia Dei tanquam forma, tertius, *Throni* ſcilicet in ſapientia: horum

etiam

etiam est recipere lumen Diuinum,& illud inferioribus commendare. Secunda Hierarchia mundum æthereum respicit,& administrat in cœlis,cuius ordo primus, Dominationes nempe præcipit in cœlo,quod reliqui exequuntur,secundus,nempe Virtutes,administrat cœlis , & nonnunquam admiracula facienda conspirat. Tertius, nempe potestates,arcet quæ possunt perturbare diuinam legem. Tertia hierarchia continet dæmones ministros qui ad inferiora curanda descendunt,Ordo huius Primus,videlicet principatus, curat publica , videlicet principatus,magistratus,prouincias,& regna,& horum Principes sunt 72. illi antea relati. Secundus,videlicet Archangeli , sacris interest & circa hominum diuinum cultum versatur,& homines in viis suis dirigit,& preces eorum ac sacrificia Deo offert. Tertii & vltimi ordinis spiritus minora quoque disponere solent , & singuli singulis custodes adsunt: horum alii minutissimis herbis, lapillis, & omnibus inferioribus virtutem administrant,quæ nihilominus dona non ab angelis accipiunt creaturæ,sed à Deo per angelos,vnde à Propheta Daniel dictum est. *Quod Deus secundum voluntatem suam facit in exercitu cœli & habitationibus terræ.* Et alibi in Iob. *Num nosti leges cœlorum, si posueris præfectum seu præsidem vel exequutorem eius in terra? Iob.*38 Atque hinc est quod Philosophi profundi volunt, quod omnes res inferiores sint repræsentatiuæ superiorum,& vti fit inferius sic agitur per superius, & in hoc omnes Cabalistæ conueniunt.Hoc est secundum effigies & actus interni agentis cuiuslibet creaturæ elementatæ externum apparet,non aliter quam vagina ad ensis effigiem est formata, quod omne opus ab angelis ministrantibus perficitur. Nam angelus definitur tanquam inter Deum & naturam seu rem creatam virtus media,à qua fiunt operationes in iis tales quæ apparent,atque etiam eas, quas natura vel non faceret,vel sic faceret,quas alii prouenire dicunt ab occulta proprietate,& alii quia tale: denique à Deo per angelos omnia fiunt & ad exitum producuntur.



Dicit *Picus Mirandulanus*,quod res humanæ non corporum sed angelorum mysterio gubernari debent,vtpote qui natura & dignitate mediant inter Deũ & hominẽ,vnde(inquit)cum à Deo descendis ad terram descende per cœlum,sed cũ descendis à Deo ad homines descende per angelos,sic angelum Persarum Græcorũ Hebræorum legis apud Prophetas suis populis prouidentẽ,& apud Platonem & omnes Platonicos locales Deos vrbibus regnis & hominib. præpositos legimus,quorum mentio quoq; facta est ab Aristotele,& Isidorus,& post eum Clemẽs Alexandrinus in stromatis meminerunt.Hæc ille;Et Orpheus cum Pythagoreis dicit omnia Diis plena,quos nihilominus omnes vnico Ioui referunt;Socratem aũt etiam suum Dæmonem habuisse tradunt, & quidem cum homo sit omnium creaturarum sublunarium dignitate & honore primus, vtpote qui ad imaginem creatoris est factus , ideo & ipsi ad mundi regionum imitationem tres dicuntur assignari angeli , quorum vnus natura & dignitate altero est prior ; nam vt in mundi regione intellectuali angeli altissimæ bonitatis & diuinæ conditionis constituuntur , qui perpetuo dicuntur coram facie DEI astare , ita quidem suprema Microcosmi regio intellectus

& rationis cuſtodiæ dicata ab angelo ſupremi ordinis gubernatur, atque hic iuxta Iamblichum & doctrinam Ægyptiorum dæmon bonus, bonus genius, & intelligentia ſacra nuncupatur. H c teſte Iamblicho non ab Aſtris aut Planetis homini infunditur, ſed ab origine magis excelſa, videlicet mũdi & angelorum præſide homini infundi dicitur, & præcipue mentis atque animæ rationalis gubernationi deſtinatur.

Virtute ergo huius fit, quod homini præ cæteris creaturis datum eſt aſtris dominari, & fati tyrannidem tranſcendere, vtpote cuius eſt vitam animæ dirigere, cogitationesq; bonas aſſidue menti exhibere, isque noſtra interiora illuminare geſtit & omni momento intendit, quamuis non ſit nobis conceſſum ob tenebras noſtras hanc ipſam operationem animaduertere, niſi quando ſumus purgati atq; purificati, ſimul atque tranquille & pacifice viuamus, tunc enim non modo à nobis percipitur, verum etiam nobiſcum ſua lingua & ſermone colloqui videtur; quali autem lingua vtatur angelus iſtiuſmodi, quali voce vtatur in ſua loquela, ſupra declarauimus: Denique vt ad ſacram nos ducat perfectionem, & ad diuinum cultum nos reddat paratos, nosque à Diaboli inſidiis & malignitate tutos præſtet. S cundus angelus vocatur dæmon genituræ, qui & vitæ genius dicitur, atque hic creditur eſſe ex ordine dæmonum Olympicorum ſeu ætheris, quare & ab aſtrorum regionibus more influentiæ in natiuitate deſcendere traditur: hic eſt vitæ cuſtos atque executor functionum eiuſdem, nam vt in genituræ primordio vitæ virtutem corpori cõciliauit, ita quidem eam cõmunicatam curat pabulumque ad eius conſeruationem idoneum, magnetica & occulta virtute è cœlis, & præcipue ab illa ſtella tam planetaria quam fixa, de qua maxime participat, quotidie, imo vero quolibet momento attrahit: denique ſecundum bonitatem iſtiuſmodi dæmonis, id eſt iuxta fauſtam influentiam præſidentis ſuæ ſtellæ maiorem vel minorem, maior vel magis parca erit nati in vita ſua ſanitas atque fœlicitas. Dæmonem autem conditionis & loci infimi nos elementarem facimus, quem nonnulli malum vocant genium, & reuera niſi à ſummo dæmone, quem ſacrum dictitauimus, bene corrigatur in vitiis ſuis, ſemper (ſecundum loci ſui connaturalis conditionem) ad carnis voluptates, mundi iſtius mutabilis vanitates erit procliuis, quippe qui eſt ex illa mundi regione, in qua princeps poteſtatis aeris vim ſuam exercere ſolet.

Alii dicunt quod tertius hominis dæmon ſit profeſſionis ſuæ angelus, dicuntque, quod mutata profeſſione mutetur & dæmon, ſed nos audacter ipſis in hoc contradicere poſſumus, quia profeſſio tenet ex parte rationis & intellectus, quare profeſſionis perfectionem ad dæmonis ſacri directionẽ relinquimus, cuius eſt in ſuo officio, de ſpiritu ſacroſancto atque eius donis participare, cuius eſt (vt teſtatur pagina ſacroſancta) ſcientias varias hominibus ſecundum variam eorum capacitatem diſtribuere, vt Bezalieli & cæteris de quibus Exodus plenius facit mentionem cap. 28.3. & 31.2. & 35. 30. quare ſcientiarum & artium diſtributorem angelum potius ſacrum facimus, cuius eſt artem, ſcientiam, & intellectum dare quam alterum conditionis minoris, etſi quandoq; obtenebroſam hominis conditionem vnam artem pro altera eligit aut mutat, hoc non eſt in culpa cuſtodis & gubernatoris ſui ſed erroris atque prauitatis voluntatis ſuæ cæcæ & carnalis. Scio etiam Aſtrologos magiſteria & profeſſiones hominum ſuæ natiuitatis ſtellæ, & conſequenter angelo ſtellam gubernanti attribuere, verbi gratia Mercurio artem mercatoriam & ſcientias mathematicas, Marti magiſteria bellicoſa & fabros ferrarios, Soli artes medicinæ, muſicæ &c. Sed hiſce nos reſpondemus, quod angelus Olympicus in natiuitate ſemper ſubiiciatur dæmoni ſacro, vt & ille Elementaris illi Olympico, nam ſemper eſt relatio vnius ad alterum, quoniam inprimis Deus effundit proprietatem ſuam luminoſam per portam ſibi adoptatam in peculiarem ordinem angelorum cœli empyræi, qui illud ſtatim influendo committit archangelo ſphæræ aut ſtellæ octaui orbis, aut planetæ ætheris, qui iterum illud transfundit in elementarem regionem, commendatque dæmoni ſui orbis, ibi in aere vaganti, qui cum natura ſeu influxu empyræo, quem angelum ſacrum dicimus, & natura cœleſti ſeu ætherea, quam dæmonem vitæ vocamus, & ſeipſo, quem naturam elementarem appellamus, in maſſam ſpermaticam ſe inuoluit ad geniti procreationem. Sed quoniam Tractat. 1. Sect. 2. Port. 4. lib. 3. Parte 2. & plenius de tribus hiſce ſpiritibus ſumus loquuti, longiori iſtius diſcurſus filo tempus in hoc ſubiecto pertractando conſumere nolumus, vt ad angelorum numerationem, qui circa negotia humana verſantur, citius perueniamus: Sed quod ad ſpiritus attinet qui poteſtatem habẽt in mores & facultates corporis humani, præter ſpiritus illos cum genitura connatos, dicimus, quod vt inferiora repræſentant ſuperiora, ita etiam ſunt in mundo elementari dæmones qui habent relationem in conditione ad illos cœleſtes in mundo Olympico, qui naturali inclinatione vires ſuas exercent iuxta cœleſtium animarũ vires, videl. mentem, rationem, imaginationẽ, atq; virtutem motricem ſeu viuificam: nam ignei ſpiritus mentem ſequuntur, vnde ad ſublimiores contemplationes concurrunt & adiuuant; aerei ſequentes rationali fauent potentiæ, eamque à ſenſuali vegetabilique quodammodo ſegregant, atque hi dicuntur non aliter vitæ actiuæ inſeruire quam ignei contemplatiuæ: aquei imaginationi & ſenſui inclinatione naturali inſeruiunt, & vitæ conferunt voluptuoſæ: denique terrei facultati fauent vegetabili ſeu naturali. Hi autem dæmones diſtinguuntur iuxta naturas Planetarum & ſtellarum nomina in Saturninos, Iouiales, Martiales, &c.

atque

atque hic sedulo est obseruandum, quod vt in terra homines reperiuntur cuiuslibet planetæ seu stellæ naturam induentes, ita quidem in mundo cuiuslibet planetæ degunt dæmones, cuiuslibet elementi conditione præditi, vnde accidit quod variis planetarum inter se aspectibus in cœlo, varii in inferiora producuntur effectus, quoniam dæmones vtriusque planetæ propinquioris naturæ in aspectus puncto, si sit bonus, videlicet Trinus vel sextilis, conueniunt & iunguntur quasi in media via, atque ita more influentiæ deorsum in mundum elementarem impluuntur. At si aspectus sit maleuolus, & præcipue ex contrariis planetis in conditione, tunc spiritus contrariæ naturæ seu elementi concurrunt in puncto aspectus, videlicet oppositione quadrati & coniunctionis, atque ita maleuolos & turbidos non modo vitæ humanæ, sed etiam spiritui mundano producunt effectus; atque hoc teneatis velim pro secreto mysterio, vnde factum est quod aliis hominibus vita sit magis congrua, & conditione sana, aliis turbulenta, infirma, contentiosa &c. alii ingenio & intellectu pollent, alii stupidi sunt atque ratione bona destituti, & sic de aliis: Sed nihilominus angelus sacer in cæteros tam Olympicos quam Elementares imperium habet. Nam spiritus vitæ rationalis desertor & peccator per spiritum vitæ rationalem pium & iustum regitur, spiritus autem iusti sunt angeli sancti, nam (inquit Thomas) spiritus inferiores per superiores coguntur. Sed & hoc patet in imperio illo, quod habuit angelus ille, qui egressus est ex Zacharia, iubens alium angelum vt festinaret ad Ierusalem, atque etiam spiritus in Apostolis, qui dæmonia ex obsessis eiecerunt, atque Angelus Raphael, qui Asmodeum fugauit, & in multis aliis. Nam hoc certum est quod spiritus illi qui diuino diuinitatis nectare repletiores atque inebriati magis sunt, potentiores sint illis, qui magis inopes & indigentes luminis diuini atque tenebrosi.

Athanasius dicit quod ordinis *Seraphin* non sit solummodo diuinum lucis effluxum immediate recipere, atque Deum, vtpote cui sunt proximi, indesinentibus hymnis & irrequieta laude magnificare, verum etiam eum pro nostra salute exorare, sic scriptum legimus in Apocalypsi, *Et alius angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus omnibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Apoc.*8.2. Porro etiam quod sint angeli intercessionem facientes pro hominibus intimare videtur Iob. *Si fuerit* (inquit Elihu) *Angelus loquens pro homine, vt annuntiet eius æquitatem, miserabitur eius, & dicet, libera eum, vt non descendat in corruptionem, deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & reddet homini iustitiam suam, Iob.*33.23. Sed huiusmodi angelorum ordo dicitur procuratorius, quoniam videtur ardenter hominis causam coram Deo agere.

Est etiam vnius solius angeli officium, vt Cabalistæ volunt, tanquam in cœlo vicarii, animas rationales non aliter offerre Deo, quam vicarii seu sacerdotes communes solent corpus Christi in missa offerre in terra, atque hunc dicunt esse *Michael*, qui est princeps ille magnus (teste Daniele) stans pro populis Dei seu electis, hunc dicunt perpetuo sacerdotio fungi tanquam magnum Dei sacerdotem in cœlo, atque hinc à secretioribus Theologis Hebraice *Coshengadol* id est sacerdos magnus vocatur. Porro & iste angelus est princeps militiæ Christi constitutus, super omnes animas suscipiendas, vt Archangelus in comment. in cabalistarum dogmate scribit.

Adest etiam altus angelorum ordo, qui homini immediate adest in hac vita qui Doctrinalis vocatur, horum angelorum est eum in veritate rerum tam præsentium quam præteritarum & futurarum instruere, sic Gabriel Danielem prophetam alloquens dicit: *Veni vt doceam te quæ ventura sunt populo tuo in nouißimis diebus, Daniel.*11.

Ipsi etiam homini adsunt alius conditionis Angeli qui tutelares dicuntur, qualis erat *Raphael* qui defendebat Tobiam contra spiritus malignos: *Tob.*8. Et propheta regius de his sic loquitur, electis, *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine seu nocte peruadente, à lue vastante in meridie seu à dæmonio meridiano, plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, nam angelis suis præcipiet de te, & conseruabit te in omnibus viis tuis, &c. Psal.*91. De huiusmodi etiam angelo sic in benedictionibus suis loquutus est Iacob: *Angelus ille qui vendicauit me ab omni malo benedicat pueris istis. Genes.* 48. Et illi de quibus sic scriptum est, *Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, Matth.*4.11.

Sunt & alii angeli qui ministrales seu administratorii dicuntur, de quibus dicit Apostolus: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus mißi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*; *Hebr.* 1. cuius generis etiam fuerunt illi qui accesserunt ad Christum in monte & ei ministrauerunt. *Matth.* 4. 11.

Est etiam & ordo auxiliarius, cuius est electis & populo DEI assistere aduersus hostes atque inimicos, tales fuerunt angeli illi Dei qui Iacobo in itinere suo obuiam iuerunt, quos cũ vidit vocauit eos *exercitum DEI*, mediantibus quibus victoriam habuit in spiritum fratris sui maleuolum, *Gen.* 32.1. talis etiam angelus fuit tempore Hezekiæ regis Iudeæ, à DEO missus, qui interfecit ex inimicis Assyriis 185000. 1.*Reg.* 19. Talis etiam fuit angelus quem Iudas Maccabæus petiit à DEO in suum auxilium, virtute cuius ipse cum manipulo suo hominum interfecit 35000. inimicorum, 2. *Macc.*15.22.

Sunt & alii quibus conſolationis munus attribuitur, cuiuſmodi angelus erat Agaræ conſolator in magno ſuo luctu. Et angelus qui redemit Petrum è Carcere. Et angelus ille Apoſtolis dolentibus viſus poſt Chriſti reſurrectionem.

Alii ſunt admonitorii: nam hi exponere ſolent oculis mentis peccata noſtra, vt ea corrigamus; atque etiam nos admonere ſolent de voluntate Diuina, nos inſtruentes quid ſit faciendum, Similiter homines ſæpe viſitare ſolent, eos admonentes ne peccent, & expergefaciunt & exagitant à ſomno peccati & vitii.

Alii aſſiſtentes ſunt, qui aſſiſtunt hominibus in negotiis ſuis ordinariis, vt angelus qui præbuit cibum & potum Eliæ & Danieli in neceſſitatibus.

Alii ſunt duces & conductores in itinere, De quibus intelligit Iehoua dicens: *Angelus meus præibit tibi in itinere,* Et alibi, *Ecce mitto angelum meum ante te, ad ſeruandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparaui, Exod.* 32. 34.

Præter hos alii in officio habent animas defunctorum in cuſtodiam recipere, de quibus legimus apud Lucam; Anima Lazari portata eſt in ſinum Abrahæ. Denique aliis deſtinatur officium curandi morbos, atque ſanandi vulnera, ſic traditur à litera ſancta, Tobiam à Raphaele fuiſſe ſanatum; atque lacus ille ab angelo perturbatus, qui ob angeli contactũ ſanabat mergentes ſeſe, atque ita in cæteris multis; ſed hic inprimis hoc obſeruandum putamus, quod tametſi iſti ordines variare videantur, vtpote qui nomina ab officiis magis particularibus ſortiantur, tamen omnes hi ordines à nobis hic relati ab officio magis vniuerſali, quam aptiſſime cum Apoſtolo Paulo, loco antea citato, vocabulo magis generali, ſpiritus ſeu angeli Adminiſtratorii dicuntur, miſſi pro ſaluatione & præſeruatione tam corporum quam animarum hominum, de quibus intendere videtur Heſiodus quando in hunc ſenſum loqui videtur. *Ter decies mille ſunt ſupra terram, multos paſcentes mortales Iouis cuſtodes hominum mortalium, qui vtique obſeruant iuſtitias, & miſeranda facta aerem induti, vbique euntes ſuper terram;* Atque hi cuſtodes ab Heſiodo allegati à Latinis Spiritus dicuntur, quorum quiſque (iuxta Cabaliſtarum ſenſum) ſolicitudini negotiorum inferiorum deſtinatus, atque hi *Mamona ſeu Mamon* à Græcis dæmonia ſeu dæmones, non in malam partem ſed bonam dicuntur. Concludimus ergo cum quodam ſapiente in Reuelatione Maieſtatis diuinæ, qui officia angelorum magis aperta & manifeſta ſic deſcribit, quod primus inter omnes eſt magnus ille ſpiritus qui immenſam & latiſſime extenſam aquam quæ cœlum vocatur diſtinet, atque in eſſentia ſua conſeruat, omnibus rebus creſcentibus & viuentibus mirifice motum tribuit. Secundo loco poſiti ſunt Cherubin, qui cuſtodiunt & obſeruant arborem vitæ, alii angeli pronuntiant res futuras & docent homines; alij deſtruunt Sodom & Gomorrham, alii occidunt & repellunt hoſtes; alii niuem, pluuiam, fulgur, & tonitru, dimittunt in terram, atque ſic deinceps vnuſquiſque ſuum peculiare munus exequitur, omnes tamen ſimul ſeruiunt Deo, dum voluntatem eius in rebus omnibus expediunt, in cælis, in aere, & in terra, atque in omnibus omnino locis, atque id variis & mirabilibus modis; Iſta teſtatur ſacra ſcriptura, videlicet quod ſpiritus & Angeli ſemper hominibus illis, ad quos miſſi fuerunt, indicarint ſeſe miſſos atque ablegatos eſſe à Deo, vt hoc vel illud annuntiarent & mandarent ipſis, vel etiam ex voluntate diuina apud ipſos expedirent, quippe ex quo ſtatus & conditio officiorum angelicorum colligi & percipi poteſt: Summa eſt illic diligentia, deuotio, & Zelus maximus, nihil quicquam intermittendi, nihil differendi, ſed omnia exacte & vel in oculi nutu perficiendi, atque huius ſuæ executionis reſponſum deferendi, quo ipſo Deus laudatur, honoratur, celebratur: in hac exequutione nullus eſt perſonarum reſpectus, nullus mercedis, munerum, aut donorum, nihil hic iniqui, nihil peruerſi, nihil iniuſti peragitur: illic verba Dei, ſanctiones & mandata non torquentur, mutantur aut corrumpuntur, ſed omnia ſine vlla deprauatione ad normam diuinam expediuntur.

Nemo illic eſt qui verbum Dei infringat, deprauet, & pro parte ſeruet, pro parte vero reiiciat, vti facere conſueuerunt filii hominum.

Cap. VI.

De malorum Angelorum ſeu Cacodæmonum proprietatibus & officiis.

Cabaliſtæ volunt, quod Angelorum ſuperiorum numerus correſpondeat illi ſpirituum mundanorum, qui in mundo inferiori habitationem ſuam habent, atque hoc à diuinis oraculis ferunt ſe accepiſſe Theologorum Secretiorum nonnulli, vti ſupra eſt dictum. Similiter vt quiſque præfectuum bonorum ſeu ſuperiorum magnus eſt princeps, multæque libertatis poteſtatem habeat in dominio planetarum ſuorum & ſignorum, & in eorum temporibus, annis, menſibus, diebus,

bus,& horis,in suis elementis & partibus mundi,& ventis, & quilibet eorum dominatur pluribus regionibus, eadem plane ratione in malis spiritibus præsunt cæteris quatuor reges potentissimi, iuxta 4. partes mundi,quorum nomina in superioribus explicauimus, esse Oriens vel Vriens,Amaymon,Paymon, & Egyn,Quos Hebræi fortassis rectius dixerunt *Samael, Azazel, Azael, Mahazael*, sub quibus plures alii dominantur principes legionum & præsides, innumeri quoque priuatorum officiorum dæmones,Vti antea à nobis est demonstratum. Hic vero eorum officia seu proprietates vobis recensere aggredior.

- Malorum dęmonum officium seu proprietas consideratur vel
  - Genere.
  - Specie quæ versatur vel circa
    - Macrocosmum. A.
    - Microcosmum seu hominem.B.

Generalis eorum proprietas est,quod & Deum & homines in odio perpetuo habent,vti Theologorum patres affirmant.

Proprietas ipsorum magis specialis & particularis versatur in vtriusque mundi perturbatione, videlicet Macrocosmi pro amore Microcosmi. Nam Gregorius & Bartholomæus dicunt, quod maxima Cacodæmonum intentio atque inclinatio est, molestiam bonis hominibus afferre, atque ob hanc causam solent elementa perturbare,tempestates tam marinas quam aereas, atque etiam nonnunquam terreas excitare; similiter terræ fructus corrumpunt, aerem inficiunt, & multa alia patrare solent, quemadmodum ex 7. Apocal. & historia Iobi optime explicatum est; Sed & omnes in hoc conueniunt Theologi,quod nihil valeant sine permissione diuina, nam nisi hoc esset, nemo à rabida eorum violentia foret vnquam immunis.

- A
  Angeli mali perturbant infimam Macrocosmi regionem, vel producendo in
  - Aere meteora infęlicia qualia sunt
    - Cometæ
    - Chasmata
    - Venti tempestuosi vel à
      - Nube quales sunt
        - Prester
        - Turbo
        - Ecnefias
      - Mundi plaga
    - Tempestas pluuiæ.
    - Nix turgida.
    - Grando damnosa.
    - Pruina.
    - Nubes.
    - Fulgur.
    - Fulmen.
    - Tonitru.
    - Ignis à Cœlo.
    - Calor,frigus,humiditas.
    - Siccitas extrema.
    - Aer corruptus &c.
  - Aqua
    - Inundationes seu diluuia.
    - Tempestates marinæ seu lacuum & fluminum
    - Corruptio halituosa
  - Terra
    - Fructuum corruptio.
    - Terræ
      - Motus.
      - Hiatus.
      - Halitus venenosus.
      - Flatus igniuomi.

A nobis declaratum est, quod quidam in Theographia secreta sapiens, in quodam tractatu suo cui nomen est reuelatio maiestatis (Lib. De spiritu c.78.) in hæc verba prorumpit: Omnia creata sunt per verbum Dei, proinde quoque res omnes per verbum gubernantur, mouentur, & ducuntur, quare delirant mundi sapientes seu philosophi, minime concedentes, Deum operari omnia in omnibus, & quod verbum eius omnia moueat, concitet, & conseruet, sed naturæ quidem creatæ illud ascribentes, prætendentes Deum operari per media, videlicet per secundas & tertias causas, intelligere minime volentes, Deum vnice per verbum suum non autem per vlla alia media aut prædictas allegatas causas, sed in illis tantum operari; Primum corpus, nimirum aquam, Deus madidum & humidum per verbum suum creauit, vnde nulla alia videtur in aqua causa quæ eam humectet & madidam reddat, super & in aqua creauit Deus aerem occultum vt natet super aquas, & impellat & moueat eas, atque in liquida & fusili sua substantia eas conseruet, hoc idem fit etiamnum hodie. Cum aere etiam simul creauit angelos verbo suo, & spiritus, qui in aere circa directionem tempestatum, pluuiæ, niuis, grandinis, pruinæ, nubium, fulguris, & lapidis ceraunii, ignis, chasmatū, aquarum inundationum, caloris, frigiditatis, caliditatis, humiditatis, siccitatis, & aliorum id genus quāplurimorū munus & officium suum obeunt, & exequuntur. Hæc ille. Quibus liquet, quod Deus mediate non per angelos operetur, sed per verbum in angelis. Quod etiam Rabi Mnahem Racanat in commentariis Exod.14. ait: Characteres volantes superne in fundamento sapientiæ spiritualis sunt administratorii spiritus, ad faciendā omnem rem per eos, & operationes eorum sunt notæ Cabalistis. Sed ne quis vana superstitione ductus putet ab angelis omnia humanæ mortalitati cælitus conferri, ideo asseueramus cum Reuclino, *lib.3. Art. Cabal.* per angelos tanquam organa ab ipsa Dei maiestate omnia fieri etiam in angelis, quod etiam testatur Propheta Daniel dicens Regi Nabuchodonosori. *Secundum voluntatem suam facit in exercitu cœli & habitatoribus terræ*: Nam verbum Dei characterem suum in quolibet angelo impressit, vnde *Iehoua* de Angelo quem in itinere per desertum præposuit loco ducis Moysi dicit: *Non feret defectiones vestras, quoniam nomen meum est in eo.* Atque hinc est quod angelorum nomina in *El* aut *Iah* desinant, vt Michael, Haziel, Hahaiah, Iehuiah, Habriah &c. Vnde liquet, quod sit Deus in angelo, qui agit & incitat creaturam angelicam, hoc vel illud perficere secundum voluntatem suam, & non creatura angelica; at vero quatenus totum angelicum consideratur, videlicet eius internum & externum, ita quidem quoad sensum mundanum seu hominum mundi, hoc vel illud ab angelo fieri dicitur. Hinc ergo est quod angelus siue bonus siue malus contra velle diuinum nihil potest, sed mouetur quo & quando Deus seu verbum in eo insignitum ipsum ducere placet, vt officium suum in hoc vel illo loco iuxta proprietatem Diuinam eum ducentem seu rapientem exequatur.

De stella Christi, vt Magi voluerunt, dicentes, *vidimus enim stellam eius*, *Matth.2.* ac si dixissent ductam ab angelo eius deque columna ignis in qua erat angelus, quem Iehoua præposuit Israelitis in itinere eorum dictum est, *sapientia fuit Israelitis tegumentum interdiu, & lux stellaris nocte: Sap.10.17. De turbine & curru igneo in quo Elias fuit in cœlum raptus, 2.Reg.2.1. De Angelo faciem habente fulgidam vt Sol, cuius pedes vt duæ columnæ igneæ, Apoc. De 7. Angelis quorum clanctu stellæ ceciderunt, & infecerunt mare & terrā, Apoc. 8. De equitibus per aerem discurrentibus, 2.Macc.5.2.* atque huiusmodi aliis in aere prodigiis ignitis mentionem faciunt literæ sacræ. De prestere etiam seu *turbine igneo quem immisit Deus* mediantibus ministris angelicis (vt historia testatur) *super Sodomam & Gomorrham, Gen.19.* De quo etiam alibi: *Depluit super improbos prunas, ignem, & sulphur, ventusque vario prestere coniunctus portio poculi eorum, Psal. 11. 6.* De igne Dei decidente de cœlo, similiter de ventis violentis, De turbine Domini, de quo dicitur, *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capita impiorum quiescit: Ierem.30.23.* Et alibi, *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & ex medio eius similitudo veluti animalium &c. Ezek.1.* Et alibi. *De his omnibus, à Domino Deo exercituum visitabimur, in tonitruo & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, & flamma ignis deuorantis &c. Isai.29.6.* Atque etiam quod cum illis iratus fuerit Iehoua *commota sit & contremuerit terra, fundamenta montium concussa sint: & quod ascendat fumus è naribus eius, & ignis de ore eius volet*, quod *Carbones accensi sint ab eo, & quod inclinet cœlos & descendat, & caligo sub pedibus eius, 2.Reg.22.8.* & quod *ascendat super Cherubin, & quod volet, & labatur super pennas venti*, & quod *faciat tenebras suas in circuitu latibulum, cribrans aquas de nubibus densis cœlorum*, & quod *præ fulgore in conspectu eius nubes succensæ sunt, carbones ignis euolant*, & quod *tonat de cœlo Dominus, & quod excelsus det vocem suam & mittat sagittas suas, & discutiat impios fulgure*, & quod *apparere faciat effusiones maris, & orbis fundamenta sint reuelata increpatione Domini, ab inspiratione furoris eius*, alibi verbis quidem expressis habemus in fonte sacro. In quo docemur quod attributum detur Iehouæ, quamuis mediantibus angelis Cherubinis & spiritibus suis ventosis agat, de quibus dictum est; *Qui facis angelos tuos ventos, & ministros ignem vrentem: Psal.103.* Ita vt ex hoc testimonio confirmetur, quod Deus sit solus author & auctor horum quæ sequuntur meteororum, videlicet Terræ motus, Vaporis seu fumi, Fulguris, lapidis ceraunij, Nubium, Ventorum, Pluuiæ, Tonitru, tempestatis marinæ, &c. quæ omnia in sua sapientia organis suis angelicis (ipso centraliter per verbum suum ducente)

cente) producere folet; fed & hoc inprimis eft notandum, quod vt per angelos bonos bona & terræ,aquis, atque creaturis earundem vtilia & commoda producit,ita quidem malis fuis miniftris vtitur quandoque, tam in iracundia fua erga impios, quam ad probandos fuos electos; hoc quidem in Hiftoria Iobi luculenter declarari videtur; Dixit enim Satan ad Iehouam, *mitte manum tuam,& attinge quæcunque funt ei,&c.* Et Iehoua refpondit, *Ecce quæcunq; funt ei in manu tua funto*, hoc dicto,erat in poteftate Satanæ (& non antea) fpiritus Sabæorum mouere contra feruos Iobi,& ignem è cœlo emittere,qui oues eius combuffit,& ventum magnum è plaga deferti emittere, quo impetente quatuor anguli domus corruerunt fuper filios Iobi. Iterum fecunda vice prodiens in confpectum Iehouæ ait ad eum: *Quicquid eft viro daturus eft pro feipfo, verum mitte manum tuam, & attinge offa eius,& carnes &c.*

Quibus fateri videtur Satan nihil eorum quæ in Iobum inflicta funt fibi debere attribui fed Iehouæ, videlicet fiue in fpirituum Sabæorum alienatione, fiue in ignis à cœlo euocatione, fiue in venti violenti exagitatione, feu denique in morborum inflictione, fed hoc omne à Deo effe factum videtur dicens, *Mitte quæfo manum tuam, & attinge quæcunque funt ei,&c.* Et tum poftea: *Verum mitte quæfo manum tuam, & attinge offa eius & carnem eius, &c.* Et tamen nihilominus ipfe erat tentationis & exequutionis diuinæ minifter,vnde dixit Iehoua, *Ecce in manu tua efto.* Quibus fat liquido declaratur,quod quicquid à Deo peractum eft,id quidem mediantibus fuis miniftris bonis vel malis exequi folitus fit: ad hunc fenfum fic loquitur Apoftolus, *Dii funt qui dicuntur in cœlo & in terra,nobis tamen vnus Deus pater,ex quo omnia,& nos in illum,& vnus dominus Iefus Chriftus,per quem omnia & nos in ipfum,1.Cor.8.6.* Vbi per Deos intelligit angelos: hinc dicit Dauid, *Dii gentium funt dæmonia,Dominus autem cœlos fecit,Pfal.96.* Et in Iob dicuntur *filii Dei,Iob.1.* Hinc Platonici dixerunt,omnia Diis plena. De niue etiam exuberante & grandine nocente, deque frigore,glacie, pruina,gelu,à flatu Iehouæ prouenientibus,cum teftimoniis multis ex pagina facra prolatis fuperius abunde loquuti fumus.


Denique vt ex bonis angelis *Michaeli* affignatur Venti orientalis præfidium, *Vrieli* illius Auftri, *Raphaeli* occidentis,& *Gabrieli* Septentrionis qui fauftis & propitiis flatibus afficiunt aerem, meteoraque mundo benefica producunt, ita quidem ex malignis fpiritibus *Samael* ab oriente flat maleuole,atque ita cæteri eius focii videlicet *Mahazael, Azael, Azazel.*

Porro etiam Deus per fpiritus & in fpiritibus fuis ventofis folet ob hominum inobedientiam & peccata inundationes & diluuia mortalibus aut exitialia aut valde commoda proferre, vti in diluuio Noe,non aliter quam per ventos dictus eft ille aquas deficcaffe,& alibi dictum eft, *redigit defertum in ftagnum aquarum,& terram ficcaneam in proceffus aquarum,Pfal.107.33.* Et quod hoc fit ita probatur ex his dictis, *Vento Euro vehemente abegit Iehoua ipfum mare,tota illa nocte,& redegit mare ipfum in ficcum,Exod.14.12.* Atque in alio loco: *Flatu narium Iehouæ coacernatæ funt aquæ,Exod.8.* Ac tum poftea, *Vento tuo flauifti,& operuit eos mare.* Et Cabaliftæ dixerunt,quod ad maris diuifionem aderant 72. angeli, numerando illum columnæ nubis & illum columnæ ignis,qui 72. angeli dicti funt angeli diuifionis,vt habet Reucl.l.3.De Art.Cab. Sed vtcunque,certum eft, quod vt inundationes huiufmodi efficiuntur cum maxima aeris intemperie & perturbatione, ita quidem in voluntatis & mandati huiufmodi diuini complemento fpiritus Dei turbulenti actus requiritur, cuius eft Dei verbum & placitum efficere,hoc etiam à facra pagina confirmatum habemus quæ dicit, *quod ventus procellofus efficiat verbum Dei,Pfal.148.* Porro etiam quod hic fpiritus fit inquietudinis & tempeftatis marinæ & lacuum perturbationis caufa,ex his dicti Prophetæ verbis eliciendum, *Dicitq; & flare facit fpiritum turbinis,& exaltat fluctus eius,afcendunt vfque ad cœlum,defcendunt vfque ad voragines &c. tunc ftare facit turbinem in filentio,& filent fluctus eorum &c. Pfal.107.* Quibus liquet,quod Deus agit ad maris & lacuum & fluminum perturbationem per angelos feu miniftros ventofos, quos fpiritus procellofos vocat Propheta,efficientes verbum,feu voluntatem illius,qui dixit & flare fecit fpiritum turbinis,hoc eft, fpiritum procellofum; fic alibi dictum eft, *Euro perfringes naues oceani,Pfal 48.8.* Et alibi, *Eurum impellabat in cœlis,& reducebat robore fuo auftrum*, Vel vt Hieronymus eft interpretatus, *Tranftulit Eurum de cœlo,& induxit virtute fua Aphricum,& pluit fuper eos*; Vnde videtur per angelos iftos intellexiffe illos quorum meminit Apocalypfis *qui ventos tenebant ne flarent*,& ipfos iterum flare faciebant, *quo mari & terræ & fructibus nocerent.* Aquarum etiam corruptarum facra pagina variis in locis mentionem facit, & experientia denotat,in multis cuiuslibet regionis locis aerem prauis halitibus effe infectum, vnde febres vtplurimum intermittentes,& vbi venenofior eft halitus peftiferos inducit morbos, vt in Scanderone loco orientis.

Denique teftatur Pfellus quod genus dæmonum fubterraneum efficiat hiatus terræ,& fundamenta quatiat,atque etiam ventos flammiuomos fufciter, videmus etiam quod magnus dictus eft terræ motus factus effe, *quoniam* (dicitur) *angelus Domini defcendit de cœlo;erat autem eius afpectus ficut fulgur,Matth.28.2.* Ac fi dixiffet Euangelifta magni iftius angeli apparitione dæmones terrore commoti commouerunt & concufferunt terram,ob iratum fcilicet creatorem: hinc alibi, *Concutitur ac mouetur terra,fundamenta cœlorum commouentur,concutiuntur autem cum ira accenditur ei.* Tali etiam modo fit

fructuum

fructuum corruptio, videlicet inprimis corrumpendo aerem, & tum postea fructus, vt in multis Biblii sancti locis habetur.



Quemadmodum in mundo maiori tres reperiuntur spiritus regiones, ab inuicem natura, dignitate, & puritate differentes, videlicet empyrea, ætherea atque aerea, seu elementaris, ita quidem & totidem in homine seu mundo minori reperiuntur spiritus species, ab illis Macrocosmi deriuatæ, quarum spiritus intellectualis seu rationalis illi empyræo, vitalis æthereo, & naturalis elementari refertur, at vero ille aereus est cæterorum duorum vehiculum, non aliter quam aer mundanus influentiarum, tam angelicarum à cœlo empyreo emissarum, quam stellarium ab illo æthereo prolapsarum est vehiculum, vtpote sine quo medio impossibile esset, vt deorsum in terram ferrentur. Hanc spirituum communicationem, aerisque in illo opere officium, optime describit Mercurius Trismegistus in his verbis. *Anima humana* (inquit ille) *in hunc vehitur modum, mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore, vbi per venas, arteriasque, sanguinemque diffusus animal vndique ciet, molemque corporis suspensam sustinet atque transfert, Merc. Trism. Pim.* 10. Ac si dixisset, Verbi diuini vestigium in spiritu empyræo, spiritus empyreus descendit quasi per medium in spiritum æthereum, qui est vitæ pabulum, quippe per cuius venas spirat anima mundi, vitalis hic spiritus cum rationali, in cuius centro est ipsa mens diuina, in aerem descendit, qui cum sit cæterorum vehiculum, transfert eos in corpus humanum, in quo per sanguinem vndique disseminatur, *Gen.* 5.9. Hoc idem etiam ipse Deus videtur agnoscere, affirmans *animam hominis esse in sanguine*: vnde videmus, quod in hominis interni fabrica tres reperiantur spiritus, quorum infimus est aer, supremus est diuinus, & intermedius de vtroque participare videtur. Hinc ergo est quod Plotinus & Platonici omnes post Mercurium Trismegistum tria in hominis interno posuerunt, quæ vocant, supremum, infimum, & mediũ, supremũ statuunt illud diuinum quod mentẽ vocant, h.e. intellectũ illustratũ, quẽ Moyses vocat ipsum vitarũ spiraculũ, à Deo videl. vel à spiritu eius in nos inspiratũ Et ille nunquam damnatur aut patitur. Infimũ fecerunt sensitiuam atq; ẽt naturalem animam quam nuncupauerunt Idolum, & Apostolus Paulus *hominem animalem*, de quo sic loquitur; *Video aliam legẽ in membris meis, & captiuantẽ me in lege peccati*, intermedium est spiritus intermedius ratione quodammodo gubernatus, qui particeps est vtriusq; extremi, mediante quo animam animalem cum mente coniungi dicunt: Sed & hoc à sacro scripto habemus confirmatum, nam in vno loco habemus, *spiritus Dei fortis fecit me, & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi: Iob.* 33.4. De quo etiam spiritu sic loquitur Deus ipse. *Spiritus meus non permanebit in homine in æternum, Gen.* 6.17. In quo quidem sermone intendit de vitæ spiraculo, quod in primum hominem inspirauit, hoc est, de spiritu super cælesti, mentis diuinæ pleno, in spiritu æthereo vita repletissimo à tabernaculo solari efflato. Porro & mentio fit de alio spiritu qui est familiarior brutis quam hominibus, vnde dicit sapiens, *spiritus hominis & bestiæ & euentus eorum, idem in omnibus, vt moritur hic sic moritur ille, Eccles.* 3.19. In quo sermone videtur ille de spiritu aereo & de sublunari intendere, qui solummodo est mutationibus, corruptioni, & infirmitatibus obnoxius: de quo intelligebat Salomon quando hoc modo est locutus: *spiritus viri sustentat & feret ægritudinem eius: Prou.* 18.14. Et Psalmista regius de ipso intendens ait *Anima mea saturatur malis, Psal.* 88.4.

His ergo cognitis atque optime ponderatis operæ pretium est considerare, quod vt lucifer cum suis angelis superbia, malitia, & inuidia plenis à regnis cœlorũ in infimam mundi regionem aere communi vndique repletam est præcipitatus, ita quidem eius malitia & violentia contra spiritum supremum aut medium in homine nil valet, sed tota eius vis atque potentia & imperium denique est in aere tam Macro: quem Microcosmico, vnde ab Apostolo dicitur, *Princeps potestatis aeris huius qui operatur in filiis diffidentiæ, Ephes.* 2.2. Et alibi, *Certandum vobis est non cum carne & cum sanguine, sed cum principibus & potestatibus, cum dominis tenebrarum in hoc mundo, cum spiritibus militiæ sub cœlo, Ephes.* 6. Quibus arguere videtur, quod vt maligni dæmones hominum hostes è cœlo in regionem sub cœlo relegati sunt in exilium, iuxta illud Apocalypseos, *Diabolus, draco, serpens antiquus proiectus est, qui seducit orbem vniuersum; Apoc.* 12. ita quidem eorum vis & conatus in aere sub cœlo versatur, & non in illo cœli, aut stellari, aut angelico; nam vt angeli boni vim præcipuam habent in bono spiritu tam cœli

medii

medij quam supremi, ita quidem mali spiritus (quos dominos tenebrarum vocat Paulus) in aere & partibus sublunaribus seu subcælestibus vires suas exercent.

Nam cum dæmonum externum sit aer, & quatenus sunt tenebrosi spiritus, eatenus necesse est vt tam cum aere grossioris & infimi ordinis in homine, quam cum illo mundi, proximam relationem habeant, vt corpora sua aerea cum spiritu in homine grosso & facillime possunt & sæpicule solent coniungere, tales in eo languores & morbos procreantes, qualis naturæ & conditionis est ventus à quibus emittuntur, seu elementum in quo lubentius iuxta naturæ suæ dispositionem habitare gaudent & gestiunt.

De hac dæmonis cum spiritu aereo communione testatur etiam sapiens ille Artefius, quando in hunc modum de igneis dæmonibus (vt videtur) intelligendo loquitur. *Sunt quædam infirmitates quibus se adiungit Diabolus, humore scilicet egrediente à suo temperamento, atque sanitatem ipsam perturbante, & hoc maxime accidit ab infirmitatibus ex cholera prouenientibus, atque huius rei causa est, quia natura choleræ est calida & sicca vt ignis, substantia autem Diaboli ex duobus composita est, scilicet ex igne & aere, eius ergo apparens est aer, occultum vero ignis atque ob hanc causam facillime se iungit cum hominis spiritu aereo, quando humor igneus dominium habet præter naturam*, quibus verbis aureis luculenter videtur illud iam à nobis prolatum declarare: sed quoniam *capite* 5. *De mystica sanguinis Anatomia* fusius de hoc subiecto & plenius loquuti sumus, vos ad Sect. 1. Port. 3. Part. 3. Lib. 3. cap. 5. & 12. Anatomiæ nostræ triplicis remitto.

Concludimus ergo, quod spiritus illi, qui vim habent in solum aerem seu spiritum mutationibus phantasticis obnoxium in homine sint vel ignei vel aerei: nam igneorum proprietas est, æstu sensibili aerem inflammare, iram, furorem, lites, contentiones & iurgia excitantes, sine alio manifesto corporis impedimento, atque vt ignei angeli conditionis sanctæ cælestium animarum mentem sequi dicuntur, vtpote qui ad sublimiora contemplanda concurrunt, ita quidem isti spiritus ignem in aere humano accendunt, vt obfuscent radios mentis, & vt hominem totum contra rationis leges præcipitem ferant summo opere contendunt; spiritus etiam aerei suas partes perquam subtiliter ludunt in spiritu humano, quo facilius eum decipiant: nam vt spiritus aerei cælestium ordinis est veram rationem sequi, & rationali fauere facultati, eamque à sensuali vegetabilique segregare, similiter vitæ actiuæ inseruire, quemadmodum ignei contemplatiui: ita quidem spiritus aerei pessimæ conditionis solent dolis atque illusionibus præstigiosis decipere homines, atque taliter in spiritum ipsorum insinuare se, vt rationem eorum more Protei mutent, ea efficientes apparere rationalia & rationi probata, quæ reuera sunt ficta & falsa simulachra.

Modum per quem decipiunt homines, & quomodo clanculum in spiritu hominis aereo agant, vt eum à vera via seu sincera Dei contemplatione seducant, quam optime describit Psellus ex reuelatione Marci. Non (inquit ille) agunt in spiritum hominis phantasticum, cui propinquant quatenus & ipsi sunt spiritus, sed clam nobis commemorant, verba perturbationum & voluptatum nobis insusurrant, non immittentes quidem vocem pulsatione quadam ac sonitu, sed sermones suos absque sonitu emittentes, nam susurrando occulto quidem more subloquuntur; nam cum possint cum spiritu aereo propter naturarum vicinitatem copulari nullo sono prorsus egent in occulta sua loquela, sed sermo eorum voluntate quasi conceptus, nullo prorsus sono audienti irrepit.

Hoc igitur modo dæmones istiusmodi cum hominibus conuersari solent clam videlicet, adeo vt ne quidem vnde nobis inferatur bellum persentire liceat. Porro etiam, vt aer præsente lumine colores & formas varias accipiens traducit in illa, quæ naturaliter eas recipere possunt, quemadmodum luculenter apparet in speculis, in aqua, & huiusmodi aliis specularibus: Sic & dæmoniaca corpora suscipientia ab iis quæ intus sunt essentia phantastica figuras atque colores, & quascunque ipsi voluerint formas, in ipsum animalem nostrumque spiritum transmittunt, vnde hoc modo nobis negotia multa præbent, & ad voluntates varias alliciunt, variaque consilia suggerunt, formas indicantes varias, suscitant memorias voluptatum, & simulachra passionum concitant, tam vigilantibus nobis quam dormientibus, nonnunquam vero femora hominibus & inguina titillantes ad libidinem incitant, & insanos subiiciunt amores & subacuunt, præcipue vero si humores corporis ad hoc consentaneos senserint, sed hi Plutonis galeam subinducentes perturbant animam arte quadam & Sophostica fraude: Super istiusmodi dæmonum cohortes sunt plures principes, de quibus loquitur D. Paulus, in hunc modum, loco superius citato, *Certandum vobis est non cum carne & sanguine, sed cum Principibus & potestatibus, & dominis tenebrarum in hoc mundo, cum spiritibus malitiæ sub cœlo*; *Ephes.* 6. hoc est, cum dæmonibus aereis & suis legionibus, quorum imperator est summus ille princeps aeris huius qui solet operari in filio diffidentiæ.

De quibus Principibus militiæ anteà à nobis facta est mentio: quorum vnus ab officio seu

Ii proprie-

proprietate dictus est Beelzebub, hoc est, Vetustus DEVS, sub cuius ditione sunt dæmones illi qui Pseudothei dicuntur, vtpote qui pro Diis haberi atque coli volunt; vnde hi Idololatriæ semina disseminant in spiritu humano: atque hac via ad peccatum eos alliciunt, talis erat ille qui Christum tentauit, vt eum adoraret: Alius nuncupatur Python, id est, serpens sub quo sunt spiritus & legiones mendaces: hic seduxit suis mendaciis Adamum cum Eua ab obedientia erga creatorem, & cum falsis suis assertionibus solet filios Adami in hunc vsque diem contaminare, vt Deo inobedientes reddantur.

Tertius est Belial quod interpretamur sine iugo, inobediens præuaricator, & apostata, atque dæmones sub huius imperio dicuntur vasa iniquitatis à Iacobo in *benedictionibus Simeon & Leui, Gene.* 49. *Vasa iræ, vasa mortis, Psal.* 7. à Psalmista regio, *Vasa furoris* ab Isaia: *Isai.* 13. *Vasa iræ*, à Ieremia, *Ierem.* 50. *Vasa interfectionis & interitus*, ab Ezek. similiter malarum artium inuentores.

Quartus est Asmodeus, hoc est, faciens iudicium, & sub huius imperio dicuntur esse vltores scelerum.

Quintus est Satan, sub cuius imperio sunt dæmones præstigiatores, de ipso scribitur in Apocalypsi, *quod seducat vniuersum orbem, faciens signa magna, & ignem faciens coram hominibus descendere in terram, atque ita seducat eos.*

Sextus dicitur Meriris, id est, spiritus furens & æstuans, cui subiiciuntur illi spiritus qui tempestates producunt in aere, hominumque spiritus peste & corrupto aere inficiunt.

Septimus vocatur Apollyon seu Abaddon hebraice, hoc est, exterminans & vastans, sub huius autem gubernatione sunt dæmones furiæ dicti, quæ seminatrices sunt malorum, discordiarum, bellorum, vastationum, &c.

Octauus est Astaroth, hoc est, explorator, Græce dictus Diabolus, hoc est, criminator & accusator, qui in Apocalypsi vocatur fratrum accusator, accusans eos die & nocte in conspectu DEI nostri.

Vltimus est Mammon, qui interpretatur cupiditas, hic sub se habet dæmones insidiatores, tentatores, atque hi cuilibet homini sunt præsentes.

Hisce ergo Cacodæmonum speciebus, vtpote qui sunt potestates aeris, affligitur spiritus seu aer humanus variis modis, nam ad eius æthera & spiritum intellectualem pertingere nesciunt actualiter, vtpote à cœlo expulsi. In solo autem spiritu dicitur Diabolus agere vel generaliter, idque ab origine, vtpote peccati productor & author, quod in Adamum suis mendaciis produxit, quo tum postea omne genus humanum ad hunc vsque diem est contaminatum, nam (vt inquit sapiens) *DEVS creauerat hominem ad conditionem incorruptam, & ad imaginem ipsissimæ suæ naturæ fecit eum, sed inuidia Diaboli mors venit in mundum*, *Sap.* 2. 23. vbi per mortem intendit peccatum quod erat mortis causa, vnde dictum est, *Diabolus est homicida ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, Ioan.* 8. & alibi, *Diabolus ab initio peccat*; 1. *Ioan.* 3. Et Apostolus ait: *Peccatum in hunc mundum introiuit per vnum hominem, & per peccatum mors, & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt: Rom.* 5. At author istiusmodi peccati erat spiritus ille mendaciis suis seducens.

A

Hos prauos inducere solent maligni dæmones in spiritum hominis aereum effectus:

- Diffidentia.
- Idololatria.
- Falsæ imaginationes: mendacium.
- Vana spes.
- Ira, furor, impatientia.
- Inobedientia in DEVM & hominem.
- Dolus, dissimulatio, proditio.
- Discordia, contentio, crudelitas.
- Timor, stupor, terror.
- Mæstitia, tristitia, Animæ perturbatio.
- Desperatio.
- Gula, superbia, auaritia.
- Blasphemia & huiusmodi alia.

Cum

Cum igitur talis sit in natura propinquitas, inter spiritum hominis aereum & dæmonis externum, facillimum erit credere, quod ex causa leuissima possit natura istiusmodi dæmoniaca, mediante aere, assidue per os inspirato, ingredi in corpus humanum atque se iungere cum aere naturaliter ei incluso, atque etiam per aures & nares penetrando cum spiritu phantastico se permiscere, atque ita aeris illius naturam & conditionem secretis apparitionibus & persuasionibus ad suam voluntatem allicere & inclinare.

Hinc ergo à Diuo Paulo dicitur *Ambulastis secundum Principem potestatis aeris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ: Ephes.2.2.* nam vbi fides adest ibi nullam habet potestatem, vnde fit vt princeps hic cum angelis suis tentet omnimodo susurrationibus & persuasionibus occultis diffidentiam inprimis in spiritum humanum inducere, vt tum postea possit in eum vim atque potestatem habere.

In quantam etiam indignationem cum DEO induxerit Princeps hic malitiæ Israelitas, seducendo illos à vero DEI cultu ad sui adorationem, vbique in literis sanctis exprimitur: imo vero suis astutiis omnium sapientissimum Salomonem ad adorationem Astaroth pelliciebat, Porro etiam huius astutiis Beelzebub pro antiquo Deo apud Ethnicos habebatur.

Falsæ etiam imaginationes atque apparitiones spiritui humano introducuntur ab eius ministro primario Pythone, cum suis subditis, quibus non modo homines vulgares, verum etiam ipsi Prophetæ Dei decipiuntur, vti in historia regis Ahabi declaratur. *Spiritus quidam prodiens in conspectum Iehouæ dixit ei, egressus ero spiritus mendacii in ore omnium prophetarum, &c. 1.Reg.22.*

Istiusmodi etiam dæmonum genus falsam spem in humanum spiritum imprimit, non aliter quam falsum & fictum videmus simulachrum in speculo superficialiter affigi, de cuiusmodi Spe sic loquitur sapiens: *Spes impii est vt lanugo delata à vento, & tanquam spuma tenuis à procella impulsa, & tanquam fumus à vento dissolutus, Sap.5.15.* Effectus ergo huius spei vanæ est, vt ægrum efficiat animum vt testatur Salomon: *Prouerb.13.12.* Atque hæc est causa cur imprimat ipse vanam spem in spiritum hominis aereum, vt ille spiritus possit sua contiguitate cum cœlo hominis seu spiritu in eo æthereo falsas ei reflexiones rei expectatæ insignire.

Furorem etiam & iracundiam inflare solet in spiritum humanum, quibus animus male afficitur, atque ratio erroris velo obducitur, ita, vt durante eo tempore magna facinora soleant patrari: De huiusmodi passione sic ait Patiens. *Animum suum laniat stultus furore suo: Iob.13.4.* In hac autem passione diabolica Cain fraterno sanguine est delibutus, atque anima cæde fraterna misere conspurcata.

Quantum etiam malum & quantam miseriam induxit inobedientia Adami erga DEVM ipsi & eius posteris? *Genes.5.* quantam tum animæ tum corporis afflictionem obstinatio & inobedientia Israelitarum in itinere per desertum à Moyse optime explicatum habetis, *Exod.33.* Imo vero omnium peccatorum fons & origo est inobedientia.

Porro etiam imaginationes dolosas, dissimulatas atque proditorias obsignat tanquam Idola falsa in spiritum prædictum, atque exinde corda reddit proditoria atque infirma, sic dictus est Satan ingressus esse in Iudam, eumque vrsit infesto suo spiritu vt proderet dominum suum.

Ad discordiam etiam, contentionem, atque ad arma siue belli desiderium exagitat quandoque spiritus humanos, quod quidem perficit quandoque per aeris infectionem, vti post cometæ apparitionem, & nonnunquam per susurrationes & exagitationes occultas.

Certandum ergo est iuxta admonitionem Apostoli, *Ephes.6.* cum spiritibus istis malitiæ sub cœlo, vnde documenta huiusmodi dat nobis sapiens. *Diligit defectiones qui diligit iurgia, Prou.17.19.* Et alibi, *Gloria est viro quiescere à lite. Prov.20.3.*

Et alibi. *Cessante contentione cessabit ab ignominia, Prou.22.10.* Primus & principalis eius minister in hac actione dicitur Abaddon, seu Apollyon, sub quo & infiniti sunt spiritus peculiares ad hoc negotium ordinati.

Et quandoque sunt dæmones mali qui à Deo ordinantur, vt timorem & terrorem incutiant in spiritum hominis aereum, adeo vt stupore magno subito percutiantur.

De cuiusmodi spiritu sic loquitur pagina sacra: *Ecce ego indam ei spiritum, vt audito rumore reuertatur in terram suam, 2.Reg.19.7.* Porro etiam in alio loco dicitur. *Obstupescite, admiremini, fluctuate, & vacillate, inebriamini & non à vino, mouemini sed non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis dominus spiritum sopo is. Isa.29.9.* Archangelus dicit, nomen Dei Elohim denotat pauorem & terrorem, vnde angeli qui ei respondent dicuntur Bene Elohim, quibus locum Aquilonarem assignat, vtpote à quo omne malum; Vnde verisimile est quod huiusmodi angelis seu dæmonibus assignatur huiusmodi terrefaciendi atque stupefaciendi officium.

Hinc qui stupore atque pauore subitaneo sunt percussi, frigore quasi rigere, & tremore quasi concuti videntur.

Porro etiam tristitia, mæstitia, & desolatione ac luctu afficiunt animam, vti in melancholicis videmus, qui morbus præcipue à dæmonibus, in spiritum humanum irrepentibus, & falsis ideis illum deludentibus effici traditur; Vnde in spiritu aereo hominis simptomata dolorosa & commiseratione digna inducunt. Hinc dicit Iob (vtpote cuius spiritus erat à Satana contaminatus) *Facies mea lutulenta facta est, & intumescit præ fletu, denique palpebris meis adest vmbra lethalis, Iob.16.* Et alibi. *Spiritus meus angustatur in me, Iob.21.* Et Psalmista regius ait. *Fractio animi afficit ægritudine, cumque expecto qui condoleat nemo adest, debilitatus & attritus sum pervalde, rugio præfremitu animi mei, suspirium meum non est à te absconditum, cor meum palpitat, & derelinquit me virtus mea, &c.* Et alibi luculentius, *Animi tabes, indignatio & mæror facit animum deficere, & gemitus annos meos,* Et alibi, *spiritus meus se obruit in me, in medio mei desolatus videtur in se spiritus meus, spiritus meus consumitur spiritu tuo, deduc me in terram planam, hoc est, in viam rectam &c. Psal.143.* Sed tamen spiritui ita afflicto directione mentis suæ monstrat ipse viam, qua se à maligni spiritus potestate eripiat, dicens in alio loco; *Quid deiicis te anima mea, & perstrepis in me? Spera in Deum, nam adhuc celebraturus sum eum &c. Psal.42.6.* Quibus luculenter docet, quod alius sit in homine spiritus, qui spiritum eius infimum supereminet, eiq; imperat, contra quem dæmonia maligna neque vi neque astutiis præualere queunt, quod etiam & Iob in omnibus suis afflictionibus indicauit sua firma spe atque patientia.


Quandoque desperationis calcaribus agitat spiritum humanum, quo totum hominem in malam mortem rapiat, quod quidem Iudæ Saluatoris mundi proditori accidisse legimus, atque etiam Saul.

Pro reliquis spiritus impedimentis, videlicet superbia, gula, auaritia, & huiusmodi aliis, has ei impressiones more & via voluptuosa inferre solent spiritus aerei dolosi, blandiendo quasi, & persuadendo subtiliter, vti superius est declaratum.

Denique inter omnes Cacodæmonum in spiritum humanum impressiones blasphemia est tum animæ tum corpori periculosissima, huiusmodi Blasphemiæ spiritu obsessi erant illi de quibus Dauid *Psal.139.* & blasphemator ille, qui ex patre Ægyptio & matre Hebræa natus execrabatur nomen Iehouæ, in castris Israelitarum, *Leuit.24.* Vnde hic spiritus vbi se insinuauit in spiritum infimum hominis, reddit eum non modo hominibus odiosum, sed etiam ipsi Deo rebellem, & reprobatum.

Concludimus ergo quod spiritus maligni, qui in spiritum humanum solummodo potestatem habent, sine manifesto corporis contactu, sint valde tenues, subtiles, & conditionis altæ, in aerea sua dispositione. Nam qui sunt consistentiæ magis grossæ, aut vaporosi aut aquatici, aut terreni, hi quidem contactu manifesto & magis sensibili spiritum in corpore, atque cum spiritu corpus ferire solent: Vnde spiritus grossioris consistentiæ, igneæ naturæ, igneos tam in spiritu quam in corpore producunt morbos, sensui perceptibiles, vti febres, at si sint magis terrestres, tunc corporis & partium solidarum inflammationes afferunt, & sic in cæteris, vti infra latius. Sciendum autem est interea, quod spiritus illi, qui præcipue in phantastico spiritu agunt, hoc est, in superiori spiritus humani regione, sunt spiritus subtilis consistentiæ, qui autem in spiritum sensitiuum operantur sunt aliquantulum in sua constitutione grossiores &c. namq; quales sunt in aere sublunari differentiæ, tales etiam & angeli, & secundum ipsorum in sua dispositione naturam, vel spissiores vel tenuiores esse dicuntur.

Dæmo-



Vt tenuiorum spirituum aereorum potestas præcipue versatur circa spiritum hominis phantasticum in sola animi perturbatione,(vti dictum est) ita quidem inferioris ordinis nonnulli habent in officio, tum corpus tum spiritum simul plaga & ægritudine afficere; sic quidem videmus, quod vt suprema aeris portio differt à media, & media ab infima, ita etiam meteora in his tribus ab inuicem tam consistentia quam qualitate differre cernimus , & tamen nihilominus vt in superiori regione habemus meteora ignea, ita etiam in media atque infima , quæ cum terra & aqua naturali ratione communicant, quo igitur meteoron magis in aere sursum procreatur , eo minus cum terra & aqua maius vero cum aere & igne habere obseruatur commercium, atque hæc omnia gubernantur à loci spiritu. Non est ergo mirum , si alii spiritus ignei in solo spiritu humano agant , furorem , lycanthropiam, iram & æstum in eo incitantes , alii in spiritu & per spiritum in humore & corpore simul perturbant, atque itidem alii spiritu aereo intacto, & febrili calore immuni, in humores in solis corporum membris regnare eosque affligere animaduertuntur; nam hi procul dubio omnes sunt ministri angelici, per quos Deus affligit spiritus & corpora peccantium , non aliter quam per bonos angelos benefice ipsum cum hominibus agere testatur veritatis fons, vnde scriptum est. *Ipse vulnerat & medetur, percutit, & manus eius sanabunt*; Iob.5.17. Et alibi dicit, *Quod Deus loquatur increpatione per dolorē in lectulo, & omnia ossa marcescere faciat*, Iob.33. Et tamen hoc certum est, quod quamuis istud officium Deo attribuatur, nihilominus angelus eius percutiens hoc faciat , quod etiam Satan ipse fassus est dicens, *pone manum tuam in eum &c.* & nihilominus *ipse Satan Iob affligebat vlcere pessimo à capite vsque ad plantas pedis*, Iob.1. vnde Deus quasi ordinator dicitur hunc vel illum morbum inducere , & nihilominus vtitur ministris vindicatiuis ad ordinationem suam in actum producendam.

Est ergo in voluntate Diuina , hominem morbis aereis afficere , quo more etiam vexatus fuit Iob, quasi flatu hypochondriaco cum plaga illa Diabolica : vnde coactus est dicere, *Eleuasti me in ventum seu flatum, ei imponis me & efficis vt defluam substantia*, Iob.30.22. ac si fuisset vel tympanitide ventosa, vel flatu vndique extensus, quod etiam vt plurimum accidit in febribus , vbi morbi sunt complicati. Et Albohali audacter dicit, morbos ventosos & melancholicos esse à dæmonibus malis. At

Psalmista regius videtur asseuerare hos morbos aereos à spiritibus prauis prouenire, his verbis. *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos angelos.* Ps.78.74. Et alibi in pagina sancta legimus, quod oratione Elisæi multitudo obsedentium Scotomia fuerit percussa, 2. *Reg.* 6. Atque etiam hoc idem angelica virtute accidisse traditur Sodomitis ante portam domus Loti, Ventris etiam torminis cum colico doloroso mentio est facta. Vbi scriptum reperitur. *Tu agitaberis morbo intestinorum, donec exeant morbo illo,* 2. *Chron.* 21. Nonne de spiritibus istiusmodi flatulentis intendit pagina sancta, vbi dicitur. *Spiritus Dei ventilans, & iustitia persequens iniustos. Sap.* 11.21. Et alibi, *spiritus potentiæ & spiritus virtutis stabit contra eos, & tanquam procella & turba iactabit eos, Sap.* 5.24. Huiusmodi enim est Epilepsiæ ventosæ, Vertiginis atque Scotomiæ, matricisq; suffocationis spiritus, qui patientes more turbinis Macrocosmici turbare atque iactitare solet.

Sed vt ad æstuosorum spirituum effectus accedamus, pestes videlicet, febres, furores, & amentias, atque huiusmodi alia, hi proculdubio à spiritibus malignis conditionis aereæ simul atq; igneæ producuntur: hinc dicit Iob: *Sagittæ Domini in me sunt grauiores, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me, &c.* Vbi per terrores intelligit angelos malos terrores inducentes, iuxta illud, quod ex Psalmo est allegatum, *immisit in eos iram & indignationis suæ malos angelos* : *Psal.* 78. Et alibi, *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine, à lue seu dæmonio vastante in meridie, &c. Psal.* 91. Et alibi dictum est, *Iehoua te percutiet tabe calida & æstuante ac adurente febre & siccitate & vrigine, &c. Deut.* 28.21. Vbi quando loquitur *Iehoua* intelligitur de *Iehoua* ordinante, & ministris angelicis exequentibus: Sic enim Deo Israelitas peste affligente vidit Deus angelum percutientem inter cœlum & terram; similiter dicitur. *Iehoua percutiet te amentia & cæcitate, &c.* est etiam Phrenitis & Lycanthropia ab huiusmodi causa occulta, videlicet à suscitatione maligni Dæmonii, vti patet ex obsesso illo in sepulchris degente, tumultuosa rabie percito, qui legione erat exagitatus, *Marc.* 5.

De Paralyticorum, Epilepticorum, Lunaticorum fluxuum ventris muliebris, simul atque Gonorrheæ afflictionibus mentionem amplam faciunt scripta sacra, similiter de Lepra Mariæ, Nahaman, Gehasi, & illa fronte Hussiæ regis. De podagra Asæ, De hæmorrhoidibus, De morbo regio, vlceribus, scabie, prurigine & de multis aliis huiusmodi in pagina sancta expressis, in voluminis sequentis loco illis destinato verba Deo volente faciemus vberiora, vide de his, 2. *Reg.* 2. 2. *Chron.* 26. 2. *Chron.* 16. 1. *Sam.* 5.

Concludimus ergo cum in hoc membro descriptos habeatis ministros Dei, tam beneuolos & benefacientes, quam maleuolos & malitioso morbo afficientes, tam mundum & creaturas eiusdem, quam hominem, qui est omnium creaturarum finis & perfectio: vnde à Cabalistis habet ipse pro symbolo sibi appropriato literarum sanctarum vltimam videlicet Tau; Quibus ministris, si boni, in clementia, bonitate, & benignitate vtitur erga mundum & hominem, at si mali sunt, tunc illis viceuersa in seueritate, iracundia & vindicta sua vtitur in flagellum, tum Macro tum etiam Microcosmi.

Imo vero & hoc in loco intelligendum est, quod etiam angeli eius boni nonnunquam Dei atque suorum vindictam in homines & mundum exequantur, in quo nihilominus respectu ab illis, qui flagellum ipsorum patiuntur, pro malis angelis habentur: hinc dixit Iehoua, *Ecce mitto angelum meum ante te, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo, &c.* Sed de his rebus in volumine sequenti vbi de sanitatis morborumque causis agemus, verba quidem vberiora faciemus.

Cap. VI.

De Angelorum ordinibus, quibus affunduntur & impluuntur à portis lucidis, cuilibet nomini diuino appropriatis, influxiones lucidæ: & De Archangelis illis magnis, quibus à quolibet angelorum ordine committuntur istiusmodi influxus, qui deinceps in orbes cœlestes eos deferant.

QVamuis de decem Sephirotarum seu numerationum diuinarum conditione (quæ diuersa sunt lumina ab vna radice descendentia, quorum fauore cuncta creantur, creataque vel fouentur, vel secundum Dei proprietatem ab imo statu in alium mutantur) Tract.2. Sect.1. Port. 2. Part.1. cap. 3. De Theosophico, Cabalistico & Physiologico discursu mentionem fecimus apertam; tamen quoniam ad subiectum hoc nostrum de angelorum tam bonorum quam malorum naturis inprimis pertinere videntur (vtpote qui officia sua ab huiusmodi Dei proprietatibus sortiri videntur) pauca hoc in loco de ipsis disceptare atque sermonem remetiri in mentem meam venit.

Primæ ergo Sephirotæ influxus, videlicet illi, qui descendunt à porta lucida *Cheter* seu corona cui præsidet nomen *Ehieh*, quod DEVM patrem repræsentare dicitur, labuntur & deorsum fluunt, in primum Angelorum ordinem *Seraphin*, à quo deorsum magis per Angelum illum magnum *Metattron* conducuntur, in primum mobile, vim atque vigorem illi attribuentes, quo orbes cælestes ab ortu in occasum in spatio vnius diei conuertit, atque hac de causa *Metattron* constituitur præses primi mobilis, à quo essentiam & motus facultatem inferioribus impluit liberaliter: Nam testibus Cabalistis *Ehieh* essendi munus largitur, vnde *Metattri* officium est vitates influere creaturis. Atque hæc est ratio, quod pro anima mundi habeatur. Importat autem in hac actione DEI proprietas clementiam atque benignitatem mundo, Secundæ Sephirotæ seu numerationis seu portæ lucidæ *Hochma* seu *Sapientia* dictæ (cui præsidet nomen diuinum *Iah* seu *Iehoua*) effluxus in ordinem *Cherubin* cadunt, atque ab illo ordine custodiæ Archangeli *Iophiel* vel vt alii volunt *Ruziel* commendantur, vt per eum in sphæram octauam introducantur, à qua ad inferiora tam cælestia quam elementaria effunduntur, virtute quorum stellæ fixæ tam Zodiaci quam extra eius Zonam in inferiora operari obseruantur, atque vitarum effigies varias producunt, & præcipue animalium, vnde Zodiacus dicitur à græco vocabulo Zoon, quod animal significat; Atque hinc est quod Cichus Esculus, in libro suo de sphæra non inepte quodlibet in terra & mari animal eiusdem nominis cum quolibet Zodiaci signo symbolizare, & in natura conuenire asseuerauerit; & Moyses Arabicus ait, omnem rem animatam habere in cœlo stellam in se influentem, ad tuendam & præseruandam suam essentiam. At vero, quoniam quodlibet cœlum seu sphæra, & consequenter omnes stellæ eiusdem habent magnum suum angelum, ad mouendum & gubernandum ipsum, atque influentias ei à Deo per cœlum intellectuale conducendum; atque etiam quoniam cuilibet horum Archangelorum regalium multi subiiciuntur Principales duces qui sub sua ditione inferioris conditionis spirituum multas legiones habent, ideo dicimus, quod quilibet horum dæmonum peculiare suum officium habeat tam in cœlis quam in elementis, Atque hoc videtur in parte Mercurius Trismegistus, *Pim.3.* in his verbis confirmare: *Dii in astrorum ideis cum signis conspiciebantur, & numeratæ sunt stellæ secundum eos qui inhabitabant Deos,* vbi per Deos videtur dæmones significare. Influxus tertiæ Sephirotæ quæ est *Binah* seu *prudentia* (cui nomen DEI *Elohim* præest) transit per ordinem thronorum, & recipitur ab Archangelo *Zaphkiel*, vel vt alii volunt *Iophiel*, qui illum in sphæram Saturni conducit: quo peculiarem suam virtutem & proprietatem ab aliis Planetis distinctã habet: vnde & hic Planeta influxus Saturninos, seu Saturninos spiritus seu species in terram impluit, eo videlic. tempore præcipue quo dominium habet in cœlo, nam tunc magis euidenter apparent eius in elementis effectus, qui vt plurimum sunt tristes, & mundo atque spiritui humano haud propitii, vnde ab Astrologis dicitur infortunium maius.

Quartæ numerationis seu portæ lucidæ influxus videlicet *Chesed* seu *Clementia* dictæ, cui præsidet nomen DEI *El* in ordinem dominationum descendunt, atque per eum deorsum feruntur ab Archangelo *Zadkiel* in sphæram Iouis, eius naturam clementer contemperante, vnde fit, quod defluxus ab eo deorsum demissi sint tam aeri quam spiritui humano beneuoli atque gratiosi, vtpote qui vires naturales alere atque fouere dicuntur. Vnde ab Astrologis dicitur Fortunium maius.

Influentiæ lucidæ portæ seu numerationis quintæ dictæ, *Geburah*, hoc est, *punitio*, cui præest nomen Dei *Elohim Gibor* per ordinem potestatum penetrant, absque Archangelo *Camael* seu *Samael* in sphæram Martis conducuntur, vbi animant spiritus Martis igneos seueritate æstuosa atque inclemente, quare hic Planeta ab Astrologis haud inconsiderate vocatur infortunium minus: Nam vt Saturni influentiæ solent inclementer cum mundi elementis atque creaturis eiusdem via extremæ frigiditatis & siccitatis agere: ita quidem spiritus Martiales sub *Samaelis* ductu arma gerentes igneum mundi aerem incendio, coruscatione, cometis & multis aliis incommodis afficiunt, atq; spiritum humanum æstu, febre, peste, & inflammationibus infestant.

Sexta porta lucida dicta *Tiphereth*, hoc est gratia, cui superintendit nomen Dei *Eloah* influit per virtutum ordinem, atque Archangelus *Michael* est ex officio recipiens eius influxus, eosque traducit in sphæram solis, à cuius mundo aureo virtutes gratiosæ splendidæ, atque viuificæ impluuntur in inferiora, quæ spiritus dicuntur Solares, qui nunquam nisi cum prauorum planetarum spiritibus corrumpuntur, malitiose agunt.

Septima *Netzeth* seu *triumphus* dicta, cui præponitur nomen Dei *Iehoua Zabaoth* immittit suos afflatus beneuolos in ordinem Principatuum, à quo per Archangelum *Hanaelem* deorsum in sphæram Veneris conducuntur: Vnde fit vt Venerei spiritus propitia emittant in hæc inferiora spiramina; quare ab Astrologis Venus Fortunium dictitatur minus, vtpote quæ post Iouem generi humano natura & conditione est propinquior.

Octaua *Hod*, id est, *Laus* dicta, cui præsidet nomen Dei *Elohim Sabaoth* per ordinem Archangelorum emittit atque transfundit suos influxus, qui ab Archangelo *Raphaele* recipiuntur, & ad virtutes orbis Mercurii supplendas applicantur, qui iterum suos spiritus in mundum inferiorem effundit, qui de dicta creatoris proprietate vndique impartiuntur.

Nona

Nona Sephirota *Iesod* seu *redemptio* dicta, cui præsidet nomen Dei *Sadai*, hoc est, Deus sibi sufficiens, mittit luminis sui influxus in ordinem angelorum, à quo Archangelus *Gabriel* eas recipiens infundit atq; dirigit eas in sphæram seu globum Lunæ, in quo plures sunt angelorum Principes secundũ diuersas Lunæ mansiones, qui varium in modum secundum Lunæ ad Solem relationes varias impluunt effluxus hosce in inferiora, atq; quilibet horum spirituum suas sub se legiones habet, quæ suo tempore secundum Lunæ motũ vires suas in mundo elementari exercent: Ad exactiorem autem huiusce rei obseruationem intelligentias istas iuxta numerum mansionum quas gubernant sic expressimus, cum ipsarum significationibus, atque etiam mansionum appellationibus.

N.	28. Mansiones Lunæ.		Mansionum ☾: Intelligentiæ.	Mansionum Lunæ proprietates.
1	Alnath.	♈	Geniel.	Inimicorum destructio
2	Albochan.	♈	Enediel.	Reconciliatio cum principe
3	Athoraye.	♈	Amixiel.	Prosperitas bona fortuna
4	Aldebaran.	♉	Azariel.	Inimimcitia : vindicta.
5	Alchataya.	♉	Gabiel.	Fauor & gratia magnatum.
6	Alchaia.	♊	Dirachiel.	Beneuolentia, Amor.
7	Alarzach.	♊	Scheliel.	Acquisitio bonorum.
8	Alnaza.	♋	Amnediel.	Victoria in bello.
9	Alcharph.	♌	Barbiel.	Morbus, infirmitas.
10	Ageph.	♌	Atefiel.	Partus facilitas.
11	Ardaf.	♌	Neciel.	Reuerentia, timor.
12	Alzarpha.	♌	Abdizicel.	Amicitiæ diuisio.
13	Alhayre.	♍	Zazeriel.	Pax, vnio coniugalis.
14	Achureth.	♍	Ergediel.	Diuortium.
15	Algarpha.	♎	Ataliel.	Acquisitio Amicorum.
16	Azubene.	♍	Azeruel.	Acquisitio in mercatura.
17	Alchil.	♍	Adriel.	Latrocinium, Furtum.
18	Altob.	♍	Egibiel.	Morbus, insanitas.
19	Allatha.	♍	Amutiel.	Sanitatis recuperatio.
20	Abnahaya.	♐	Kyriel.	Venatio, Latrocinium.
21	Alderdach.	♐	Bethuael.	Calamitas, Miseries.
22	Zodelbluch.	♑	Geliel.	Exilium, Fuga.
23	Zobrach.	♑	Requiel.	Destructio, Assasinatio.
24	Sadabath.	♑	Abrinael.	Fæcunditas bestiarum.
25	Sadalachia.	♑	Aziel.	Abundantia bonorum terræ.
26	Alpharg.	♏	Tagriel.	Desiderii fruitio.
27	Alchrya.	♏	Alheniel.	Siccitas.
28	Albotham.	♓	Amnixiel.	Inundationes.

Denique

Denique numeratio decima *Malcut*, hoc est, *regnum* dicta, cui præsidet nomen *Adonai*, hoc est, Dominus, deorsum mittit suos influxus in ordinem animarum sanctarum, vt Cabalistæ dicunt, vbi fingunt eos in potestatem animæ *Meßiæ* committi, qui ordo eos communicat cum his inferioribus, ex hisce ergo videre atque animaduertere fas est, quod quicquid fit in hoc mundo siue sit super cælesti seu angelico, seu cælesti & stellato, seu denique elementari, hoc totum ab emanatione immediata à DEO fieri euidens est atque perspicuum, est enim eius virtus seu spiraculum igneum, mediante quo & non aliter omnia in hoc mundo fiunt, in actum producuntur, atque motu sunt prædita, iuxta illud sacræ paginæ, *DEVS omnia implet*, Et alibi. *DEVS pater omnium qui super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis*, *Ephes*.4. Et alibi. *De DEO sunt omnia*, 1.*Tim*.6. Et alibi, *DEVS operatur omnia in omnibus*, *Ephes*.4.6. Et alibi, *Spiritus DEI incorruptibilis est in omni re. Sap*.12. Sed & hoc optime & filo quodam liquidiori est explicatũ in alio loco, vbi apertis verbis declarare videtur Apostolus, 2.*Cor*.5. quod nec Angeli nec stellæ quibus præsunt in cœlo, nec spiritus, nec homines, nec aliquæ aliæ creaturæ in terra vtcunq; iis titulus Deorũ attribuatur aliquid per se aut in se operari queant, sed solus ille qui creauit cœlum & terram, qui est omne in omni, verba Apostoli sunt hæc: *Dii quidem sunt qui dicuntur in cœlo & in terra, nobis tamen vnus DEVS pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*, 1.*Cor*.8. vnde dicit Iohannes. *Verbo omnia sunt facta &c. Ioh*.1. De quo etiam Propheta, *Deus hæc dicit creans cœlos, extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. Esa*.42.1.

Quibus patet, quod ab hac emanatione diuina seu flatu DEI, cui voluntate eius qui eum emisit, angeli tanquam ministri inseruiunt, cælum, terra, atque omnia sunt facta, & sine eo nihil, quare etiam angeli isti primarii dicuntur à Propheta regio *angeli Dei validißimi robore, efficientes verbum, facientes placitum seu voluntatem eius*, *Psal*.103. Sed & hi non dicuntur res aliquas facere, sed Deus mediante verbo seu emanatione sua: Vnde volunt sapientes quod omnes operationes tam bonæ, secundum influxus suos beneuolos, quam malæ secundum maleuolorum ipsarum influxuum dispositionem fieri soleant à DEO, quasi actore immediato, per angelos quasi organa in quibus DEVS agit.

Nam vt antea est dictum nomen, seu verbum, seu lux diuina inest angelis, & compositionem angelicam agitat ad voluntatem diuinam exequendam, nec possunt sine eius actu ad hoc vel illud perficiendum mouere, non magis etiam & nos mouere aut agere possumus, nisi impulsu actus diuini, iuxta illud in Actis. *In DEO viuimus, & mouemur, & sumus, Actor*.17.9. *Ex eo, in eo, & per eum* (inquit Apostolus) *sunt res omnes, cui sit laus & honor.* Atque hæc est ratio quod à Philosophis dicitur cuiuslibet rei centrum, cuius circumferentia est nullibi, hoc est extra omnia: Atque hunc Principem seu dispositorem naturæ creatæ vocauit Zeno cum Diuo Iohanne *Logon* seu verbum quod facit intelligentiam de se ipso, & non ab alio quopiam dependens, & ab Hebræis *Sadai*, hoc est, sibi in omni negotio sufficiens quod verbum quatenus in vniuersam rerum naturam est diffusum à Platonicis vocatur mundi anima.

Sed hic fortasse aliqui volunt obiicere, quod si DEVS vel emanatio ista diuina faciat omnia, tunc etiam DEVS est author mali & peccati, cui respondemus cum illo Ehiu ad virum patientem, *A DEO forti absit improbitas, & ab omnipotente iniquitas, non agit DEVS fortis improbe, nec peruertit iudicium, Iob*.34.11. Et tamen à sapiente dicitur *Deus agere quicquid vult, & nemo eum est interrogaturus quid aut cur ita facis? Sap*.12.12. Quomodo ergo iudicare possumus de actu diuino, aut de eo dicere, quod vel bene vel male aut cum mundo aut cum homine egerit, *DEI occulta* (inquit Biblium Sanctum) *nemo scit, sed penes DEVM sunt*, Et tamen alibi reperimus, *quod bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à DEO sint*, *Ecclef*.11.*v*.4. Et in alio loco reperimus hæc; *Considera opera DEI, quod nemo poßit corrigere quem ille despexerit, in die bona fruere bonis, & malum diem præcaue; Sicut enim hanc sic fecit DEVS illam, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias, Ecclef*.7.14. Et alibi dictum est, *Est ne malum in ciuitate quod non fecerit Dominus?* Et alibi, *Vitæ & mortis habet DEVS potestatem, qui deducit ad portam mortis & reducit, Sap*.16. Et in alio loco luculentius hoc idem explicatur, *Penes illum est sapientia, & fortitudo illius est consilium & intelligentia, En cohibet aquas vt arescant, & emittit eas vt subuertant terram, apud illum est robur & potentia, eius est errans & in errorem inducens, Qui facit vt consulti deueniant in dementiam, & iudices stultos reddit, vinculum regum dissoluit, qui facit vt præsides deueniant in dementiam, & callidißimos peruertit. Qui auget gentes & perdit eas, qui expandit gentes & abducit eas, qui amouet animum primoribus terræ, qui facit vt errent tanquam ebrius, palpent in tenebris deficiente luce, Iob*.12.

Denique cum causa peccati originalis fuerit incredulitas, & ista incredulitas introducta fuerit à DEO ab origine, certe istius peccati originem ipsum DEVM in mundum ob nominis & gloriæ suæ exaltationem introduxisse negare esset difficile, (vt mihi videtur) cum serpens ille antiquus Euam sine incitatione & voluntate diuina ad inobedientiam sua incredulitate allicere non potuerit, quoniam (vt ait Apostolus) omnia à DEO mouentur, imo vero Diabolus sine velle & permissione diuina nullo modo agere aut mouere potest, quod etiam & ipse fatetur in his verbis, *Extende*

paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poßidet, Iob. 1.11. Et alibi, *Alioqui mitte manum tuam, & tange os & carnem, &c.*

Hæc dicit Satan ad Iehouam & tamen nihilominus erat Satan qui ventum induxit à deserto, & qui ignem DEI à cœlo euocauit, & qui animos vicinorum Sabæorum scil. in Iobum mouebat, & qui ipsum affligebat & percussit vlcere maligno à planta pedis vsque ad verticem capitis. Quare quando dicit, mitte manum tuam, & tange eum, innuere videbatur quod ipsum videlicet Diabolum quasi ministrum suum quo vtitur erga homines in flagellum incitarit, aut veniam concesserit ad hoc faciendum. Nam ab effectu hoc ita videbatur se habere, sed & expressis verbis hoc idem agnoscere videtur Iehoua vti in Propheta *Isa.* 54.16.17. habetur: Ecce ego creans fabrum sufflantem in igne prunas & proferentem vas in opus suum: Ego creaui interfectorem ad disperdendum. quibus intimare videtur, quod Diabolus à Deo esset expresse creatus ad nos inducendos in peccata & vt esset nobis destructor.

Porro (inquit Apostolus) si lex non esset nullum esset peccatum, at inobedientia hominis erat legis externæ atque seueritatis causa, cuius vulnera in misericordia sua per fidem (quæ est legis internæ seu Christi anchora) curare & cicatrices abstergere gestit legislator ille Spiritualis, qui si legem non dedisset peccatum non fuisset introductum, DEVS vero quatenus legi non subiectus peccare non potest, nec iniuste agere vtpote qui non sibi sed homini legem dedit & consequenter nec author peccati dici, vnde quicquid vult facit, & tamen in eo nulla est iniquitas, dicimusq; cum Iobo (vt supra) *absit à DEO forti improbitas, & ab omnipotente iniquitas: non enim agit DEVS fortis improbe, nec peruertit iudicium, Iob.* 34.11.

Et tamen pro nullo peccato, sed ad solam suam voluntatem complendam (id quod in oculis hominum iniustitia videri poterat) manum suam in Iob imposuit, Sed vt demonstraret nihilominus sapiens Ehiu, quod non sit reuera pro toto hoc iniustitia in DEO in verba prædicta in consolationem Iob prorumpebat, DEVS certe habet in occulto suo consilio quid sit agendum, nec tamen iudicandæ sunt eius actiones secundum imaginationes hominum, nam quandoque seuere agere, & nonnunquam imo plerunque clementer videtur, cum mundo & homine, & tamen omnes eius actiones sunt sibi conformes & vniformes, tota differentia est in effectu earũ respectu hominũ, quicquid ipse facit, facit quidem vt celebret nomẽ suũ inter homines, & vt ab ipsis recte cognoscatur & celebretur, atq; vt finalem suam misericordiam agnoscerent, incredulitatem & peccatum posuit inter homines, vt in eos denuo peccantes misericordiam suam tandem extenderet: *Nam DEVS quicquid vult facit, & nemo eum est interrogaturus quid aut cur ita facis? Sap.* 12.12. vti dictum est; Sed hoc totum verbis apertissimis nobis significare videtur Apostolus in his verbis plane aureis & perspicuo oculo contemplandis. *Conclusit DEVS omnia in incredulitatem, vt omnium misereretur. O altitudo diuitiarum Sapientiæ & scientiæ DEI! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, Quis enim cognoscit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribueret ei, quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi sit honor & gloria in secula seculorum. Amen, Rom.* 11.32. Quid hisce Apostoli diuini verbis luculentius esse potest? quibus inprimis asseuerare videtur DEVM posuisse & conclusisse omnia in incredulitatem, vel vt testamentum interlineatum habet melius.

Conclusit DEVS omnes in incredulitatem vt omnium misereatur, Ratio est vt homines ei obligatos & gratos redderet pro misericordia sua, deinde ne hic vel ille homo diceret & replicaret hoc esse impossibile, & contra sacrarum literarum sensum, quæ pronuntiare videntur, quod multi imo maior pars hominum est damnanda, minor saluanda, quare durus & improbabilis videatur hic sermo, Respondet Apostolus huiusmodi inconsequentia dicens, *O altitudo scientiæ DEI! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius! Quis enim cognoscit sensum DEI? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei? &c.*

Quibus arguere videtur, quod sensus sacræ scripturæ sit adeo profundus, vt non sit in sensu humano comprehendere quid DEVS sibi velit. Nonne alibi fatetur Apostolus *quod litera interficit, spiritus autem viuificat*, & Christus ipse est fassus se in mysterio & more parabolico fuisse loquutum, & admonuit discipulos suos, vti hoc idem & ipsi facerent, & nihilominus nosmetipsi consiliorum & iudiciorum diuinorum iudices & expositores esse volumus; Sed pergamus ad vltimam conclusionis clausulam, *Quoniam ab ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, &c.*

Hinc ergo concludit, quod nec hoc siue sit aliquod incredulitatis stigma aut Diaboli actus, nec illud quicquid videlicet sit bonitatis, non sit nisi à Deo, vtpote à quo, per quem, & in quo sunt omnia, quamuis respectu considerationis hominis quæ nobis male & peruerse eueniunt ad Diabolum seu Principem tenebrarum referamus, quæ benigniter & clementer Deo attribuamus. Et tamen literæ sacræ ostendunt, quod mala DEVS hominibus in æstu & iracundia sua inducat; vt & vice versa omnia hominum beneficia à DEO in proprietate misericordiæ suæ prouenire confirmant:

Hoc

Hoc etiam sapienter totum significauerunt Cabalistæ per differentias cognominum variorum DEO in contextu sacro attributorum, quæ quidem vt sunt vocabula varia, ita & varios in locis in Biblio citatis produxisse effectus animaduersa sunt à sapientibus, Et ob hoc varias iis assignarunt proprietates luminosas quas per tot portas lucidas qualitate differentes descendere autumauerunt, quot sunt nomina.

Atq; has portas Sephirotas, seu numerationes Cabalistarum dictitarunt: quarum alias ad seueritatē, alias ad clementiam inclinantes faciunt, secundū naturā rei de qua in sacra pagina ibi loci tractatur, vbi nomina illa diuina recitantur. Ex illis ergo Dei proprietatibus obseruarunt illum esse vel seuerum, & ad maledictionem mundi & hominis inclinatum, vel ad creaturarum illarum benedictionem, quare ei tam destructoris quam præseruatoris nomen attribuunt officiumque ascribunt. Nonne videmus etiam quod hic spiritus omnia creans & operans, sit tam corruptionis quam generationis author, vbi in corruptione forma tollitur & res destruitur, quid autem creaturæ grauius morte & vitæ priuatione accidere potest? at in generatione contrario modo agit, videlicet vitæ pabulum addendo, & conseruando, & minime destruendo.

Hinc ergo erat quod poetæ mystici & in profundo naturæ mysterio bene versati, videlicet Orpheus, Hesiodus, Euripides, Esculus &c. (quibus etiam Proclus astipulari videtur) vocauerunt DEVM diurno tempore Apollinem, vel Phæbum, quem dicunt, portare gratiam in manu dextra, arcumque in sinistra: atque illum vocant nocturno tempore Dionysium, quom dicunt dilacerare res & seipsum in septem partes, vt & in statu diurno quatenus Apollo dictitatur, iterum dictus est ea componere, quæ nocturno dilacerauit: Et ob hanc causam dictus est dux numeri Septenarii: qui resultat ex vnitate, binario & quaternario simul aggregatis, vnde resultat Diapason quæ est harmonia perfecta: Vnde numerus Septenarius ei attribuitur, quatenus est vitæ author atque etiam dissolutionis, quæ componuntur de primo numero impari, videlicet ternario, & de primo numero pari, qui est quaternarius: Nam binarius à Pythagoricis dicitur numerus confusionis: De numero seu proportione pari & impari vtpote de passiuo & actiuo omnia generantur, atque etiam per eandem viam resoluuntur: Sed generatio fit à lumine superno, quod de numero ternario participat, at corruptio est de inferis, & nocte dilacerante: in quo actu dicitur Dionysius dilacerans, & diurno tempore Apollo vniens; quippe cuius præsentia omnia discutiuntur mala: Vnde ab antiquis Appellin loco Apollinis dictus est: Atque Athenienses eum *Alexicacon* dictitarunt, id est discussorem & propulsatorem mali, & ab Homero dictus est *Vlion*, hoc est, sanitatis author, vtpote cuius vnitate res omnes in consonantia perfecta conseruantur; at vt diuisionem patitur numero pari refertur & est tenebrarum, priuationis & destructionis Deus. In hoc sensu videtur Dauid loqui. *Tu tollis ipsorum spiritum, & res omnes relictæ deficient in seipsis.* Sed & luculentius sic ab eo scriptum legimus, *Deo emittente spiritum suum creaturæ recreantur, abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum eorum expirant & in puluerem suum reuertuntur*, *Psal.* 104.29. Ex his ergo videmus, quod Ethnicorum opinio erat, quod idem Deus respectu proprietatum contrariarum, videlicet seueritatis & clementiæ, esset quandoque Princeps tenebrarum omnia destruens, & quandoque Princeps & imperator lucis, omnia generans atque viuificans; Sed in huiusce nostri dubii resolutione me doctissimis huius ætatis Theologis lubentissime submitto, nec quidem in huiusmodi controuersiæ mare præcipitem me dedissem, nisi subiecti præ manibus versantis, videlicet Sephirotarum Cabalisticarum & binæ proprietatis contrariæ in iis comprehensæ rationem reddendi necessitas me coegisset; Sed jam ad Angelorum circa influxus Sephiroticos officia habentium historiam leui gradu properabo.

Cap. VII.

De Angelis Sephirotarum, & in primis de magno & imperatorio illo lucis Angelo dicto Metattron, *& tum postea de magno illo tenebrarum Angelo, ei natura & dispositione opposito.*

ABina proprietatum diuinarum ex partibus Sephiroticis effusarum dispositione, bini oriuntur Angelorum ordines, natura & conditione oppositi, vtpote quorum vnus in beneficentia, alter in malignitate erga genus humanum, quod est creationis finis versatur: Atque hoc fundamento sunt illi philosophi stabiliti, qui binas in mundo posuerunt potestates principales, videlicet litem & amicitiam, quarum hæc quidem res conciliat illa vero dispergit. Hinc factum est; quod vt Apollinis erat, iuxta Poetarum intentionem, componere & concordiæ vinculis vnire, ita quidem Dionysii proprietas erat, cōposita discordiæ antipathia destruere, atque vnita dissipare, & tamen tā Apollo, quā Dionysius non nisi vnicā diuinitatis essentiam fecerunt, biniformiter & secundum voluntatem suam actus sui operationem emittentem, videlicet vel in clementia & pietate, vel in seueritate & indignatione sua erga creaturas. Nam vt in igne eodē tam figura quam qualitate immutato videmus beneficam & viuificam, atque destructiuam & maleficam naturam (vtpote qui nimia appropinquatione rei combustibilis adurere solet, & de longe suauiter & beneuole creaturam animalem calefacit, ita quidem de iis semper idem & immobilis secundum variam radiorum seu emanationis suæ emittendæ rationem vel beneuole vel destructiue agit, iuxta voluntatem & placitum suum.

Ob hanc ergo rationem (quatenus agere solet immediate in ministris suis angelicis, qui medii dicuntur inter Deum & creaturas) creauit atq; fecit eos tanquam vasa apta ad recipiendos alia beneuolos suos effluxus, alia maleuolos, & ad seueritatem tendentes, quare sequitur, quod respectu harum binarum proprietatum angelorum alii dicuntur boni, alii mali, alii hominum amici, alii hostes, alii conseruatores, alii exterminatores, vastatores & destructiui, alii vitæ & sanitatis, atque iterum alii mortis & morborum; At vero quoniam omnes omnino angeli, quatenus intelligentiæ terminantur in vno *Christo* spirituali, tanquam regio & maximo & primario angelo, qui naturam tam angelorum quam DEI in se continet, in quo etiam omnia terminantur, (*nam ab ipso, in ipso, & per ipsum sunt omnia*, vt ait Apostolus, & Plato in epistolis) ita quidem mundi Messiam, bonum angelum, regalem, maximum, & in alios prædominantem appellarunt in occulta Theosophia periti, vtpote qui fluxus suos vitæ & essentiæ mundi primarie suscipit ab *Ehieh*, per coronamque eos in primum mobile dirigit, à quo tum postea motum, actum, & existentiam creaturis tam cœlestibus quam inferioribus, imo vero dæmonibus atque spiritibus vbique per mundum vagantibus impartitur. Hunc ego Angelum primarium Cabalistæ pro *Christi* angelo æstimauerunt, vti infra latius, quem etiam alii *Michaelem* ipsius Solis præsidentem dixerunt, sed quoniam hoc incertum videri potest lectori, quomodo nimirum sapientes vnum pro altero intellexere, & haud insulse accepere, quæ nostra hac in re sit sententia breuiter aperiemus. Ipsi quidem Angelum magnum quatenus erat prima vitæ & existentiæ mundi emanatio *Mitattron* dixerunt, præsentia cuius omnia sunt illuminata in mundi cauitate, tenebræque centrum versus propulsatæ; atque vt emanatio seu fluxus istiusmodi beneficus fuit factus à prima sephirota *Cheter* seu *corona*, ideo ipse ad angeli maximi *Metattron* custodiam & officium imo vero & existentiam est relatus. At vero quatenus hæc lux primaria ita per spiritum mundanum dilatata, die creationis quarto in Solis massam fuit contracta, virtute influxus *Tiphereth*, ita hoc nomen magnum *Metattron* in illud *Michaelis* transit, vti infra latius, ita vt in hoc videantur Cabalistæ non multum à veritate aberrasse. De istiusmodi ergo magni angeli virtute imperatoria sub nomine vtroque considerata, verba hoc in loco insignia facere ideo mihi proposui, quoniam est magnus vitæ, formæ atque existentiæ tam mundo quam creaturis eiusdem, atque præcipue homini distributor, animarum fotor atque sustentator, almus sanitatis atque salutis fautor, atque positionis generationisque author beneuolus, & quatenus se opponit ei princeps huius mundi maleuolus, qui in omnibus ei est natura & conditione contrarius, quippe qui est vitæ destructor, sanitatis hostis, & priuationis mortisque dux atque author, vti capite sequenti.

Huius autem angeli tanta est respectu primariæ suæ prosapiæ nobilitas, tantaque respectu sui officii dignitas, vt ipse non modo omni creatura ortu & loco existimetur prior, verum etiam & omnibus spiritibus suæ speciei loco & munere superior, atque donis ditior. Ad eius autem originem & prosapiam quod spectat, traditur esse ipsa sapientia, quæ ante omnia ab ore altissimi egressa est. *Prior omnium* (inquit Sapiens) *creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo, fons sapientiæ verbum DEI in excelsis, &c. Eccles. 1. 5.* Nam voluntate existente immediate effluxit per portam lucidam *Cheter* seu

corona,

corona, emanatio illa primaria, virtute cuius omnia à nihilo in esse & actum ictu quasi oculi redacta sunt, atque hæc ipsa emanatio dicta est sapientia, à qua tum postea secundus per portam lucidam effluxus immediate à sinu omnipotentis arcano exiliit. Sed & hoc alibi confirmare videtur sapiens sic. *Sapientia est emanatio seu fluxus quidam claritatis omnipotentis DEI syncera, seu splendor & candor lucis æternæ, Sap. 7.* Atque hinc est, quod hic Angelus Deiformis ista emanatio seu fluxus maiestatis diuinæ pro Christo accipitur spirituali, vti antea; vtpote in quo angeli, tanquã ipsorum rege, qui continet & amplectitur naturam tam angelorum quam Dei, in quo sunt omnia alia terminantur: hinc ergo est, quod Cabalistæ dicunt angelum *Metattron* esse facierum Principem, quoniam ipse est mediator, qui introducit animas coram facie Dei, quod est ipsius Christi spiritualis officium, qui est vera sapientia, quæ tanquam filius primum ab ore patris processit. Et de hoc Angelo intelligere videtur Propheta vbi sic dicit. *Et vocabitur nomen eius magni consilii angelus, Esa. 6.* nam in hoc respectu angelus hic pro Christo in multis sacrarum literarum locis accipi videtur. Hunc ergo volunt Theologi secretiores esse angelum, sub cuius custodiam Deus commisit Moysem cum Israelitis, vt ipsos per desertum conduceret, in quo nomen Iehouæ erat, quem dicunt non aliter dominium habere in mundo, quã mens, quæ est intellectus, dicta est dominari in spiritu humano: ad quod propositum de eius virtute, dilatata scilicet & vniuersali potestate, intendens in hæc verba prorumpit vir quidam profundus in Theosophia occulta. Primus inter omnes est magnus ille spiritus, qui immensam & latissime extensam aquam, quæ cœlum vocatur destinat, & in essentia sua conseruat, omnibusque rebus crescentibus & viuentibus mirifice motum tribuit, Hæc ille. Atque hæc est ratio quod à Platonicis & aliis sapientibus pro mundi anima habeatur, quam Cabalistæ per lineam viridem intellexerunt, quæ fertur spiritum mundi vniuersum circumambire, vnde fit, vt hunc Angelum *Metattron* velint esse nonnulli vltimum *Midah* seu proprietatem mundi Archetypici, quæ ab aliis *Cheter Elion* hoc est, corona suprema dictitatur, hinc *Metattron* habet pro sua significatione Donum Dei: nam mundi vita & forma fuit maximum ex donis Dei, quod omnia alia dona includit. Quare in hanc sententiam videntur omnes incidere in Philosophia mystica peritiores, cum hoc dicto Ecclesiastici conuenientes, quod vt hic *Metattron* seu hæc mundi anima, sit res prima inter omnes creaturas creata, ita quidem traditur in se continere perfectionem omnium creaturarum, quippe quæ suas ab ea tanquam fonte vniuerso formas recipere solent. Atque hæc est ratio, quod à *Rabi Moyse* dicatur hic Angelus *Metattron* esse præfectus vniuersitati, seu intellectus agens primarius, à quo omnes formæ influunt, & consequenter à quo omnes virtutes singulares in mundo & præcipue humanæ gubernantur, quas omnes *Rabi Breseth* appellauit etiam ang los, atque alii formas. Atque hoc idem innuere videntur illi, qui mysterium Angelorum, rebus naturalibus concreatum, sub nomine communi *Michael* tanquam speciei angelicæ appellatiuo contineri volunt, per quod instituimur quod omnes angeli sint eiusdem speciei. Dicimus ergo, quod angelus siue *Metattron* siue *Michael* sit, nihil aliud quam emanatio seu virtus Dei candida & syncera, quam antea sapientiam nuncupauimus, spiritu mundano præsentia eius illuminato, tanquam veste indutа, quæ à Cabalistis pro virtute *Tetrogrammati* à mundi origine spiritu mundano inuoluta habetur, non aliter quam ipse Messias in mundi ætate media carne fuit circumductus, Hinc ergo est, quod Metattron ideo Angelus vocetur, quatenus alteritas, hoc est, ex spiritu mundano creato, tanquã externo, & spiritu diuino increato, vtpote syncera Dei claritate, seu claritatis emanatione, quæ est eius internum, vbique in mundo præsente, atq; omnia implente, permeante atque producente, vtpote quæ est verbum Dei cuncta creans, Atq; ob hanc rationem à Secretioribus Theologis pro Christo spirituali seu Messiah, seu virtute Tetrogrammati habetur vt ante dictum est, idque per hoc intelligebat sapiens in Ecclesiastico quando dixit sapientiam esse ante omnia creatam, hoc est, spiritui mundano more creaturæ permistam, in quo statu vndique expansa, cœlum cum suis regionibus atque terram firmauit, viuificauit, atque in esse produxit, idque in tribus prioribus creationis diebus, iuxta Moysis sententiam, quare & à Psalmista regio scriptum habemus, *Verbo Domini firmati sunt cœli,* (& alibi, sapientia sua) *& spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.*

Die autem tertio completo *Metattron* (quem ob prædictas rationes Platonici animam mundi vocarunt) radios suos vndique dispersos (diuino ipsius *Ensoph* seu infinitatis à *Triphereth* porta effluxu operante) in vnam mundi massam politam contraxit, videlicet in solem, iuxta illud Psalmistæ regii, *Posuit Tabernaculum suum in sole:* quare vt iam aliquantulum qualitatem suam mutauit *Metattron*, ita etiam & nomen ipsi datum est *Michael*, vti antea relatum est, ac si quis dixisset, Quis est ille qui est sicut Deus, inde arguens, quod sit ipse Deus vestem lucidam induens, qui animat solem, qui propter hunc respectum dicitur vitæ atque multiplicationis pater; Hinc etiam dictus est Deus à Dauide vestiri lumine quasi vestimento, in quo respectu angelus quandoque dicitur, & quandoque Iehoua, cuius rei rationem reddebat ipse Iehoua dicens. *Ecce mitto angelum meum ante te, ne exacerbes eum, quia nomen meum est in eo:* Nam omnes Cabalistæ in hoc conueniunt hunc angelum fuisse *Metattron* seu *Michael*, vt igitur in tabernaculo aereo, quod primum inhabitabat sapientia Metattron dicta,

proprietatem eius fuisse vniuersum spiritum mundanum animare, & cœlorum atque elementorum regiones secundum Archetypi delineationem ordinare, concordique pace disponere, obseruamus: ita quidem triduo elapso densius tabernaculum elegit, quo facilius ad creaturas, elementatas tam animalia scilicet quam vegetabilia atque mineralia respiciat, viuificationisque germinationis atque generationis dona in eas impluat. Similiter mundi vniuersi compagines quas *Metattron* in principio creauit, *Michael* ad vltimum vsque pereat præseruare intendit, simul atq; ad res post quartum diem creatas respectum habet: Quare videmus cum *Metattron* tum *Michaelem* in vnum videlicet prosapiæ nobilitate, vtpote ab ore altissimi progredientes, atque officio & munere videlicet in mundi viuificatione & animarum seu formarum distributione earumque præseruatione conuenire. Porro etiam vt est in officio angeli *Metattri* introducere animas (vti Theologi occulti volunt) ante faciem Dei, vnde & Princeps facierum nuncupatur, ita quidem & Michaelis munus est (vti Archangelus in Comm. in Dogm. Cabalist. habet) offerre animas in cœlo. Nam (inquit ille) *Michael* est sacerdos magnus, sacrificans in mundo superiori animas hominum immaculatas Deo benedicto; Et alibi dicit, Fungitur perpetuo *Michael* sacerdotio in cœlo tanquam magnus Dei sacerdos; Nam sicut sacerdos magnus in terra offert DEO animas animalium, ita Michael Sacerdos spiritualis offert animas rationales eidem in cœlo; Pari etiam ratione *Metattron* fertur fuisse dux Moysis, mediante quo traditur ipse fuisse gratiam consequutus loquendi cum DEO facie ad faciem vti supra, *Ore* (inquit Iehoua ad Aaron & Mariam) *ad os loquor ei*, Denique vti Angeli magni *Metattron* erat munus tenebras propulsare, atque vmbras horrendas deorsum percutere, omnia immunditiei è cœlo in abyssum terrestrem præcipitare, ita quidem *Michael* magnus ille angelus pro animabus omnium contra serpentem antiquum, qui continue quærit vt eas deuoret, pugnare dicitur, in qua tandem pugna eiecto è cœlo Dracone *Michael* præualuit, & glorioso more regnat & fulgurat in cœlo, atque draconem seu tenebrarum principem sub suo nutu atque imperio semper habet; Quare in Daniele legimus quod *Michael sit semper in adiutorio populi Dei*. Verba sunt huiusmodi *Michael Princeps magnus qui astat pro filiis populi cui id est pro electis, Dan.* 12. His ergo atque aliis ducti Philosophi in mysteriis diuinis periti docent quod *Michael* angelus sit ille ipse qui *Metattron*, & quod Michael (quem faciunt Sephirotæ *Typherith* custodem) sit angelus *Christi* magnus, *Mundi Meßiah* seu virtus Tetrogrammati, mundi anima, ac lucis & vitæ fons, vtpote qui dat vitam tam cælestibus quam terrestribus creaturis non solum, verum etiam earum vitas præseruat atque defendit contra Principem tenebrarum: Sed & hoc omne ex Apocalypsi confirmatum habemus, videlicet quod hic Angelus sit spiritualis ille *Christus*, & mundi vniuersi *Meßiah, seu Dei verbum*, quod teste Iohanne *est lux mundi, ex qua omnia sunt facta & sine qua nihil, vtpote in qua est vita &c. Ioan.* 1. Nam imprimis legimus ipsum Iohanni spiritu rapto proclamasse, idque voce alta quasi ebuccinasse, *Ego sum Alpha & Omega, Principium & finis; qui erat similis filio hominis, cuius oculi erant instar flammæ ignis, & pedes quasi purißimum æs fusum atque in fornace coruscans, Zona vero erat aurea, & in manu dextra tenebat septem stellas, & facies eius micabat instar solis, eius vero vox quasi murmura multarum aquarum, &c. Apoc.* 1. Quibus luculenter & planissime describi videtur Angelus ille ter maximus *Michael*, qui teste Tritemio & aliis in magia vera optime versatis, est solis cœlestis præfectus atque dux, qui posuit sedem & Tabernaculum suum in sole: quod etiam per eius aspectum soli simillimum declaratur: nam vt facies hominis in superiore eius parte sibi situm vendicat, pedes vero terra renituntur, ita quidem huius Angeli facies soli in cœlo assimilatur, vt & eius pedes æri in fornace ignito & coruscanti, inde intimando radios solares qui vbique terram atque regionem elementarem feriunt: & quemadmodum obseruamus, solem esse totius cœli dominum & quasi imperatorem, vitam, & lucem non modo spiritui eiusdem, verum etiam omnibus stellis eiusdem, quæ dicuntur à præstantioribus Philosophis Virtutem luminosam atque existendi actum & essentiam accepisse ab eo, non aliter atque Imperator terrestris regulis & principibus seu magistratibus sibi subditis, dignitatem atque potestatem agendi tribuere solet: ita quidem hic videmus, istum angelum imperatorium figuram solarem in suo vultu præ se ferentem in sua dextra stellas septem tenere, quo videtur Iohannes significare quod sub eius potestate sunt septem stellæ atque Angeli ipsis præsidentes: nam vt Sol materialis solet lumen & virtutem suam cæteris stellis impertiri, ita quidem Michael qui est spiritualis seu internus in cœlo Sol, cæteris solet angelis septem vim & vigorem lucidum attribuere, vtpote qui est eis officio & ordine superior. Nam testantur Dionysius, Basilius, Origenes & alii, quod Angeli ordinis superioris copiosius recipiant lumen quam inferiores, vt etiam fatentur, inferiores suum lumen & virtutem à superioribus more influentiæ accipere. Quare liquet quod hic Anlus sit omnium in cœlo potentissimus: atque ob istam rationem dicunt secreti Theosophi (vti dictum iam est) quod mysterium angelorum rebus naturalibus concreatum sub nomine communi *Michael* tanquam speciei angelicæ appellatiuo comprehendatur. Per quod (inquiunt illi) instituimur, quod omnes angeli sint eiusdem speciei, singula vero corpora siue cælestia siue terrena proprios habent rectores virtutum, & præfectos operationum: hæc illi: Sed quod *Michael* sit magnus Princeps, & cæteris 57. angelis loco & dignitate eminentior liquet ex his sacrarũ literarum locis: *Michael*

(inquit

(inquit Daniel) *Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, Dan.10.13.* Et alibi dixit Gabriel Angelus, *Ecce Michael vnus ex Principibus venit in adiutorium meum pugnando pro populo.* Et quod iste magnus Princeps sit dux Superintendens in militia cœlesti narrat Iohannes hisce verbis: *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, Apoc.12.7.* Quo sermone indicatur, *Michaelem* non modo esse ducem primariũ in militia cælesti, verum etiã quod sit hominib. & vitæ atq; saluti mortaliũ professus amicus, vtpote Draconis siue Satanæ siue Diaboli aduersarius oppositissimus, & consequenter vitæ & sanitatis author, non aliter quam Diabolus est vitæ atq; salutis hostis publicus, vnde & destructor, atq; vastator atq; exterminator in pagina sancta dictitatur. At quoniam de ipso *Michael* cum suis Angelis victoria potitus triumphauit, ideo Draco seu Diabolus cum omni suo consortio ei subiicitur, ita vt ipse cum suis Angelis subiiciatur & obediens reddatur Michaeli & suis Angelis, vt mandatum eius ne latum quidem vnguem excedere possint, quod quidem ex sacris literis sic confirmatum habemus, *Vidi* (inquit Iohannes) *4. Angelos stantes super 4. angulos terræ, qui tenebant 4. Ventos terræ ne ipsi flarent, in terram, vel in mare, vel in arborem quampiam, Et vidi alium Angelum ascendentem ab Oriente, qui habuit sigillum DEI Viuentis, & clamauit alta voce ad angelos 4. quibus datum erat nocere terræ atque mari, dicendo, Ne noceatis terræ, neque mari, neque arboribus, quousque seruos DEI in frontibus eorum obsignauerimus, &c. Reuel.7.* Quibus sat liquido constat, quod per Angelum ab ortu solis ascendentem intelligatur *Michael*, vtpote cuius custodiæ assignatur plaga mundi Orientalis, vti antea est demonstratum, Porro etiam est præfectus Solis, cui etiam angulus orientalis attribuitur. Denique est Dux ille magnus in militia DEI, qui subiecit suo dominio Draconem seu Satanam cum suis, sed & hæc nocentium angelorum obedientia in eo declaratur, quoniam dixit, *Ne noceatis terræ,* &c. atque obedientes se in momento reddiderunt; Denique est Michael magni DEI sigilli custos, vtpote qui à Cabalistis non modo vocatur *Cohegadol*, hoc est, magnus DEI presbyter, verum etiam viceregens supremi, cuius nomen sigillum atque officium ipse possidet. Nam, inquit quidam in mysteriis diuinis valde sciens, *Michael* nihil aliud significat, quam quis est ille qui est tanquam Deus vti antea. Et præterea ipse Iehoua proclamauit, nomen suum magnum fuisse in eo: Porro etiam quod sit sacerdos magnus qui præbere solet preces sanctorum ipsi DEO, in his verbis declarare videtur, *Alter Angelus stetit coram altari, aureum in manu sua habens thuribulum, atque multi ei odores fuerunt dati, quos offerret cum precibus sanctorum super altare aureum, quod ante thronum erat positum, & fumus odorum cum precibus sanctorum ascendebat ex manu angeli coram Deo, &c. Apoc.7.*

Denique volunt in magia diuina peritiores, quod 7. angeli qui planetis 7. præsunt sint 7. illi angeli, qui dicuntur coram DEO stare, videlicet Zaphkiel seu Oriphiel, angelus Saturni, Zadkiel seu Zachariel Iouis, Samael Martis Michael Solis, Anael Veneris, Raphael Mercurii, atque Gabriel Lunæ, De quibus etiam tam in genere quam in specie mentionem facit pagina sancta, *Et vidi,* (inquit) *7. Angelos, qui steterunt coram Deo, atque iis erant datæ 7. tubæ, Apoc.8.* Et alibi, *Ego sum Raphael vnus ex angelis 7. qui astamus ante Iehouam, Tob.12.15.* Et alibi, *Ego sum Gabriel, Angelus qui asto ante Deum & missus sum vt loquar ad te, Luc.1.12.* Et alibi, *Ecce Michael vnus de Principibus venit in adiutorium.* Hic igitur habemus magnum Dei donum, videlicet lucis diuinæ (cuius effectus sunt vita, generatio, & sanitas,) latorem in hoc mundo, qui vt victoriam obtinuit erga rebellem Diaboli turmam, ita arguit ipsum Deum ad vitas & formas largiendas & consequenter ad misericordiam & clementiam esse proniorem quam ad punitionem & seueritatem atque indignationem. Vtcunque certum est, & à scriptura sancta iustificatum, quod Deus vtatur tam Diabolo & suis angelis pro ministris in sua seueritate, quam *Michaele* & suis in sua clementia; Ad principis ergo malitiæ, mortis, atque ægritudinis descriptionem leuem sic descendimus.

Cap. VIII.

De malo Angelo à Deo creato, quo vna cum suis consortiis vtitur in seueritate atque iracundia sua.

VT mundi conditoris esset, denario suo à portis lucidis effluxu, tam seueriter cum mundo ob peccatum hominis, quam clementer & in sua misericordia agere; ita quidem duces angelorum binos natura & conditione oppositissimos procreare placuerit, vtpote quorũ vnus contendit pugnatq; cum alio, pro animarũ, vitarum, atq; rerum creatarum ac etiam generatarũ salute & conseruatione, huncq; Principẽ innumeros sub se angelos ipsi subditos suæ naturæ in bonitate conuenientes habentem *Metattron* seu magnum Angelum *Michaelem* appellauimus, de quo tot ac tanta verba in capite præcedẽti fecimus; alter vero strenue Archangeli impulsui resistit, omniq; conamine tentare gestit, qua violentia, quibusq; insidiis creaturis à Deo factis, & pcipue generi humano bellũ apertum inferre, aut effectus exitiales in mundũ ad hominis ruinã pducere queat: vnde fit, vt *Michael* sit vitarũ atq; corporũ pseruator, adiutor, naturæq; generationis fautor, assiduus pro animab. apud Deũ intercessor,

ita

ita quidem Satan siue draco contra quem *Michaelem* in bello viriliter & cum triumpho egisse legimus, est vitarum deuastator, exterminator, apertus salutis hostis, generationis inimicus, & assiduus animarum coram Deo accusator, calumniator: vnde patet, quod vt *Michael* in sua conditione obseruatur pietate bonitate atque affabilitate erga homines esse repletissimus, ita è regione Satan omni iniquitate & malitia atque crudelitate aduersus genus humanum abundat, qui in pessimæ voluntatis suæ executione multas sub se habet malorum dæmonum legiones, qui omnes dicuntur ad omnia facinora patranda esse paratissimi, habet etiam sub sua ditione seu in suo exercitu duces & antesignanos, imitando in hoc suo negotio regimen atque dispositionem DEI optimi Max. cuius sedem & locum (violenta ambitione raptus) vsurpare fuit ausus. Quare vt in exercitu DEI quatuor recensentur antesignani, videlicet *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel*; ita in exercitu Satanæ latissima gerunt vltores vela *Samael, Azazal, Azael, Mahazael*, sub quibus magnæ congregantur turmæ dæmoniorum, & legiones tartari, profugæ ac fugitiuæ omnes, portionem habentes à capra emissoria, Sed peculiares hosce angelos relinquendo ad ipsorum Imperatorem seu summum in malitia & officio violentiæ atque iniquitatis Principem sermonis mei filum præcipue iam conuertam.

Multa huic malignorum spirituum capiti & duci nomina à sacris literis sunt imposita, magna de eius conditione occulta mysteria comprehendentia, & in primo loco est dictus *Lucifer*; nam talis erat ipse factus in origine à creatore, videlicet cæteris Angelis clarior & splendidior, vt Gregorius asseuerare videtur, atque ob hanc rationem dictus est cæteros angelos dignitate & virtute superasse, sed ipse superbia atque ambitione tandem elatus, pulchritudinem & claritatem suam perdidisse, atque hac ratione effigiem fœdam atque caligiosam induisse traditur, itaq; è cœlo deiectus est: Hoc quidem verbis apertis ita describit Propheta. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cœlum ascendam, supra astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altißimo. Esa.14.12.* Et modum expulsionis huius post eius à lucida in tenebrosam suam dispositionem mutatione, sic lucide indicat Apocalypsis, *Draco magnus rufus, cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum in cœlo amplius, Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt, Et audita est vox magna in cœlo dicens, Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri & potestas Christi eius, quia eiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die & nocte; &c. Propterea lætemini cœli & qui habitatis in eis, væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, &c. Apoc.13.* In quo sermone optime describit Iohannes inprimis tenebrosam & fœdam Luciferi dispositionem superbia semel intoxicati, vnde nomen Draconis & serpentis (qui sunt ex omnibus in mundo animalibus humano generi infestissimi) ei assignat.

Deinde modum per quem eiectus est à cœlo, videlicet inuicta magni Angeli Michaelis persequutione; tum postea eius inquietudo tumultuosa in eo notatur, quod cœli & omnes inhabitatores eiusdem gaudio admirabili fuerunt perfusi, propter hostis tam rebellis atque periculosi exilium, denique miseria terræ, aquæ, & cæterorum elementorum atque calamitas ipsorum inexplicabilis iudicatur, propter præsentiam Draconis istiusmodi implacabilis; qui cum spiritibus suis terram & maria circumambit, quærens auide idque assidue quem deuoret; Vniuersam Luciferi historiam tam in sua fælicitate dum erat bonus, quam infelicitate, cum in malum esset conuersus, luculenter videtur author quidam ignotus, at in mysteriis creationis admodum profundus, hunc in modum explicare, quatenus ex quodam manuscripto veteri id inuenimus expressum.

DEVS creauit aerem ex puluere primæ materiæ bonum & malum eadem seu pari quantitate ponderis in omnibus locis, ille creabatur æternus à perfecto & increato Deo, & ex claro aere creabat Deus Luciferum, cum ipsius sociis seu consortio, ita vt ipse esset lucens quidam aer, & clarior quam reliquus aer, & lux illa lucebat quæ erat Lucifer, sic ergo omnis caligo mali aeris creabatur seu reddebatur bona & clara sine peccato, eaque ratione in principio malum compescebatur seu subigebatur, seu corrigebatur sub bono, etenim malus aer optime corrigi & emendari potest per bonum aerem. Verum enimvero illud non fiebat in Lucifero & in eius consortio, namque vbi Angelus ille Lucifer videbat futurum, vt lux illa occulta in prima materia aquarum, luceret ac separaretur ac eleuaretur supra ipsas creaturas angelicas, ibi accendebatur odio & liuore aduersus creaturam humanam, atque tum prodibat atque aperiebat sese aer ille tenebrosus in Lucifero, qui in aere claro delitescebat, ac aer ille tenebrosus & impurus superabat & vincebat aerem illum clarum & purum; Sic igitur in principio offendebatur angelus hic Lucifer. Etenim vbi ille videbat sacrosanctam trinitatem depingere ac delineare clarum quoddam speculum, ibi admirabatur quem concerneret illud, quod ita formaretur quidam quasi circulus circumquaque ambiens hanc sanctißimam trinitatem in quo erat Sol clari istius speculi, continens in se omnes virtutes ipsius trinitatis. Proinde cogitabat secum, quod si Deus in sese occlusas habet omnes hasce insignes virtutes, vtique etiam ex aduerso ego Lucifer in me habeo omnia magna vitia, adeoque ego illi per istud ipsum quod est in me comprehensum, non sum inferior; Si igitur omnia mea vitia produxero vel emisero, fugient vtique ab illis omnes hæ virtutes Dei: eaque ratione ego eleuabor supra consilium altißimi Dei,

locoque

locoque eius constituar; etenim ille est Deus & fugit meam malitiam: Sic itaque Lucifer ex voluntate omnino libera cogitauit seu induxit vitia, & proinde etiam tunc cecidit exinde per omnes Angelorum choros, cum omnibus suis consortibus: Nam cœli non poterant eum diutius retinere, vtpote qui probe eum cognoscebant cum omnibus eius sociis ipsi fauentibus, seu adhærentibus, Lucifer & consortes eius ignorabant fortitudinem seu virtutem omnipotentiæ diuinæ, qua Deum nihil omnino latet, itidemque etiam nesciebant, quod omnia cogantur ei seruire & subesse, nimirum bona simul ac mala, neque enim vllæ valent aduersus eum vires: Hoc itaque modo fiebat & committebatur primum peccatum in cœlo: attamen DEVS creauerat Luciferum sine peccato, cum claro & puro aere, peccatum autem erat aer tenebrosus: Nam Lucifer cum consortio suo constabat ex elementis aeris quæ erant impura & commixta cum claris & puris elementis aeris, ipsum impurum aerem obtegentibus, & subigentibus & compescentibus; Sed Lucifer vltro & per liberam voluntatem suam producebat & quasi in lucem emittebat impurum aerem peccati, dum adhuc erat in cœlo; Namque Lucifer erat impuritas aeris, & cœlum purgabatur; simul ac Lucifer cum suo consortio excludebatur & eiiciebatur ex illo, ceciditque Lucifer antequam Adam creabatur. Hæc ille. In qua Luciferi historia (quam proculdubio Author iste in secreto & mystico naturæ libro inscriptam vidit atque in creatione noua animaduertit) denotat perspicue, quod Lucifer esset ex claro & tenebroso simul aere conditus, & quod eius aer purus fuerit eius externum admirabili fulgore coruscans, quod ita prauum seu tenebrosum aerem illuminabat & contemperabat, vt totum Luciferi à Deo bonum & peccati expers esset originaliter creatum, Verum eius malitia & inuidia in causa erat, quod eius occultum tenebrosum paulatim superauerit eius Lucidum externum, atque ita externum suis tenebris obscurauit, repressit, & tenebroso aere vndique more manifesto obscurauit, atque ob istud peccatum à loco lucido, mediantibus angelis lucidis, in locum tenebrosum, videlicet aerem huiusmodi est in exilium relegatus, Vnde vt antea dictus erat *Lucifer* à sua claritate, & super omnes lucidos angelos dignitate exaltatus, iam à nonnullis dictus est *Lucifugus*, hoc est lucem Dei atque bonorum angelorum fugiens, at nihilominus in hac luce tenebrarum imperium habet super omnes angelos sui consortii, Vnde ab Apostolo in vno loco dictus est *princeps potestatis aeris istius, qui operatur in filios diffidentiæ, Ephes.* 2.2. Et alibi, Princeps, *potestas & dominus tenebrarum, spiritus malitiæ sub cœlo, Ephes.* 6. Atque hunc Principem appellauit Iohannes in Apocalypsi draconem magnum & rufum, serpentem antiquum, ob venenosam suam naturam & subtilitatem, *Apoc.* 13. *Diabolum* quasi deorsum ruentem, & *Satanam* quasi contrarium seu aduersarium: Et alibi vocatur *Beemoth* quasi bos seu bestia terribilis instar bouis, atque alibi *Leuiathan*: quasi rei additio seu appositio, *Iob.* 40. nam vti Gregorius habet, malum malo seu peccatum peccato atq; dolorem dolori addere & quasi cõsuere solet. Dicitur etiam criminator, vnde in Apocalypsi scribitur *Proiectus est accusator.* Porro etiam & Leo nuncupatur ob apertam & manifestam suam violentiam: Vnde ait Petrus, *Tanquam Leo rugiens, 1. Pet. vlt.* Et ab Apocalypsi dicitur *Apollyon, hoc est, Destructor, Vastator,* non modo hominum & aliarum creaturarum verum etiam virtutes in vitia conuerrere tentat; Hinc etiam in Propheta Esaia scriptum legimus: *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum: Omne quod fictum est contra te non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis: Hæc est hæreditas seruorum Domini, &c. Esa* 54.16.17. Quibus verbis luculenter docet Propheta, quod Diabolus sit à Deo expresse creatus, vt in errorem homines inducat, atque vt eos peccare faciat, quo tum postea ipsos destruat, quare ipsum vocat fabrum ignis prunas sufilantem, & proferentem vas suum, videlicet vt faber mediante igne formare atque adaptare solet ferrum pro suo proposito in hanc vel illam effigiem, quo scilicet facilius opus quod sibi faciendum proposuit perficiat, ita quidem Diabolus instrumenta sua præparare solet tam ad spiritum humanum blandis susurrationibus decipiendum, quam modo aperto ad corpora hominum atque cæterarum creaturarum lædenda. Hinc est quod quandoque ventos incitat ad homines atque bestias lædendas, atque destruendas, Hinc scriptum est in Iob. *repentine ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, & corruens oppressit liberos suos: Iob.* 1, 19. Quandoque ignem à cælo euocat, eoque vtitur ad letifera sua facinora patranda: Vnde in eodem capite legimus, *ignis DEI cecidit è cœlo, & tactas oues puerosque consumpsit, Ibid.* 16. nonnunquam vlcere & plaga affligit corpus, sic dictum est, *quod Satan percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis, Iob.* 2.6. aliquando aerem corruptione commaculat, pestemque inducere solet ad perficiendum sui creatoris placitum: nam legimus in prophetia Abbak: *DEVS ab Austro veniet, operuit cœlos gloria eius, ante faciem ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius, Abak.* 3.3. vel anteibit pestis seu lues vastans in meridie: Vnde liquet, ꝙ Diabolus est minister Dei, semper paratus ad pedes eius, aerem peste contaminat, atque in hac eius proprietate à Magis Hebraicis vocatur *Meriris*, seu dæmon æstuans in meridie, quem Agrippa dicit esse Principem illum malitiæ magnum, qui ab Apostolo dicitur *habere potestatem aeris huius mundi,* hoc est aeris sublunaris, qui est aer tenebrosus, atque mutationibus admodum obnoxius, respectu illius empyræi aut ætherei, qui aeres sunt longe clariores atq; puriores. Denique hic est ille qui vim habet super omnes ventos mundi sublunaris, vnde Deo iubente vel permittente tonitrua, fulgura, ventos, nubes, pluuias, tempestates, tam in aere quam in

mari, Chasmata, cometas, nebulas, inundationes, niues, grandines, terræ motus, & omnia alia meteora, præter naturæ mundanæ leges afferre quandoque ei permittitur, cum nihilominus prædicta omnia sint opera atque creaturæ DEI, quæ à Diabolo non possunt excitari in hoc mundo, nisi Deus eas committat in manus ipsius, vnde dixit Diabolus ad Iehouam. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet*; Et respondit Iehoua, *Ecce vniuersa quæ habet sunt in manu tua, tantum in eum ne extende manum tuam*: Quo dicto, Angeli DEI ignei qui dicuntur ministri DEI, atque illi ventosi pro illo tempore sub eius imperio fuerunt: Vnde dictum est, *Ignis DEI cecidit è cœlo*, non Diaboli, & tamen hoc fuit mandatu Diaboli, quibus liquet, quod isti nocentes angeli, quamuis sint sub ditione Diaboli, dicantur nihilominus angeli DEI validissimi robore, efficientes verbum seu voluntatem eius tam in seueritatis proprietate, quam in clementiæ; vnde & quatuor terræ & mundi anguli, & quatuor venti ab iis spirantes videntur esse quatuor illi antesignani, qui latissima Satanæ vela dicuntur gerere, vtpote qui est princeps magnus totius aeris, vti illi angeli seu spiritus seu dæmones 4. qui ventorum fræna dicuntur tenere, super quatuor aeris mundani plagas imperium habere dicuntur: Videlicet Oriens seu (vt Hebræi volunt) Samael in Orientalem Ventum imperium habet, Paymon vel vt ipsi volunt Azazel occidentali vento præest, Ægyn vel (vt ipsi tradunt) Azael Septentrionali, atque Amaymon vel vti illi volunt Mahazael Australi.

At vero in hoc luculenter declaratur DEI omnipotentis bonitas, quod vti peccatum in mundum introductum iri, antequam quid in mundo fuit introductum, optime vidit atque præsciuit, & ob hanc rationem Diabolum ad illud puniendum ab origine ordinauit, ita quidem in tantum præualuit eius clementia super seueritatem, vt angelos creauerit atque instituerit bonos ineffabilis virtutis, & præcipue vnicum Principem potentissimum, qui Diabolum creaturas DEI destruentem, viribus & potestate ita superare queat, vt in pugna ipsum non modo à regno cælorum propulsarit, sed etiam in illo sublunari mundo ei prædominetur, atque illius placito subiiciatur, qui ventorum spiritus malos inhiberet atque impediret in officiis suis maleuolis, atque etiam secundum voluntatem diuinam flatuum illorum malignitatem corrigeret, illosque ad prosperos effectus sua virtute infinita dirigeret, cuius est omnia viuificare, omnia præseruare, fouereque: Atque hoc luculentissime ex Apocalypsi decerpsimus: *Et vidi 4. angelos* (inquit Reuelator) *stantes super 4. angulos terræ ne flarent super terram, & super mare, neque in vllam arborem, & vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem sigillum DEI viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terra & mari, dicens nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoad vsq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum, Apoc. 7. &c.* quibus innuere videtur, quod ille magnus & bonus Angelus ascendens ab oriente, cuius erat præseruare à læsione malignorum dictorum spirituum cum suis angelis illos quos DEVS elegerat, potestatem & imperium habuerit super spiritus illos destruentes, nam iubente eo obedientiam ipsi confestim præbuerunt. Quomodo autem spiritus isti ventorum malorum præfecti ventorum fræna teneant, & quomodo 4. Angelorum Dei magnorum imperio subiiciantur, oculari istiusmodi descriptione delineauimus.



In qua videmus Archangelos quasi 4. videlicet summum ac primum illum Michaelem solis animam quasi & spiritum, cui omnes venti obedire videntur, vnde & Titanis filii dici solent à poetis. Hic quidem est Princeps ac dux primarius cohortium in exercitu DEI. vti per pugnam quæ facta est inter Draconem & Satanam seu Diabolum atque Archangelum *Michael*, à Iohanne reuelatore est optime explicatum, quare ad eius nutum reliqui tres boni angeli videlicet *Gabriel, Raphael, &* *Vriel* mouere solent. Nam vt in præcedentibus est declaratum sub communi nomine *Michael* tanquam speciei Angelicæ appellatione, mysterium Angelorum rebus naturalibus concreatum est, per quod instituimur, quod omnes Angeli sint eiusdem speciei, & quasi radii coruscantes, seu emanationes à magno illo Angelo *Metattron* seu *Sapientia* prima creatura emissæ, quæ non aliter diuidi possunt à primo suo fonte Angelico quam radii Solis à Sole. Hic ergo qui est imago *Metattron* non

aliter quam homo internus dicitur ad imaginem Dei factus, atq; supra omnes alias Superintendentiam habet, & vt Soli omnium planetarum summo & dignitate primo, locus præcipuus datur in cælo, ita angelus orientalis vtpote soli dedicatus, & ob hanc rationem cæteris dignitate & loco præferendus præesse dicitur *Michael*, qui est ex parte clementiæ. Plagam autem ei oppositam atq; eius spiritum Venti illius videlicet Fauonii præfectum regit Archangelus *Raphael*, vt & illam Septentrionalis plagam *Gabriel*, & Meridionalem *Vriel*, Sed & hoc idem in Doctoribus Hebræis confirmatum habemus: Nam Rabi Tædacus Leui Lib. De 10. Numerationib. post explanatos 4. Ventos, Aquilonarem, Meridionalem, Orientalem & Occidentalem tandem sic pergit, *ex illis 4. ventis creauit 4. Angelos qui præfecti super eos in die & in nocte. Michael autem qui est de parte clementiæ & miserationum constituitur mamona id est præfectus super ventum Orientalem, vsque ad dimidium diei & vsque ad noctem regitque Ventum occidentalem Raphael, qui similiter est de parte clementiæ. Tum Gabriel virtute iudicii & seueritatis præfectus est cum vento Boreali super dimidium noctis & duas mensuras mundi, Noriel præsidet Austro*: Hæc ille. Sed & quilibet horum habet sub se Angelum De natura Principis aeris, quorum quilibet plures sub se species habet, quas liber arcanorum continet, quod etiam per hoc, quod in Porta lucis legitur confirmari videtur: *A terra* inquit illa *vsque ad firmamentum non est locus vacuus, sed omnia plena formis, ex illis puræ, ex illis capaces gratiæ ac miserationum, & sunt inferius multæ effigies falsæ, noxiæ, tentatrices, & omnes commorantes & volantes in aere, ex iis ad pacem, ex iis ad bellum, ex iis ad bonum, ex iis ad malum, ex iis ad vitam, ex iis ad mortem, & consequenter ex iis ad salutem & sanitatem, & ex iis ad morbum & infirmitatem*, Et omne id in habitatione inferiori in qua nos sumus, vti asserit Iosephus Castaliensis, vnde liquet, quod boni Angeli fœdis & malis permisceantur, quo prauorum dæmonũ actiones (vtpote Deum & homines in odio ineffabili habentium) temperentur, repellantur, & mitigentur. Atq; huic nostræ assertioni astipulari videtur Bartolomæus, qui ita loquitur, *Totum dæmoniorum seu prauorum spirituum conamen est malefacere, & ad perturbandos atque malignitate infestandos homines, obque istam rationem sæpissime perturbant elementa, tempestates in aere & aqua commouent, fructus terræ corrumpunt, vt in Apocalypsi explicatur, atque maiora longe mala inducerent terræ habitatoribus, nisi boni Angeli ipsorum violentiæ aciem obtunderent*. Hinc ergo liquet, quod nihil possint nisi permissione diuina, vtpote quibus boni Angeli sunt fræna, at permissione semel data ipsi boni Angeli non modo cessant à sua tutela, verum etiam ad creaturarum pænam conferre solent, vti in sacris literis vbique legimus. De bonorum Angelorum tutela contra malorum Angelorum insultus sic loquitur Psalmista regius, *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine inuadente, vel ab occursu dæmonii meridiani, plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, quoniam Angelis suis præcipiet de te in omnibus viis tuis, Psal. 91.* Quo sermone perspicue innuere videtur, quod Deus defendere instituit bonos homines à prauorum dæmonum insultibus per angelos ipsorum naturis contrarios. Sed hoc eleganter demonstranum est per tutelam Archangeli Raphaelis in Tobia, qui dæmonii Asmodæi insultus propellendo ipsum Tobiam ab eius rabie immunem præseruauit.

Concludimus ergo quod sit certissimum quod vt Lucifer iam Satan dictus post suum casum & exilium à cœlo factus est Princeps vniuersus aeris huius, iuxta dictum D. Pauli, at principalis eius effectus est ab Austro, qui est locus à quo putredo emittitur, pestes, & tabes, atq; tonitrua sæpissime emittuntur: vnde & ab Hebræis (vti antea est declaratũ) *Meririm* dictus est; hoc est dæmon æstuans & furens in meridie: Vel vt Abakuk & Propheta regius in locis antea citatis, lues seu dæmonium vastans in meridie seu Austro: ita similiter vt hic aeris Princeps diuidit suum regnum aereum in 4. quartas, videlicet orientalem, occidentalem, Meridionalem, Septentrinonalem, & cuilibet parti præfectum assignat diuino iussu qui ventos peruerse spirare in officio habent; ita quidem tanta fuit erga res in cœlo sublunari creatas ac præcipue hominem misericordia, vt loco Principis istius magnæ iræ & malitiæ in aere seu mundo hoc quo degimus, Principem adhuc maiorem & gratiarum atque clementiæ plenum posuit, qui etiam & alios tres angelos ipsi Socios & proprietate ac bonitate similes adiunctos habet, qui vim & potestatem habent super illos spiritus vicegerentes Satanæ, qui vim habent super ventos. Hinc vt *Meriris* cum suo spiritu furere solet in meridie, ita *Michael* magnus Princeps qui superintendentiam habet in Merirem, cardinem mundi orientalem sibi vendicat, in quo Samaelis vel vt alii dicunt Orientis actiones curat, vti sæpius est dictum, Nam hæc sunt Cornelii Agrippæ verba: *l.3. De occ. Phil. c.24. In malis spiritibus præsunt cæteris 4, reges potentissimi iuxta 4. partes mundi quorum nomina sunt Vriens seu Oriens rex Orientis, Amaymon rex meridiei, Paymon rex occidentis, & Egyn rex Septentrionis, quos Hebrærorum doctores forte rectius vocant Samael, Azazel, Azael, Mahazael, sub quibus plures alii dominantur principes & præsides, innumeri quoque priuatorum officiorum dæmones*. Hæc ille. Et tamen in Scala sua numeri quaternarii dicit 4. *Sunt Angeli præsidentes cardinibus cœli, Michael Orientali, Raphael occidentali, Gabriel Septentrionali, atque Vriel Meridionali. 4. sunt Principes dæmones nocentes in elementis Samael, AZaZel, Azael, Mahazael, 4. sunt Principes dæmoniorum super 4. angulos terræ, Oriens, Paymon, Egyn, Amaymon.* Quibus liquet, quod hic author non sibi constet, quoniam differentiam facit hic inter quatuor principes nocentes in elementis, & illos super 4. angulos orbis, qui ventorum curam habere

bere dicuntur: Præterea in eadem scala ait 4. *sunt elementorum Præfecti, videlicet Seraph, ignis, Cherub aeris, Tharsis aquæ, Ariel terræ*; Sed vt animi nostri sententiam hac in re ostendamus, dicimus quidem quod probabilius sit considerare quod cum tota spiritus sublunaris regio tam bonitate Dei quam malitia Diaboli impleatur, probabile videtur quod quodlibet elementum habeat suum bonum atq; itidem malum Principem, ambos videlicet proprietatis diuinæ ministros, vtpote qui illo vtitur ad benefaciendum in clementia, hoc ad puniendum & malefaciendum in seueritate: quare dicimus, quod vt quatuor sunt boni principes *Seraph, Cherub, Tharsis, Ariel*, ita quidem mali & vendicantes sunt *Samael, Azazel Azael, Mahazael* in iisdem elementis: At quoniam Venti participant de Elementis, videlicet Orientalis de igne, Septentrionalis de terra, Occidentalis de aqua & Meridionalis de aere, ideo Spiritus elementares tam mali quam boni fortitudines suas à ventorum Spiritibus siue bene siue male flantibus recipiunt: Hinc ergo certum est Ventum Eurum participare tam de æstu quam de violentia Samaelis, & sic in cæteris. Affirmamus etiam quod spiritus regii ex parte Satanæ potestatem habentes in Ventos videlicet *Vriens*, *Paymon Ægyn*, *& Amaymon* subiiciantur imperiis bonorum illorum angelorum, qui præsunt cardinibus mundi, *Videlicet Michaeli, Raphaeli, Gabrieli, Vrieli*, & præcipue imperatorio illi Angelo bonitatis & vitæ *Michaeli* qui vim & potestatem habet super tenebrarum seu aeris tenebrosi Principem, propter victoriam de Dracone reportatam, quare sub supremo eius imperatu sunt dæmones omnes tam scilicet Ventorum quam elementorum siue sint boni siue mali.

Hic etiam obiter est considerandum, quod iuxta portarum in cælesti ciuitate positionem (quarum tres sitæ fuerunt versus orientem, & tres versus occidentem, & totidem versus Septentrionem atque meridiem) res quoque se habet cum ventis, nam in qualibet mundi plaga sunt tres venti, videlicet subsolanus cum duabus suis alis, & Auster versus meridiem & Cæcias versus Septentrionem, & sic in cæteris, vti in demonstratione superiori dilucide habetis depictum. Atquoniam ad similitudinem portarum cælestis Ierusalem Zodiacum cæli stellati habetis diuisum, videlicet in triplicitates quatuor, videlicet Igneam, & orientalem, Aeream & Australem, Aqueam & occidentalem, & Terream atque Septentrionalem, & cuilibet harum triplicitatum tria assignantur signa, videlicet Aries, Leo, Sagittarius, igni, Gemini, libra, & Aquarius aeri, Cancer, Scorpio, & Pisces aquæ, & denique Taurus, Virgo & Capricornus terræ, similiter quia cuilibet triplicitati proprius assignatur princeps naturæ Angelicæ, vt & cuilibet sub eo signo angelus itidem peculiaris assignatur: ita quidem (vt mihi videtur) verisimile est, quod non modo Angelus Princeps cardini ascribatur verum etiam & cuilibet in ea plaga portæ ventosæ, qui relationem habere debet ad suum signum, cuius potestati subest. De dæmonibus triplicitatum & peculiaribus cuiuslibet signi spiritibus antea mentionem fecimus, vbi de Zodiaci dæmonibus sumus loquuti: Magna quidem de hoc subiecto volumina conflare possemus, sed quoniam alibi de his rebus apertius discurremus, plura de iis hoc in loco non loquemur.

Habetis hic Lectores beneuoli quam euidenter descriptos & quasi ad viuum depictos duos intelligentiarum Principes magnos, proprietate & natura exerte differentes, vtpote quorum prior, qui est omnium potentissimus, est lucis Angelus, clemens, bonus, Sanitatis & vitæ author, mundi solatium & requies, mortis & morborum propulsator, qui malum in odio habet bonumque fouet, & nutrit beneuole, atque hunc declarauimus esse clementiæ & beneuolentiæ atque benignitatis diuinæ dispensatorem, animarum, imo vero & corporum custodem, de cuius regione sunt boni illi hominum angeli, quos sacros & bonos genios diximus, hic & mundi saluationis & resurrectionis humanæ (vtpote qui victoriam obtinuit contra Diabolum & Mortem) author & actor. Princeps vero alter huic conditione & voluntate est oppositissimus, quippe qui tenebrarum Angelus seueritate & impietate æstuare solet, malis actionibus delectatur, morborum & dolorum atque destructionis est author, mundi flagellum & inquietudo, vitæ destructor, mortisque introductor in mundum, qui bonum in odio habet, malumque fouet & nutrit strenue: Atque hunc declarauimus esse seueritatis & malevolentiæ imo vero & vniuersæ impietatis dispensatorem, animarum imo vero & corporum destructorē, de cuius regimine sunt mali & praui illi dæmones, qui mali genii dicuntur, hīc & mundi ruinæ hominisque damnationis est author. Atque ita videtis hos duos Angelos omnino ad inuicem qualitate contrariari: De hisce igitur particulariter agere in volumine sequenti vbi de sanitate & morbo copiose discurremus mihi quidem idque tersiori & clariori orationis filo (Deo optimo propitiante) est decretum.

Partis II.

MEMBRI TERTII

LIBER PRIMVS.

De cauſa meteororum cæleſti efficiente vt dicunt Aſtrologi.

CAP. I.

An vlla ſit in rei veritate cauſa cœleſtis efficiens nec ne. Quod Idololatriæ mortalium cauſa ſit eorum ignorantia, vnde tot in mundo errores, totque erga homines iudicia in ſeueritate diuina iuſte emiſſa.

CVm in præcedentibus quam aptiſſime & luci diſſime ſit à nobis declaratũ, quod ſit ſolus Deus, qui variis ſuis emanationibus virtute & proprietate varia varie operatur, tam in cœlis quam in terris, mediantibus ſuis organis Angelicis, quæ organa diximus, in quib. Deus primario agit in hoc mundo, & quod cæteræ mundi creaturæ ſint ſolummodo vehicula dictorum Angelorum, ſequitur ex conſequentia, immanem eſſe in creaturis errorem, actum eſſentialem in mundo quempiam creaturis mundanis, ſiue ſit angelica, ſiue cæleſtis & ſtellaris, ſeu denique elementaris, attribuere, & non ſoli DEO, quod etiam ex his ſacræ paginæ locis colligere fas eſt, nam in ea ſic ſcriptum legimus, *aſcendit ſuper Cherubin, & volauit ſeu lapſus eſt ſuper alas venti, & poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum, cribrans aquas de nubibus cœlorum, & excelſus dabat vocem ſuam, miſit ſagittas ſuas, & diſparuit eos fulgur: &c. 2. Reg. 22. 8.* In quo ſermone denotatur, quod Deus ineſt primum in Angelis *Cherubin*, in quibus tanquam vehiculo inſidet, & tum *Cherubin* volat (diuino lumine agitatus) ſuper alas ventorum, & tum ille ſpiritus in Cherubin & ventis colligit denſas nubes, & tunc ex iis vocem ſuam ſeu tonitrua ſua emittit, atq; etiam cribrat aquas è nubibus cœlorum. Non dicitur quod Deus inſedit ſuper Cherubin, & Cherub volauit ſuper alas venti, & ventus cõgregauit nubes & ſtellæ, & præcipue Sol, attraxerunt vapores & exhalationes, & tandem mediæ aeris regionis frigiditas eas condenſauit, & aſtra liquefecerunt nubes ſic collectas, & pluuiã dimiſerunt; Sed omnia ſimul hæc opera Deo vnico attribuere geſtiunt literæ ſacræ; quare fruſtra fecerũt illi, qui aut Angelis aut ſtellis actus quoſcunq; in natura attribuerunt, quippe quæ nihil agunt, ſed ſolummodo Deus per ipſas, & tanquam organa agunt, & non ipſæ ex proprio ſuo valore ſeu exiſtentia, ꝙ & Reuchlinus optime in hunc modũ exprimere videtur, *Lib. 3. De Art. Cab. Ne quis vana ſuperſtitione ductus putet ab Angelis omnia humanæ mortalitati cœlitus conferri, ac non potius per Angelos ab ipſa Dei maieſtate omnia fieri, etiam in angelis ex fonte totius veritatis docemur, Quod Deus ſecundum voluntatem ſuam faciat in exercitu cœli & habitatoribus terræ, Dan. ad Regem.* Atque in alio loco reperimus: *Dii quidem ſunt qui dicuntur in cœlo & in terra, nobis tamen vnicus Deus pater ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia & nos per ipſum, 1. Cor. 2.* Quibus declarare videtur Apoſtolus, quod quamuis mundanus Angeli & dæmones Dii videantur, imo vero & hominum nonnulli more ſuperſtitioſo pro Diis habeantur, quibus diuini honores in extremo idololatriæ gradu adhiberi ſolent, dum ipſis videlicet atque etiam ſtellis cœli actiones omnes tam bonas quam malas falſo attribuunt, tamen (inquit ille) nobis, hoc eſt, veris Chriſtianis, vnus eſt ſolus *Deus pater* à quo radicitus omnia, videlicet à fonte *Enſoph* immenſo, & vnus *Dominus Ieſus Chriſtus* tam angelorum omnium quam DEI naturam in ſe continens, vtpote qui eſt magnus ille mundi Angelus, veraque ſapientia à Deo primitus emanans, videlicet *verbum per quod omnia, & nos per ipſum:* vnde etiam alibi dicit Apoſtolus, *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, Rom. 11. 36.* Et alibi: *DEVS pater omnium, qui ſuper omnia & per omnia, & in omnibus nobis, Epheſ. 4. 6.* Et in alio loco, *De Deo ſunt omnia, Deus autem vnus, 2. Cor. 5.* Sed expreſſius hoc declarare geſtit Apoſtolus in his verbis, *DEVS operatur omnia in omnibus, 1. Cor. 12.* Inde arguens, Quod nulla ſit reuera neque mediantibus angelis, dæmonibus aut ſtellis operatio, niſi quæ ſit eſſentialiter à Deo, nam vt à Sole radii minime ſunt diuidendi aut ſegregandi, ita quidem radii ſeu emanationes emiſſæ à fonte omnium actionum non ſunt ſeparandæ à ſuo fonte vnica & indiuidua eſſentia diuina, quæ in partes diuidi aut diſtingui nequit, eſt enim vnitas ſyncera, quæ non patitur ſeparationem vllam, licet in mundi materialis multitudinem ſe immergat, abyſſi totius centrum vſque.

Vane ergo attribuerunt Magi veteres DEI vnici actiones dæmonibus, qui sunt solius *DEI Iehouæ* opera, & minime pro Diis sunt habendi, Atque hæc est ratio Idololatriæ gentium, de qua mentio facta est in fonte veritatis, vbi legitur, *Dæmonibus sacrificauerunt non Deo, Diis quos non nouerunt, Deut.* 32. 17. Atque hæc est ratio, quod lex expressa data est contra dæmonum adorationem in decalogi Mosaici primordio: & alibi Dæmonibus Sacrificia non esse præbenda admonemur, vti *Leuit.* 17. 7.

Vane etiam influentiarum motus, virtutes, & operationes attribuerunt Astrologi astris seu stellis, & præcipue Soli & Lunæ, quæ sunt sapientiæ seu verbi Diuini opera sine cuius dono viuifico existere minime potuerunt: Nam iste etiam error erat occasio insignis Idololatriæ inter gentiles & Ethnicos, verbi gratia, Ægyptii adorauerunt Solem, vtpote cuius domus & statuas dictus est rex Babylonicus contriuisse, *Ierem.* 43. Porro etiam & in hunc errorem damnabilem inciderunt Iudæi, vnde dictum est, *Solis currum & equos ante templum Domini fuisse ablatos*, 4. *Reg.* 13. Et in alio loco testatur Biblium, quod Solem Lunam & alia creauerit DEVS in ministerium cunctis gentibus sub cœlo, ideo prohibuit ea adorari aut coli: mandatque Israelitis, vt non respiciant Solem, Lunam, aut stellas, aut vllam rem exercitus cœlestis, vt incuruantes se eos colant, *Deut.* 4.

Quibus docemur, quod vt Deus est Solus author & actor in hoc mundo, ita ipsi soli & non rei creatæ est laus, honor, adoratio & cultus præbendus, atque quicquid nobis euenire potest aut mundo, non à creatura illud deriuandum, sed à creatoris virtute, & emanationis ipsius actu, in creatura, & ab ea quasi à vehiculo emisso prouenire credamus, cum ipsa creatura absque ipsius actu sit plane mortua, & nihil in se valoris aut existimationis habens.

Sed quoniam est mundi mos influentias cælestes atque earum virtutes iuxta veterum Astrologorum doctrinam à stellis deriuari affirmare, & consequenter Arietem, Taurum, Geminos, Orionem, Coruum, Cassiopeam & cætera inter stellas fixas, & Saturnum, Iouem, Martem, & Solem, &c. inter planetas cum gentilibus dicere, esse istius vel illius in aere, & terra, atque aqua alterationis causas, nos pro meliori legentium intellectu in ipsorum vestigiis insistemus, nominando & dicendo planetas & stellas fixas esse causas tempestatum & meteorum, in aere, sed ea nihilominus lege, vt semper in memoriis nostris colligamus, non stellam à nobis nominatam, sed influxum diuinum à portis diuinis Sephiroticis emissum in Sphæram & corpus planetarũ, qui ab Angelico suo ministro pro voluntate Ensoph seu paternæ infinitudinis in inferiora impluitur, vel ad pænam vel ad beneficentiam mortalium, esse effectuum omnis generis in aere, aqua, & terra procreatorum fontem atque originem.

His igitur à vero Christiano inprimis consideratis, ad trianguli in Catoptro nostro meteorographico descriptionem atque explicationem viuam properabimus, in qua prognosticatio meteorologica per planetarum inter se aspectus videlicet coniunctionem sic figuratam ☌. oppositionem seu ☍. vel quadrilem seu □. ad lunam luculenter exprimitur, Trianguli effigies infra depingetur.

CAP. II.

De aeris mutationibus, De cometæ ortu, & tum postea, de variis aeris mutationibus secundum aspectus. ☌. ☍. & □. omnium planetarum tam ad lunam quam inter se.

AStrologi dicunt, quod causa omnium specierum Cometarum efficiens sint stellæ, tam fixæ quam erraticæ, atque in genere nos monent, quod istiusmodi meteora, imitentur naturas Martis & Mercurii: Vnde factum dicunt quod bellum, æstum, & tumultum significant: Similiter Ptolemeus in 2. Quadrup. vult vt etiam stellas consideremus, quæ solent (vti ipse habet) concitare materiam, hoc trahere eam suo motu, atque etiam docet obseruare locum, seu signum Zodiaci sub quo inflammetur.

Ad aeris autem mutationes varias in ventis, nubibus, pluuiis, niuibus, grandine, tonitru, coruscationibus & aliis quod spectat, atque etiam ad trianguli meteorologici in Catoptro nostro meteorographico depicti expositionem quod attinet, hoc accipite.

Saturnus reddit aerem coniunctus vel ☌. vel ☍. vel □. aspectu tempore

- Veris cum
  - ☽ Humidum.
  - ☿ Ventosum & pluuiosum.
  - ♀ Pluuiosum & frigidum.
  - ☉ Pluuiosum.
  - ♂ Pluuiosum & tonitru sæuum.
  - ♃ Turbidum vel humidum.
- Æstatis cum
  - ☽ Humidum & remisse calidum.
  - ☿ Ventosum & imbriferum.
  - ♀ Pluuiosum.
  - ☉ Grandinosum & tonitru Sæuum.
  - ♂ Grandinosum & tonitru Sæuum.
  - ♃ Grandinosum & tonitru Sæuum.
- Autumni cum
  - ☽ Nebulosum & pruinosum.
  - ☿ Ventosum & nubilum.
  - ♀ Pluuiosum & frigidum.
  - ☉ Pluuiosum & frigidum.
  - ♂ Pluuiosum & turbidum.
  - ♃ Ventosum & pluuiosum.
- Hyemis cum
  - ☽ Nebulosum & niuosum.
  - ☿ Ventis niuosis inquietum.
  - ♀ Pluuiosum & niuosum.
  - ☉ Niuosum & nebulosum.
  - ♂ Remisse frigidum.
  - ♃ Turbidum.

Iupiter facit coniunctus vel ☌. vel ☍. vel □. aspectu tempore

- Veris cum
  - ☽ Aeris temperiem.
  - ☿ Ventos magnos.
  - ♀ Temperiem.
  - ♂ Turbinem & Ventos.
- Æstatis cum
  - ☽ Aeris temperiem.
  - ☿ Ventos magnos.
  - ♀ Temperiem.
  - ☉ Tonitrua.
  - ♂ Tonitru & tempestates.
- Autumni cum
  - ☽ Aeris temperiem.
  - ☿ Ventos magnos.
  - ♀ Temperiem.
  - ☉ Ventos.
  - ♂ Turbines & Ventos.
- Hyemis cum
  - ☽ Aeris temperiem.
  - ☿ Ventos magnos.
  - ♀ Temperiem.
  - ☉ Remissum frigus.
  - ♂ Remissum frigus.

- Mars inducit coniunctus vel ☌. vel ☍. vel □. aspectu tempore
  - Veris cum
    - ☽ Diminutioneum humiditatis & frigoris.
    - ☿ Ventos aliquando nubiferos.
    - ♀ Pluuiam.
    - ☉ Ventos.
  - Æstatis cum
    - ☽ Insignis calidis tonitru & fulgur.
    - ☿ Tonitru.
    - ♀ Imbres.
    - ☉ Tonitrua & fulgura.
  - Autumni cum
    - ☉ Ventos.
  - Hyemis cum
    - ♀ Remissum frigus.
    - ☉ Remissum frigus.

- Sol facit vniuersaliter coniunctus vel ☌. vel ☍. vel □. aspectu cum
  - ☽ Alterationem aeris pro natura temporis.
  - ☿ Ventos aliquando cum humiditate, præsertim in aquosis & ventosis signis.
  - ♀ Tempore
    - Verno pluuiam,
    - Æstiuo tonitru & imbres.
    - Autumnali pluuiam.
    - Hyemali humiditatem.

- Venus affert coniuncta vel ☌. vel ☍. vel □. aspectu tempore
  - Veris cum
    - ☽ Humiditatem & nebulas.
    - ☿ Ventos humidos vel saltem nubes.
  - Æstatis cum
    - ☽ Remissum calorem.
    - ☿ Ventos humidos vel saltem nubes.
  - Autumni cum
    - ☽ Nubes turbidas.
    - ☿ Ventos humidos vel saltem nubes.
  - Hyemis cum
    - ☽ Turbinem & niues. ventos.
    - ☿ Ventos humidos vel saltem nubes.

Mercurius cum ♀. aliquando Ventos nubiferos inducit. Trianguli autem figura hic depictam habetis.

Prognosticatio Meteorologica per planetarum inter se aspectus et ad. ☽. ☌. ☍. □.

		☽	☿	♀	☉	♂	♃
V Æ A H	♄	Turbidi humores Coloris remissio Nebulæ Pruina Nix.	Venti pluuiosi. Venti. Venti nubiferi Venti niuosi.	Pluuia frigida Nubes pluuiosæ frigidæ imbres	Pluuia frigida Grando Tonitrua Pluuia frigida. Nix Nebula.	Tempestas pluuia Tonitru Grando. Tempestas pluui-	Tempestas. Grando Tonitru Venti uel pluuia Tempestas.
V Æ A H	♃	Aeris tem-peries.	Ventus mag-nus.	Temperies.	Ventus. Tonitru. Fulgur. Ventus. Frigoris profliga-tio	Venti robusti Tonitru Tempest. Venti ualidi. Frigoris profliga-tio	
V Æ A H	♂	Frigoris et humoris fuga.	Venti aliquan-do nubiferi.	Pluuia. Imbres. Pluuia. Frigoris remissio	Venti siccitas. Tonitrua. Venti siccitas. Frigoris remissio		
V Æ A H	☉	Aeris altera-tio pro natu-ra temporis.	Ventus.	Pluuia. Tonitru nimbosa. Pluuia. Humiditates.			
V Æ A H	♀	Cœlum caligino- Caloris remissio Nebulæ crassior. Nix.	Venti humidi nubiferi.				
V Æ A H	☿	Venti aliquan-do nubiferi.					

Nota quod literæ { V, Æ, A, H } Significant { Ver. Æstas. Autumnus. Hyems. }

☌. est Signum Coniunctionis.
☍. est Signum oppositionis.
□. est Sigmnum Quadrilis aspectus.

♄. est character Saturni. ♃. Iouis.
♂. Martis. ☉. Solis. ♀. Veneris.
☿. Mercurij. ☾. Lunæ.

Cap. III.

De rotæ in dextra vacuæ regionis Catoptri nostri Meteorographici parte expressæ expositione, simul atque de portarum cataractarum & valuarum magnarum apertionibus.

ROtam hanc ob meliorem vestrum intellectum hoc in loco sic depinximus vt ipsius intuitu quæ in ea continentur facilius intelligatis. In hac igitur rota à speculo seu Catoptro nostro Meteorologico desumpta duplicem videre liceat descriptionem, videlicet valuarum cœli magnarum apertiones, quæ in sphæra superiori describuntur, atque tum postea portarum cœli apertiones, quæ in partibus circa centrum sphæræ versantibus sunt patefactæ. Ad valuarum autem magnarum cœli apertiones quod attinet, sciendum est, quod cataractæ valuæ magnæ cœli aperiri dicuntur, quando Luna recedens à coniunctione vel aspectu quadrato, vel oppositione Solis, vel Iouis, vel Martis, ducatur & transeat directe ad Saturnum, Mercurium & Venerem, vel vice versa; hoc est si Luna à ☌. vel □. vel ☍. cum Saturno Mercurio, Venereue recedens feratur ad Solem, Iouem, vel Martem, tunc enim secundum omnium Astrologorum sententias pluuiæ in abundantia, & consequenter inundationes magnæ sunt expectandæ.

Similiter ex sphæræ inferioris obseruatione portarum apertiones sunt colligendæ; nam vbi in sphæræ ordine obseruaueritis lineam quadratilem signatum cum □. inter Solem & Saturnum, vel Lunam & Saturnum, vel Venerem & Martem, vel tandem Mercurium & Iouem: Similiter vel lineam diametralem seu oppositionis, signatam cum ☍. inter Lunam & Saturnum, aut inter Solem & Saturnum, aut inter Iouem & Mercurium, aut denique inter Martem & Venerem: Denique vbi videritis ☽. cum ♄. vel ♃. cum ☿. vel Venerem cum Marte cum hoc signo. ☌. hoc est, in coniunctione, vbi quidem dicunt cœli portas esse apertas aut immediate aperiendas, ita vt pluuiæ imbresque copiose sint expectandæ: Nam hæc est arcana inter Astrologos obseruatio, & non multum ab iis publicata scientia: At vero Aomar habet in suis obseruationibus, *quod si Luna recedat à Venere, & post recessum suum cum Marte radios suos applicet, aut si à Marte recedat & Veneri se applicet tunc cataractas cœli reserat, quod si à Ioue recedat Mercurio applicans seu potius à Mercurio separata ad Iouem procedat, portam rursus hic aperit*: Hæc ille. Sed quod à nobis ante in sphæram prædictam est constrictum atque redactum (vtpote experientia comprobatum diuturna) in maximo habemus pretio, & consequenter cæterorum præceptis à nobis longe esse præferendum existimamus, cæterum vestris vtamini iudiciis, & quod hac in re probabilius vobis videbitur sequamini moneo. De reliquis cælestibus in aeris mutatione signis, in tractatu nostro Astrologico in technica nostra historia descripto plenius locuti sumus, quare vos eo loci referendos arbitror.



Cap. IV.

De causa efficiente cœlesti Ventorum vbi obiter nostra de Ventis opinio inicitur, & rationibus fortibus sustinetur.

POstquam Fregius de causis ventorum fecit mentionem, ipse statim (meliori ratione ductus ab Aristotelis opinione recedens) sic loquitur : *Quanquam tota disputatio de ventis, sicut de aliis meteoris, plena sit admirabilium Dei operum, quorum nullæ firmæ & sufficientes in natura causæ efficientes proferri possunt; tamen prodest videre, quousque humana ratio progredi potest. Sacræ quidem literæ dicunt, DEVM ventos producere de thesauris suis, vnde ipsorum flatus audimus sed vnde veniant aut quo vadāt nescimus.* Hæc ille, Et quidē tam ipsi Peripatetici quam Plinius, accuratus ille causarum inquisitor, adeo obscuritatis atque ignorantiæ nebulis sunt inuoluti, vt cum in ignorantiæ cæno se captos perspiciant, subtiliter distinctionibus vanis seipsos in parte excusare aggrediantur, dicentes, Alios ventos esse miraculosos, eos videlicet, quorum nulla in natura causa reddi potest, atque istiusmodi est ille à Plinio descriptus, dicente, esse specum quendam in Dalmatiæ ora vasto hiatu præcipitem, in quo deiecto leui pondere, tranquillo vtcunque existente die, procellosus nihilominus ventus turbini similis protinus oriri animaduertatur. Tales etiam æstimant ventos illos è rupibus prouinciæ Cyrenaicæ erumpentes, vnde & rupes illas pro rebus tam sacris habent, vt manuum contrectatione profanari existimentur, nam si semel hæ manibus contrectentur, ventus confestim Auster arenas voluens concitatur, vnde & has rupes Austro consecrauerunt. At vero quorum ventorum causam aliquam in possibilitate naturæ confingere potuerunt, hos naturales dixerunt, & suo more de causa eorum efficiente iudicauerunt; Vnde cuilibet videre licet, quam incerta de rebus tam profundis sit hominum in vana philosophia versatorum sententia, quam inconstans humanæ sapientiæ iudicium; Porro etiam & apud Astrologorum patres magna videtur esse hæsitatio atque instabilitas, in opinione de ventorum causa efficiente. Nam vti ventos suos naturales Peripatetici in statos atque repentinos diuidunt, statosque iterum (quos illos faciunt, qui statis temporibus flare incipiunt & desinunt) in generales seu principales, videlicet qui à 4. cardinibus flare solent, & particulares & minus principales, qui in certis prouinciis spirare animaduertuntur : ita quidem Astrologi altius in

harum

harum causarum inquisitione ascendentes, volunt ventos impetuosos siue sint repentini seu generales, & pcipue illi qui ex parte Aquilonis tendunt versus occasum, esse ex parte Martis, eique tales subiicindos dicunt. At vero alii ventos, quatenus à calore solis genitos infantes Titani Astreæ, & Auroræ faciunt, qui aerem reddunt subtilem & rarum, hocque præcipue in Aurora, imo vero & Aristoteles fatetur ventos à calore Solis progigni: At vero omnes venti dicuntur mandata Iunonis recipere, quia non flant nisi in aere, qui Iuno dicitur. Alii dicunt quod ex statis ventis illo quos Prodromos voant (vtpote qui Etesias præcedunt) ardentissimo æstatis tempore, circa tempus in quo exoritur canicula, Solem primam leonis partem ingredientem antecedant 8. ferme diebus. Porro ex illis Etesiæ, qui sunt venti Aquilonares, constanter obseruantur flare dies 40. atq; hos præcurrunt prodromi. Ventos autem hos Ioui attribuere gestit Ptolomeus, vtpote quos Iouem dicit ciere, vnde factum ait, vt fæcundiores & salubriores sint cæteris: Hi initium spirandi sumunt immediate post solstitium, & canis ortum, vt Aristoteles dicit, sed Plinius Etesias flare ait biduo post caniculi ortum, sole consistente in leone, atque sic in cæteris.

Ex quibus videtis, quod tanta sit in ventorum causis inueniendis difficultas, vti ipsi Philosophi etiam nil certi de iis & firmi iudicare potuerint, sed quicquid faciunt, ab euentu & longa experientia & praxi instructi colligunt, atque omnimodo à posteriori vident & non à priori.

At vero nos, vti decet Christianum, more profundiori ventorum atque cæterorum meteororum mysterium scrutari non desinimus, idq; neque ex Aristotele, neq; ex alio aliquo Ethnicorum Authorum libro, qui verbi Diuini actus (per quos teste Biblio totius veritatis fonte, omnia sunt facta) nesciuerunt, præsertim maior eorum pars (semper enim excipiendus est Diuinus Plato,) sed ex sacræ paginæ institutione, simul atque infallibili probabilitatis philosophicæ ratione atque demonstratione admoniti in harum creaturarum causam maxime internam nos (non sine iucunditate eximia) inmersimus, & omni conamine Doctorum Hebræorum hac in re sententiā perquisiuimus; Vtpote quorum erat in mysteriis Iudæorum, & præcipue in sacri Biblii expositione & interpretatione magis versari. At vero ex *Rabi Tedaco Leui; qui lib. De 10. numerat: ait. De quatuor Ventis Cardinalibus loquens, Ex illis 4. Ventis 4. Angelos super eos præfectos in die & in nocte fecit Deus, Michael autem qui est ex parte clementiæ præfectus est super Ventum orientalem, regitque ventum occidentalem Raphael. Tum Gabriel in virtute iudicii & seueritatis præfectus est cum vento Septentrionali seu Boreali, & Noriel vel Vriel præsidet Austro*: Hæc ille, Et in libro arcanorum habemus, quod quilibet horum habet multas sub se legiones, quas in sua negotia applicant: ad voluntatem creatoris obeundam.

Nos vero in quibusdam ab isto Doctore dissentire cogimur, rem nucleo tenus considerantes. Nam certum est & omni dubio procul, vtpote nauigantium experientia comprobatum, quod Zona frigida Antarcticæ mundi plagæ non minus frigore & effectibus frigidis riget quam illa Borealis, videlicet gelu, niue, & pruina assidua, qui effectus ex vento à polo antarctico spirante non aliter procreantur, quam effectus frigidi à Boreali seu ventis Aquilonaribus. Vnde minime videtur probabile quod spiritus æstuosus qualis est iur *Vriel*, quod nomen importat ignem Dei, vel *Meriris*, qui importat dæmonium æstuans in meride dominationem aut potestatem habeat in illa plaga, videlicet vbi stella polaris hæmisphærii Antarctici sedem suam habet: Nam hoc certum est; & à nemine negandum, quod vti hemisphærium boreale diuiditur in suam Zonam terream temperatam atque frigidam, quæ ad stellam polarem vsque se extendit, ita quidem & hemisphærium ei oppositum in tot & conditione similes plagas distingui apparens est, videlicet Zonæ torridæ spatium est illud, quod situm est inter lineam æquinoctialem & tropicum Capricorni, & illud temperati se extendit in latitudine à tropico Capricorni ad circulum Antarcticum. Denique illud Zonæ frigidæ metiuntur à circulo Antarctico ad suam stellam polarem.

Quibus perspicue constat, quod ventus ille à polo Antarctico spirans neq; à *Merire* neque ab *Vriele* seu *Noriele* gubernetur, quoniam natura & conditione sit igni contrarius, quippe frigidissimus; Quare considerandum est à nobis, idque serio, quod aptior prædictorum angelorum sedes sit in torridæ Zonæ centro, hoc est, circa plagam æquinoctialem, quoniam ille locus optime conuenit cum naturis *Vrielis* boni Angeli & *Meriris* mali dæmonis. Quare intelligendum est potius quod quando dictum sit quod *Vriel* seu *Meriris* sint Angeli meridiei præsides, intelligendum est hoc dici respectu nostri atque Iudæorum qui ab Æquinoctiali boreales sumus: Hinc ergo Ioui planetæ ascribitur meridiei custodia, vtpote cuius clima transit inter Æthiopiam & Iudæam: cui & Angelus *Vriel* inseruit & in eum habet dominium, vt & dominante Saturno iuxta Æquinoctialem *Meriris* maiorem in aere habet potestatem: Dicimus ergo quod causa cur ventus procedens à plaga meridionali quoad nos sit tam pestifer, aeremque adeo corruptum reddere soleat, hocque cum Iehoua iracundia ergo mundum Borealem accenditur, quoniam flatus à polo Antarctico frigidissimi & siccissimi, transeuntes per sedes torridas seu æstuosas præfectuum *Vrielis* & *Meriris* se miscent cum naturis illorum flatuum; Vnde calidum permiscetur frigido & siccum humori Ioniali atque etiam siccitati igneæ, quæ mixtio incongrua simul versus partes Boreales spirata contentione calidi cum frigido &

do & humidi cum sicco nubes congregat, pluuias liquefactione innaturali parit, quandoque fulgure & tonitruis mixtas. At si *Meriris* æstuare soleat in sua regione, tunc aer redditur corrptior, & magis pestifer fit, similiter tonitrua magis innaturalia sonant, aut pluuiæ in nimia abunantia effunduntur: Sed & hoc ex verbis hisce Prophetæ Abakuc facillime discerni potest: *Iehou veniet ab Austro, operuit cœlos & gloria eius, & laudis eius plena est terra, splendor eius vt lux erit, ibi abscondita e fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius*, vel, vt alii interpretantur, *anteenit ipsum pestis, & lue vastante in meridie; Abak.* 3.3. Simili etiam respectu res sese habet cũ Vento nostro Boreali, quo flante nix, grando, glacies, & pruina producuntur: at vero ventus hic penetrans per plagã æquinoctialem, talem temperiem spirat illis hemisphærii Antarctici, & præcipue Zonæ temperatæ, qualis ventus poli Antarctici ad nos spirat, videlicet ventum nubiferum, pluuiosum, contagiosum, & humidum, atque calidum: nam istiusmodi ventus ob diuersam mixtionem de diuersis naturis participat, estque hic omnium cœli ventorum maxime mixtus & compositus, & more chaos rudis atq; indigesti se habet, vnde ex qualitatibus inter se repugnantibus consistit, causa autem maioris vel minoris ipsius prauitatis est in eo respectu, quod vel à bono Angelo *Vriel* seu *Noriel* vel à malo *Meriri* dicto ducatur atque dirigatur.

Vt ergo videmus, quod in vtroque hemisphærio vltimum clima versus quemlibet polum à Luna regatur, ita etiam à Cabalistis Boreas seu cardo Septentrionalis gubernatur, atque etiam per consequens inter stellas Luna ibi habet dominiũ, non tamen sine ingenti Saturni Virtute & operatione: nam in omni motu cœlesti videmus circulũ, cum in horis diei, tum in mensiũ numeratione in partu fœmineo, atque ita etiam in omni alia re, vnde vbi desinit Luna immediate incipit Saturnus; quare in extremis plagis vbi longior est solis distantia ibi hi duo planetæ in operatione coniungi obseruantur: Hinc ergo non modo à Cabalistis verum & ab ipso effectu videmus Lunam præcipue cui præest Gabriel, & tum postea Saturnum à quo procedit qualitas constrictiua (more Astrologico loquendo) habere dominium in polis. At Saturnus præcipue polum Antarcticum respicit, quamuis in vtroque operatur suos effectus, Locus autem intermedius, videlicet ille per quem polorum axis transit, ibi scilicet, vbi meridianus circulus ad angulos rectos secat æquinoctialem lineam, est locus vbi Iupiter situm suum habere dicitur, vnde & spiritus ab illa plaga spirans humidus & calidus est, aerique assimilatur. Porro sol sibi vendicat punctum subsolani, videlicet illam exacte partem in oriente, vbi circulus æquinoctialis Horizontem secare dicitur, vnde & huic cardini præfectus est *Michael*, qui est Solis intelligentia: At vero punctus à quo Eurus flat, videlicet ille directe locus, vbi tropicus capricorni secat in plaga orientali Horizontem, à Marte gubernatur, & consequẽter illi plagæ præest malus & igneæ conditionis Angelus *Samael* dictus, qui est præfectus Martis, vnde tanta violentia, tanto ardore & æstu igneo spirare dicitur hic ventus: Quod etiã ex pagina sacra sic confirmatum habemus, *Euro perfringes naues Oceani*: *Ps.* 48. 8. Porro & quod Eurus adurat fructum & herbas campi, alibi docemur, *Gen.* 41.6. Atque in Iona dicitur, *DEVS emisit fortem Eurum qui valde vrebat mediante sole Ionam &c. Ion.* 4. 6. Sed hic Ventus nobis est aliquantulum madidior quam ille cæcias, quoniam spirat per regionem Iouis, atque etiam in via sui motus rapit secum & condensat aerem Borealem. At vero quo propinquius accedit ad eius flatus eo licciores & turbulentiores esse deprehenduntur, quare furiosiores sunt eius flatus in mari mediterraneo & Indico, quam apud nos, atque etiam ibi magis desiccant. Porro vero contrario respectu Ventus cæcias, qui flat ab eo orientis puncto vbi Tropicus cancri intersecat Horizontem, de siccitate Septentrionis participat, vnde à Marte præcipue gubernatur, atque etiam de Saturno habet aliquid stipticitatis, vnde pro pessimo atque siccissimo & impetuosissimo vento habetur, atque à sua malitia, prauitate, & inconstantia hoc nomen cæcias est sortitus: Hic ergo à *Samael angelo* præcipue & in minori portione à spiritu seu dæmone *Azael* in Septentrione præfecto regitur, vnde & in malitia, & nubium congregatione, & assidua violentia versatur, regitque Mars totum illud mundi orientalis latus per suum Angelum, ita tamen vt *Michaelis* imperio subiiciatur, qui beneuole ab æquinoctiali occidentali flare facit.

Sic etiam & per vniuersam plagam occidentalem Mercurius dominium suum extendit, qui in antro Affrico gubernatur maxime ab Angelo, vel bono vel malo, meridiei, & se iungit cum eo: nam Mercurius est inconstans, & solet cum bonis bonus esse, & cum malis malus: Porro in Affrico vento qui est inter Austro Affricum & Fauonium cum tumultuoso Angelo Meridiei se iungit, vnde & furioso vtplurimum more flare solet, imo vero hic ventus omnium est fortissimus, quoniam Mercurius inter omnes alios planetas est maxime ventosus.

At vero ab illo puncto, vbi linea æquinoctialis ad angulos rectos secat partem Horizontis occidentalem, flare dicimus Fauonium; græce Zephyrum, cui præsidet *Anael* simul atque bonus Angelus *Raphael*, quare salubres licet temperate frigidos & humidos, more sexus muliebris, emittit flatus, quos spiritus solaris obuiam eundo reddit salubres, spermaticos & fructuosos: Denique Corus qui flat ab illa tropici cancri intersectione, quæ fit in occidentali Horizonte, participat tam de

Venere

Venere quam de Luna mixtis cum Mercurio: Nam tota illa Horizontis quarta, quæ tendit à polo ad angulum occidentis, magis resentit de natura Lunari, vt quarta illa, quæ se extendit à polo ad angulum orientis, magis inclinat ad naturam Saturni.

In his vero ad Astrologicam assertionem nos propius contraximus, quamuis si in Magiæ mysterium paululum profundius introspiciamus, cum signa cælestia iuxta cælestis ciuitatis descriptionem in tria signa orientalia, triaque occidentalia, ac tum postea in totidem Septentrionalia, atque iterum tot Meridionalia, iuxta naturam 4. Astrologorum triplicitatum distinguantur, Et quod cuilibet horum signorum præfectus specialis assignetur, videlicet Angelus peculiaris ex principatibus qui sub magno Archangelo *Raziele* regnant, quorum omnium nomina in præcedentibus sunt explicata, haud à re impertinens existimamus credere quod quilibet trium ventorum cuiuslibet cardinis, à quolibet dictorum signorum triplicitatis angelo gubernetur, qui iterum Angeli se iungunt cum Angelo magno planetæ, cui est illud signum in loco domus, aut alicuius alterius dignitatis. Et profecto credo, quod si quis velit hæc iam à me prolata paulo accuratiori iudicio examinare, profundissime possit in ventorum naturas penetrare, & multa alia in natura arcana elicere; Quare inprimis existimo necessarium, vt angelorum illorum naturas ex nominis etymologia & signi conditione colligamus, & tum postea vt proprietatem planetæ qui propinquior est in sua natura comparemus, simul atque in primis naturam seu inclinationem emanationis diuinæ cuilibet signo & planetæ per angelos illos introductam: Quibus omnibus bene consideratis ad altiora proculdubio pertingere non erit impossibile.

MEMBRI III.

LIBER SECVNDVS.

De causa Efficiente elementari.

CAP. I.

Quomodo mundi regiones sensus humani visionibus comparentur, & quod quo magis se immergit diuinitas in multitudinem, eo magis eius radij à sensu humano teguntur atque occultantur.

QVemadmodum tres obseruantur esse in homine visiones, quarum alia est corporea, & versatur circa obiecta corporea, in quibus vt plurimum decipitur sensus exterior, ea diiudicando pro veris, quæ reuera sunt ficta & falsa simulachra, ita vt hæc omnium visionum humanarum sit maxime incerta: Secunda est in imaginatione seu phantasia, qui est primus visionis spiritualis gradus, in quo corporum similitudines & quasi vmbra prospiciuntur: nam spiritui phantastico quandoque obiecta corporea apparent non aliter quam imago in speculo: atque hæc visio vtpote quæ inter sensum externum atque intellectum est medium, quandoque falsa videt & fallitur, at vero ad intellectum respiciens falli minime potest, quare hæc visionis humanæ species est certior quam illa corporea: Tertia denique visionis species est illa intellectualis quæ res intueri solet, quæ neque sunt corporeæ, nec corporum formas habent, atque istiusmodi visionis humanæ obiecta sunt ipsa mens, DEVS, iustitia, sapientia & omnis animæ affectio bona: Simili modo res sese habet in causæ efficientis meteororum inspectione apud homines. Nam quibus visione intellectus in meteororum medullam inspicere atque intueri datum est, vident quidem ipsum Deum mentem summam, verbum seu Sapientiam diuinam esse solum & infallibile agens in ipsorum productione; atque ista visio est vere intellectualis. Est & alia visio, quæ est phantastica, qua vident atque intuentur homines causam meteororum: atque hac visione decernit homo ipsos Angelos seu dæmones meteororum causas, & in istiusmodi sua inspectione quandoque errat homo videlicet ad naturam creatam seu spiritum humanum (qui proximam habet cum rebus corporeis vicinitatem) respectum habens, nam in attribuendo causam meteori efficientem rei creatæ errat, & in Idololatriæ crimen incidere videtur: at vero si ad Angeli internum, quod est lux seu emanatio diuina, quam immediate à fonte *Ensoph* accepit, eatenus non fallitur in sua visione, vtpote quæ est intellectualis: denique si corpora cælestia per visionem corpoream primi ordinis cum Astrologis respiciendo aut corpora elementorum & elementata primi gradus respiciamus cum Philosophis Peripateticis, necesse est, vt in errorem magnum incidamus, & in profundum Idololatriæ mare nos immergamus,

videlicet

videlicet illud opus admirabile creaturis grossis, & quoad sensum visibilibus attribuendo, quæ sunt reuera in se mortua, & nullius plane momenti, videlicet soli, stellisq; reliquis, elementis ignis & aeris, terræ calori, mediæ aeris regionis frigori, ex halationibus, vaporibus &c. Quare moneo omnes in philosophia curiosos, vt neque elementis aut elementatis, neque astris, imo vero neque Angelis, quatenus pro creaturis habentur, sed soli Deo creatori procreationis tantæ & tam miraculosæ opus & actum, & consequenter honorem atque gloriam attribuant, qui omnia hæc imo vero & maiora longe producit in mundo, in & per creaturas angelicas, quæ in proximo respectu propinquitatis atque vicinitatis sunt cum diuinitate, quatenus immediate suscipiunt impressiones luminis seu emanationum diuinarum, quas tum postea mandatu diuino inducti creaturis tam perfecte quam imperfecte mistis impertiri gestiunt. Huiusce rei comparationem quam aptissimam ad vestras considerationes obiicere liceat. Quidam homo gladio alterum vulnerat: quæritur autem jam, Quisnam illum hominum vulnerauerit? Alius respondebit (more Peripateticorum qui meteororum causam efficientem igni aut aeri attribuunt) gladius hoc fecit; alter vero (ad instar Astrologorum qui causam agentem meteoris stellisne attribuunt) dicet quod manus percussoris sit effectrix illius facinoris; tertius iterum ad rem propius accedens (cum Magis qui meteororum authores dicunt esse dæmones) dicet esse spiritum in homine qui illud fecit: denique in mysteriis theographicis peritus, oculis aliquantulum acutioribus ad centrum vsque vtriusque rei inspiciens, dicet Deum tam hoc quam illud fecisse. Per quod quidem exemplum mundi error lucide enucleatur. Nos autem hoc in loco de ventis more communi mentionem solummodo facimus, sub quo nihilominus nomine Angelos DEI, qui ipsos animare solent, subintelligemus: Sed quoniam in hoc membri tertii libello more physico agere & circa elementa versari intendimus, ergo more philosophorum vulgarium hoc in loco de ventis agemus.

Cap. II.

De recta ventorum diuisione, & quod ipsi sint causæ efficientes (sermone vulgari aut more philosophico communi loquendo) cuiuslibet tam in Aere quam in Aqua aut Terra meteori.

VEntos (quorum animas angelos, vel aperte & manifeste vel occulte lucidos, in superioribus diximus) aut inuisibiles & soli auditui obnoxios facimus, aut visibiles & lucidos, cuiusmodi sunt fulgura, presteres, coruscationes, & similia meteora visibilia, quæ in aere motu violento ducuntur, non aliter quam venti illi, qui sunt visibiles: Ex huiusmodi ergo ventorum speciebus, tanquam primis in mundo elementari motoribus producuntur atque procreantur omnia alia meteora tam lucida quam tenebrosa, videlicet Cometæ, chasmata, trabes, fulgura, coruscationes, prester, capræ saltantes, ignis fatuus, sulphureæ flammæ, quas euomat terra & huiusmodi alia à ventis lucidis & manifeste igni, qui in sua natura nihil sunt præter aer subtilissimus, ignea anima animatus atq; exagitatus: at vero nubes, nebulæ, vapores, nix, grando, lapides, pruina & gelu à Ventis occultis & minime manifestis quasi efficientibus, & aere occulto & tenebroso in tales effigies contracto quasi tenebrosas; De ventis autem occultis & minime visibilibus hoc in loco verba nonnulla faciemus, idque more vulgari.

Cap. III.

De vento subsolano atq; de eius ventis collateralibus duobus.

VEntus occultus directe ab illo orientis loco flans, in quo linea æquinoctialis intersecat horizontem Orientalem, vocatur *Subsolanus*, vtpote qui oritur sub Sole in Zona torrida, videlicet eo directe loco, in quo æquator transit; porro & à Græcis *Apeliotes* nuncupatur. Hic traditur cum suis duobus aliis Ventis collateralibus esse calidus & siccus. Sed hic ventus vtpote ventorũ orientalium Princeps inter prædictos duos, quasi Virtus in medio consistens, est temperatissimus in sua dispositione ignea instar solis cælestis, vnde & Macrocosmo est serenator & Microcosmo salutaris. Illa ipsius ala dextra quæ flat à puncto illo Horizontis orientalis, quem Tropicus cancri intersecat, hoc est, ab ortu æstiuo, vocatur *Cæcias* à sua malitia, & Hellespontiacus, à loco à quo flat: Valde est hic Ventus in sua dispositione inconstans: vtpote quandoque cum dispositione Septentrionis frigidus, & nonnunquam cum orientis natura adurens, vt plurimum vero in siccitate omnes excellit ventos, idque à natura loci, quatenus de siccitate Septentrionali seu terræ, atque illa orientis seu

ignis

ignis participans. At vero per accidens etiam obseruatur quandoque humiditate quadam imbutus: Ratio enim est, quia non est eius proprietas more venti Septentrionalis pellere nubes, sed eas potius sibi auide attrahere, quod fit, ni fallor, propter intensam eius siccitatem, quæ est humiditatis attractiua: Hinc ergo ob rapacem huius venti congregationem nubium prouerbium de auaro hor oritur: *trahit ad se nummos, vt cæcias nubes*, Est ergo cæcias nubifer.

Ala sinistra seu ventus subsolani collateralis versus meridiem, qui flat à puncto illo, vbi tropicus capricorni secat Horizontem orientalem, hoc est, ab ortu brumali, appellatur græce *Eurus*, atque etiam à nonnullis Vulturnus, ob rapidam suam conditionem dicitur, nam violenter flare solet & alte volare, obseruatur more vulturis, conditione tempestuosus est hic ventus, calidus in se atque siccus, sed non ita abundat siccitate vt Cæcias, quoniam ex vna eius parte respicit madidum Austrum, vnde & quandoque imo vero multoties nubes obseruatur congregare, vt etiam respectu suæ siccitatis & caliditatis nonnunquam obseruatur nubes congregatas per aerem dissipare, & ipsum fumosis nebulis & grossis vaporibus vndique implere, quare & visum solet decipere, efficit etiam obiecta visibilia grandiora quam re uera sunt.

Ad ampliorem horum ventorum qualitatum explicationem vos ad volumen illud sequens quod de sanitatis & morborum ratione Deo auspicante aget vos refero atque remitto.

CAP. IV.

De venti occidentalis cum suis alis seu ventis collateralibus descriptione, & de meteoris quæ ipsi in aere parere solent.

VEntus ille generalis ab angulo illo occidentis flans, cuius medius punctus ab æquinoctiali linea secatur, latine *Fauonius* dicitur, Græce *Zephyrus*, id est, portans vitam & vigorem, hic est princeps illorum ventorum qui ab occidente flare solent, in natura sua est hic ventus frigidus & humidus in gradu temperatissimo, habetque ad dextram pro sua ala seu vento collaterali *Aphricum*, vt ad sinistram *Corum*.

Est ergo Ventus collateralis *Aphricus* ille qui flat ab illo Horizontis occidentalis puncto, qui à Tropico capricorni intersecatur, videlicet à solstitio brumali, atque huius dispositio est ad caliditatem Australem aliquantulum inclinare, at præcipue frigiditas occidentalis in eo abundat. Hic Ventus solet impetuositer per vices flare, vnde & tempestuosus est, & nubibus quandoque concomitatus.

Altera Fauonii ala ad Septentrionem vergens, est ventus ille qui flat ab illo puncto in occidente quem tropicus cancri secat, videlicet à solstitio æstiuali: Hic vocatur latine *Corus* græce *Argestes*, hoc est impetuosus & tempestuosus, in conditione sua aliquantulū inclinat ab humiditate *Fauonii* ad siccitatem Septentrionis. Vnde factum est, vt sit naturaliter grandinosus, niuosus, & frigidus, & per vices humidus, durante eius flatu nubes in cœlo obseruantur esse obscuræ, quamuis pro parte dies sit serenus, siccus, & in fine humidus; Porro & quandoque ob humiditatem intensiorem pluuias affert grandinosas, niuosas, affert & nonnunquam idque æstate frequentius tonitrua vehementissima, fulgura & tempestates horrendas.

De harum qualitatum vel ad morbos vel ad sanitatem in vtroque mundo productione, volumine sequenti Deo assistente copiose loquemur.

CAP. V.

De vento Septentrionali cum suis duobus consortiis atque eorum effectibus in aere.

VEntus Septentrionalis Græce *Boreas* dictus est principalis *in Aquilone* Ventus, & flare solet directo à stella polari, estque hic in sua conditione admodum frigidus & siccus. Huius est aerem mundare & purificare de grossis humoribus, quos produxit Auster, pluuiasque teste scriptura sacra solet propellere, quandoque tamen grandines & niues proferre solet, tum videlicet temporis quando Auster contra eum fortiter spirare solet, q̄ fieri solet quando fortior auditur strepitus, tunc enim aerē in nubes condensat, nonnunquā & præcipue tempore æstiuali tonitrua producere obseruatur.

Eius ala sinistra vocatur *Aquilo*, qui flat ab illo plagæ orientalis puncto, vbi circulus polaris seu arcticus secat Horizontem. Hic ventus in sua conditione valde est frigidus & siccus, at vero ali-

quantulum de caliditate orientali participat. Vnde obseruatur esse tonitruosus præcunctis ventis, porro ob congelatiuam & constrictiuam suam dispositionem coarctat nubes ligatque aquas in glacies.

Dextra *Boreæ* ala est ille ventus, quem dicunt *Circium*, atque hic flat ab eo occidentis puncto in quo circulus arcticus secare obseruatur horizontem occidentalem: Est hic ventus in sua conditione frigidus & siccus, sed aliquantulum ob eius ad angulum occidentalem propinquitatem ad humiditatem inclinat, sed siccitas nihilominus præualere animaduertitur. Hic solet ventorum gyros seu turbines proferre, niues item producit, nubes & vapores in aere coarctat, seu potius ipsum aerem & formam vaporum inducit, ac tandem in nubes niuosas transmutat: Est etiam hic ventus fulminosus, hocque præcipue in æstate.

Horum trium Ventorum proprietatem tam in salutis quam morbi in vtroque mundo productione filo quidem longiori in volumine nostro proximo vbi de Salute & morbo agemus Deo propitiante protrahemus.

Cap. VI.

De Ventis tribus Australibus cum ipsorum conditionibus in meteororum productione.

DEnique Cardinalis & in meridie principaliter regnans ventus, qui à polo Antarctico spirare dicitur, *Auster* vocatus est, ab hauriendo aquas vt nonnulli volunt. Hic in sua natura est calidus & humidus, vnde non modo grossas & assiduas nubes solet congregare, verum etiam largas pluuias effundit: hic fulminare, aerem grossum & spissum reddere, nebulas nutrire, atque etiam sæpicule fulminare & tonitrua larga edere solet, Porro vt Boreas est ventus durus & humores indurans, ita Auster est mollis & mollificans.

Ala huius dextra flat à loco intersectionis, facta à circulo antarctico in Horizonte Orientali, & vocatur *Euro-Auster*, qui in sua qualitate est calidus & humidus, at vero propter eius ad angulum Orientalem aspectum aliquantulum est calidior & non omnino ita humidus vt Auster: hic est nubifer atque quandoque tonitruorum productor.

Ala eius sinistra est *Austro-Africus*, qui flat à puncto Horizontis occidentalis vbi circulus Antarcticus secat ipsum: hic ventos tempestuosos producit, qui cum nubibus quandoque tonitrua concomitantur.

Hinc ergo videtis, quod intuitu vulgari atque experientia communi docti percipiunt, quod meteora quasi omnia à ventis procedunt, at vero, quid sit horum Ventorum internum profecto Ethnici nescire nobis videbantur, vtpote qui ipsorum internum agens exhalationes è terra scaturientes, atque calore solari animatas inconsulte satis fecerunt: A Diuo vero Iohanne docemur *quod nesciatur vnde venti oriantur, aut quo vadant, & quod spiritus soleat spirare vbi vult*: Et Propheta ait, quod *Iehoua fecerit Angelos suos ventos, & ministros suos flammam vrentem*, quo quidem sermone perspicue explicare videtur, quod duplices sint ventorum species more Angelorum, vtpote qui audiuntur & minime videntur, suntq; occulti, & qui videntur & lucidi sunt, & minime audiuntur, nisi per effectum, vt in tonitru sunt fulgura & coruscationes. Atque ita & tædio tanti laboris defessi quasi & fatigati, finem huic volumini, (non sine perpetua ad Deum creatorem nostrum gratia & benedictione pro tanto fauore & illuminatione) lubentes imponimus.


FINIS.

DE

DE EXPERIMENTO QVODAM VNIVERSALI METEORORVM ORTVM DIGITO QVASI DEMONSTRANTE.

Præludium quoddam breue, in quo Machinæ huius spiritalis ratio per aliam machinam, sæpius à nobis antea relatam & demonstratam, clare explicatur.

IN tractatu primo Libri 1. Macrocosmicæ nostræ historiæ, quandam de experimento quodam spiritali figuram delineari curauimus, mediante qua integrum Rari & Densi mysterium, & consequenter Macrocosmi in tenebris & luce efformandi rationem ad amussim per totum eiusdem tractatum describere sedulo & serio sumus aggressi, & tametsi quam plurima alia ad rationes nostras statuminandas experimenta atque demonstrationes vbique fere in eo discursu assignauimus, tamen nihilominus principalem nostram intentionem ex ea ipsa, quam in fine cap. 6. lib. 1. Tract. 1. illius historiæ depinximus, eliciendam duximus, quare melioris recordationis causa illud hoc in loco iterum expressimus.



In qua demonstratione experientia docti asseueramus, quod olla F. G. aqua repleta, extremam curuatæ tubæ portionem F. recipiens, & pila, seu globus (fiatis ex plumbo, vitro, seu terra minime porosa) alteram tubæ extremitatem B. D. tam stricto more deglutiens, vt nullus aer exterior possit penetrare, mirum in modum exprimunt per aquam in tuba ex olla F. G. exaltatam. Densi atque


Rari mysteria. Quare si pila vitrea seu plumbea B. A. D. sit aut sole aut igne calefacta, necesse est vt aeris densi pars in pila seu globo illo per tubam inflexam B. E. F. exspiret in ollam aquæ plenam, atque ita per aquæ superficiem in forma bullarum exeat, At vero refrigescente globo vel pila illa paulatim, necesse est vt aer calore prius attenuatus iam iterum incrassescat, sed quoniam pars aeris expirata est, ideo inter F. & A. spatiũ atq; etiã in toto globo illo non sufficiens reperitur aeris portio, quæ aerem in vase contentum adeo spissum reddere potest, quam fuit antea, vnde fit, vt tantum aquæ in tubam inflexam sublimetur, quantum aeris subtiliatione effluxerit per aquæ superficiem: at vero illam aquam ita eleuatam paulatim atque gradatim iterum (radiis solaribus aut igne calefacientibus pilam) descendere videbitis, propter reiteratam subtiliationem aeris in pila: imo vero eo profundius descendet quo aer in pila comprehensus magis erit calefactus.

Sed quoniam non adeo fortasse facile est factu hoc instrumentum, nos aliud eiusdem plane naturæ & conditionis, & vulgari apprehensioni familiarius in hunc modum construximus.

Cap. I.


De Instrumenti experimentalis Fabrica.

INprimis in promptu habendum est vas aliquod vitreum vel terreum, vnius Lagenæ quantitatem continens, cuius figura erit huiusmodi.



Quod vas aqua limpidissima taliter est implendum, vt non nisi vnica eiusdem quarta relinquatur vacua: at vero, quoniam aqua simplex tempore hiemali glaciei impressionibus est obnoxia, vnde fit, vt gelu fixata neque sursum neque deorsum mouere queat, ideo vitrioli azurei quantitas in ea est dissoluenda, cuius vnione non modo repelluntur atque propulsantur intensiores frigoris impulsus, verum etiam aquæ aspectus iucundior & intuentibus altioris inuentionis atque artificii videbitur quam reuera est.

Tum postea ne istiusmodi machinæ fundamentum & operationis ratio omnibus pateat vas illud ita aqua impletum in pyxidem ligneam rotundam tanquam arcam occultam est includendum atque occultandum, forma cuius erit eiusmodi, In ipsius summitatis centro foramen, ad matracei infra describendi magnitudinem adaptatum, est faciendum: Pyxidis figura hic sequitur.



Denique eligendum est vas quoddam vitreum, matraceum ab Alchimistis dictum, collo oblongo, corpore satis amplo præditum, cuius colli pars aperta in cooperculi pyxidis lignei foramen centrale immitti & firmiter fixari debet, adeo vt corpus eiusdem perpendiculariter in aere supereemineat, quo facto, diuidatur colli residuum, quod inter corpus matracei & foramen pyxidis interest in 12. vel plures partes æquales hoc modo.




Denique recipiatur cooperculum cum matraceo in eo ita fixatum, & igni obiiciatur paulatim eiusdem corpus A adeo vt calefiat, ac tum postea immediate claudatur pixis cum suo operculo, ita vt orificium matracei B in fundum fere vasis aqua repleti immergatur, & subito percipies aquam paulatim ex vase in collum matracei sublimari.

Hoc idem sine pixide potest perfici, videlicet solo vase aqua impleto, atque matraceo prius calefacto; Nam (vt antea dictum est) pixidem solummodo artificii nostri ab in doctis occultandi causa eligimus.

Cap. II.

De instrumenti istius experimentalis proprietate & vsu.

HOc igitur modo adaptato instrumento istiusmodi, quemadmodum hic depictum atque designatum habetis.



A. B. C. D. vas aqua impletum.
E. F. G. H. I. K. Pixis lignea cuius E. F. G. H. est cooperculum.

L.M. est

L. M. eſt collum matracei cuius L orificium aquæ immergitur.
N. eſt foramen in cooperculo, per quod pars colli aquæ immerſa ingreditur.
M. eſt matracei portio in partes duodecim æquales diuiſa.
O. eſt corpus matracei perpendiculariter erecti.

ad eiuſdem proprietatem & vſum propere progrediendum operæ pretium putamus. Inprimis igitur obſeruandum eſt, quod calefacto corpore matracei O. aer in eo comprehenſus à calore externo calefaciente ſubtiliatur, & ſubtiliatus locum ſpacioſiorem requirit ad ſuam exiſtentiam comprehendendam, vnde fit, vt maior aeris portio, in corporis illius concauo à frigore congregata & contracta, jam à calore plus minuſue ſubtiliata atque dilatata, ampliorem requirat locum pro ſua exiſtentia, atq; ob hanc cauſam eius portio in aerē apertū egredi cogitur, dū caleſcit vas ſeu matracei corpus. Hinc igitur factum eſt, quod impoſito matracei colli orificio (caleſcente adhuc vaſe) in aquam, quo magis corpus illud paulatim frigeſcit, eo magis etiam & gradatim aqua in matracei collum ſublimatur, videlicet à gradu 1. & 2. & tū poſtea à 2. ad 3. cuius rei ratio eſt huiuſmodi, videlicet, quoniam actio frigoris omnimodo eſt illa caliditatis contraria, quare ſi caloris ſit ſubtiliare, atque locum ampliorem ſeu magis ſpatioſum pro re ab ipſo ſubtiliata ſeu attennata requirere, ſequitur inde, quod vice verſa frigoris ſit rem à calore diſcuſſam & rarefactam inſpiſſare atque congregare, & in locum arctiorem redigere. Hinc ergo factum eſt, quod gradatim euaneſcente caloris vigore, & conſequēter inualeſcente frigoris virtute, quoniam maior aeris portio attenuatione à vaſis concauitate expulſa eſt, & nouus aer ſufficiens ad ſpiritus inualeſcentis proportionem, ob medii aquei impedimentum, in vaſis ventrem attrahi non poteſt, ideo neceſſe eſt, vt aquæ portio ſuppleat aeris defectum, atq; loco aeris in matracei collum eleuetur, quoniam aer ſubtiliatus vniuerſam corporis cauitatem olim implens, iam ſtiptica & congelatiua frigoris facultate in locum anguſtiorem contractus, vacuum in vaſe à natura nullo modo admiſſum relinqueret, ſine aquæ ſupplemento illud ſpatium implente: quemadmodum alibi latius.

Attracto ergo atque ſic eleuato aqueo corpore, ob ſucceſſiuam frigoris irreptionem atque exuberantiam, neceſſe erit, vt in perpetuum ſucceſſiuum frigoris aut caloris incrementum aperte is oculis diſcernatur, nam, ſi modo vel aer vas illud circumambiens, vel aliquid magis corporeum vaſi appoſitum ſeu adhærens coaleſcat, quo vel aer ille circumſtans, vel res vaſi applicata intentior erit in calore, eo magis deorſum verſus pixidem declinet, à qua in collo exaltata verbi gratia, ſi ſecundum frigoris ſtatum aqua ſteterit in gradu 6. vel 7. colli caloris incremento, ſiue ſit in aere circumſepiente, vel manus ſeu alterius rei applicatione corpori, per tot gradus deſcendet aqua, per quot caloris proportio erit aucta in aere incluſo.

Huius rei ratio in promptu eſt, quoniam ſcilicet, quo maior (vti dictum eſt) fuerit caloris proportio, eo etiam maior erit aeris incluſi ſubtiliatio ſeu rarefactio: at quo rarior & ſubtilior erit res facta, eo locum appetit latiorem & magis liberum pro ſua exiſtentia: nam vnus aquæ pugillus dilatatus in aerem decies tantum requirit loci in quo comprehendatur, quantum ſibi in aquea ſua conſiſtentia vindicaret, atque eadem etiam eſt ratio ſeu proportio inter aerem & ignem; nam aer incenſus calore migrat gradatim in ſubtilitatem ignis. Hinc ergo eſt, quod aer in vaſis corpore incluſus & à frigore olim contractus, & in arctiorem locum redactus, iam caloris acceſſu dilatatus, detrudit aquam in collum ſublimatam deorſum, vt pro maiore vel minore ſuæ rarefactionis ratione locum ſibi comparet ampliorem, aut anguſtiorem. Nonne docemur experientia, quod aqua in vaporem ignis violentia redacta, locū vaſtiorē pro ſua libertate requirat? Quicunq; ergo ſe exactius ad huius rei inquiſitionē accinget ipſum experimentis à nobis & c. 2. Exper. 12. & Exp. 13. & Exper. 16. Tract. 2. Part. 7. lib. 3. c. 1. Reg. 6. & Reg. 7. prolatis referri volumus, vbi infinitam naturæ ſeipſam dilatantis facultatem luculenter expreſſimus: Porro & in puluere Bombardali hoc idem euidentius ignaris explicatur, cuius parua in ſubſtantia ſua terrea portio in fumum magnum inſtar nubis ingentis conuerti ſolet, omnia ſecum rapientem & confringentem, ſi eius libertas ſpatioſa impediatur; ſic etiam in extractione aquæ fortis ex ſale petræ & vitriolo conflatæ recipiens, maximum ſpiritus eius ex retortæ orificio exilientes comprehendere deprehendimus. Concludimus igitur, quod calor dilatando faciat aerem in corpore incluſum aquam in collo ſublimatam repellere, quo ipſe dilatatus ſibi locum acquirat ampliorem, ſecundum maiorem vel minorem caloris effectus in aere incluſi dominationem.

At vero decreſcente & langueſcente caloris effectu, frigoreque gradatim reuiuiſcente atque prædominante, neceſſe eſt, vt omnis caloris præeuntis virtus atque operatio tollatur, atque vt è contrario frigoris proprietas & actus illi caliditatis contrarius producatur. Hinc ergo eſt, quod vt in caloris actu aqua in collo eleuata deorſum eſt impulſa, ſic iam contraria frigoris affectione effectus contrarius proferri ſoleat.

Huius autem rei ratio eſt huiuſmodi, quoniam ſcilicet vt caliditatis proprietas eſt, ſubtiliare & rarefacere, in quo actu ſpatium latius requiritur ad ſubſtantiam ſubtiliatam comprehendendam, ita

ita quidem è regione frigoris officium est inspissare ac densum facere, illud quod subtiliauit calor, in qua eius proprietate contrahit illud in minorem locum & quantitatem quod dilatauit calor: & quo magis insultant frigiditatis effectus, eo etiam magis constringitur aër, & in locum arctiorem comprimitur.

Hinc ergo est (ne vacuum committeretur) quod totam illam aquam, quam caloris actus deorsum trudebat, actus frigoris contrahendo aerem sursum attrahat, & per tot gradus magis sursum illam vehat, per quot frigus in suo dominio exal atur supra caloris potentiam.

Quod autem ad harum proprietatum rationem initialem attinet, illa quidem abunde à nobis explicata est lib. 1. ca. 4. partis primæ huius, vbi agitur de principiis meteororum accidentalibus &c. atque eandem etiam in sequentibus luculentius enucleabimus.

Cap. III.

De vario istius instrumenti experimentalis vsu.

TAmetsi præcipuus in istiusmodi instrumento demonstrando scopus sit, vt ab eius actione duplici motu contraria, aptissima meteororum speculatio eliciatur, mihi tamen hoc in loco obiter propositum est, de vulgari eiusdem vsu ad contemplationem nostram sequentem minime impertinenter verba facere.

Generali ergo ipsius actione constrictiua seu aquæ sursum per aeris contractione, Densi seu spissitudinis cuiusque rei rationem percipimus, quæ quidem naturæ actio à frigore (vti superius relatum habetis) prouenit, actione vero dilatationis mediante, qua aqua deorsum, propter aeris inclusi dissipationem & resolutionem, propulsatur, Rari seu subtilitatis in natura, causam percipimus, quæ proprietas à calore deriuatur: vnde certum est & citra omnem dubitationem certiores sumus facti, quod nihil in vniuerso naturæ regno rarefieri aut subtiliari possit, nisi mediante luce seu igne, siue sit visibilis seu inuisibilis, cuius effectus est calor, & vice versa, nihil condensari aut constringi seu inspissari posse, vbi tenebræ dominium non habent, vtpote quarum effectus est frigiditas, vti supra loco antea citato luculenter explicatum est.

Vsus eius magis peculiaris est multiplex: nam imprimis & magis euidenter solet naturalem aeris externi statum & temperamentum in calore & frigore indicare. Nam quo magis sursum per colli gradus tendit aqua, eo maior est frigoris in aere dominium, vnde tam in qualibet anni quarta, quam in die septimanæ per exaltationem aquæ de gradibus frigoris iudicare possumus: imo vero & in eodem die caloris solaris & frigoris conflictus percipiemus, & permulta alia obseruatu digna. Porro etiam eadem plane ratione per motum contrarium caloris dominium in qualibet anni quarta die vel hora eliciemus: quę quidem obseruationes sunt res momenti haud exigui, in naturæ & mysteriorum eiusdem enucleatione.

Præterea illi ijdem effectus à calore vel frigore aduentitiis præstari solent, vnde fit, vt si solam manum super corporis matracei fundum applicauerimus, aer inclusus à calore membri applicati subtiliatus, ictu quasi oculi aquam deorsum inclinare vrget, remotaque manu à vase, aqua protinus in locum suum pristinum à frigore naturali ei assignatum aspirare gestit.

Denique debita istiusmodi instrumenti obseruatione, & vigilanti aquæ motus animaduersione, calores fornacum chymicarum mensurare possumus: nam si duo huiusmodi instrumenta in promptu habeamus, quorum vnum aeris naturaliter affecti clementiæ expositum sit, alterum vero foramini ex fornace spiranti applicatum rationem producent adaptionis vnius ad calorem artificialem alterius ad illum naturalem, ac tandem illud artificiali applicatum rectificabitur in suo gradu per hoc naturale. Vnde facillimũ erit elicere vnitatem proportionis in calore artificiali hoc modo, videlicet adaptando gradum caloris in aere naturalis ad illum artificialem, verbi gratia, si calor instrumenti naturaliter dispositus aquam repercusserit solummodo ad gradum 7. at vero calor instrumenti fornaci applicati illam ad gradum 4. depresserit, tum obseruare mihi licebit, ignem artificialem excellere illam naturalem per tres tantummodo gradus, quare, si calor in aere naturalis in posterum diminuatur, & aqua ad 8. vel 9. gradum ascendat, expectabo, quo ad aqua in instrumento artificialiter applicato per eandem proportionem ascendat ad gradum 5. vel 6. Ita vt semper obseruet in sua distantia proportionem triplam, quæ calori artificiali est ascribenda, & sic in cæteris.

Iam vero ad secundam huius libri partem accedam, vbi de meteororum generationis contemplatione stricta, ad instrumenti istius spiritalis actionem seu proprietatem ratione habita Deo propitiante discurremus.

PARS SECVNDA LIBRI huius Experimentalis.

Cap. I.

De primaria condensationis & congelationis ratione.

VT caliditatem & eiusdem effectus à Deo patente effluxisse à nobis in superioribus abunde declaratum habetis, ita quidem etiam frigiditatem & eius effectus à Deo latente ortum suum primordialiter duxisse ostendimus, nec tamen fuit frigiditas (quamuis ex tenebrarum & hylæ ventre parta ,) vel loco vel tempore quid actu , prius quam & caliditas suam in mundo sibi vendicauit essentiam ; nam frigiditas non aliter in mundo esse cognoscitur, nisi quatenus natura & proprietate caliditati omnimodo opponitur, & tamen, Deus latens, quoad nos, putatur esse tempore Deo patente antiquior, quoniam ante mundi creationem incognitus erat, & otiosus quasi, respectu capacitatis humanæ, vnde à Cabalistis & Rabbis Hebraicis AEN dictus est, hoc est nihil, & non ens, quippe qui sibi ipsi solummodo cognitus & in se consistens, talem enim fecerunt in occulta philosophia peritiores sapientiam ante mundi fabricam , videlicet principium tenebrosum, actum habens in sola potentia, vnde & illam in hoc respectu Aleph tenebrosum dictitarunt, hoc est quod nondum è tenebris effulsit, sed radios suos reflexit in seipsum , vnde Mercurius Trismegistus dixit, *Monas generat Monadem & in seipsam reflexit ardorem suum*: si igitur omnis ardor & feruor sit à reuelatione, & ab effluxu hoc est ab actu diuino reuelato, videlicet ab emissione & emanatione fulgoris diuini, à centro tenebrarum ad eiusdem circumferentiam , quando scilicet Deus latens conuersus est in Deum patentem seu Aleph tenebrosum in lucidum , sequitur, quod omnis algor & frigus ratione contraria procreetur, nempe à contractione radiorum diuinorum in se , in quo actu medium aereum calore priuatum (vtpote qui ab actu emissionis & non retractionis luminis diuini oritur) locum cedit frigori , quæ qualitas habet suum nomen & dominium non aliter à priuatione caliditatis, quam siccitas ab absentia humiditatis: & quo magis Deus contrahit vel abscondit in se seu suo centro suum actum, eo etiam magis abundat frigus , dominiumque habent tenebræ densæ & terrestres, quare & in tali casu aer vertitur in nubes densas & tenebrosas, in pruinam, in niues, grandines, atq; etiam in gelu, quoniam sapientia (quæ est vita spiritus mundani, & consequenter vniuersi mundi) retrahens seipsum à circumferentia centrum versus, contrahit etiam & spiritum, cui non aliter est vita quam anima corpori, atque etiam tam immensus est materiæ creatæ ad formam centralem creantem appetitus, vt illam naturali quodam instinctu sequatur , eique obediens sit , tam ad dilatandum quam ad contrahendum , secundum spiritus creantis voluntatem , ac si vehementer formidaret, ne deserendo radios benevolos sui creatoris , deformis redderetur & plane nihil, qualis erat in principio. Hinc ergo est, quod in hoc mundo tot contraria ex binario genere consistentia habeamus (vnde à Pythagoricis numerus binarius numerus dicitur confusionis & imperfectionis) videlicet tenebræ & lux, nox & Dies, Diabolus & Deus, mors & vita, quies & motus, nihil & aliquid, peccatum & iustitia, quorum his lucis illis tenebrarum præsidet princeps , quamuis reuera hæc omnia centrali consideratione non sunt nisi vnum , vnde certum est, quod vnum est omnia, seu vt in sacris literis habemus, Christus seu sapientia est omnia, vel principium & finis, vel Alpha & Omega, vel centrum & circumferentia: nihilominus respectu varietatis actionum , sine qua nulla in mundo esset mutabilitas, nulla in rerum natura generatio & corruptio, hoc vnum in res, quoad nos mortales, varias diuidi atque distribui videtur: nam absoluta contractione generali radiorum diuinorum omnia in se creantium, necesse est vt mundus in nihilum redigatur: particulari necesse est, vt illud indiuiduum , ad quod spectat illa priuatio seu retractio , etiam patiatur mortem , vel eo propinquius ad mortem tendat, quo efficacius ad se & in se euocat vel contrahit Deus radios benignitatis suæ, quod etiam ab his Prophetæ regii verbis aperte satis est colligendum , *Deo abscondente faciem suam creaturæ conturbantur , recipiente spiritum eorum expirant & in puluerem suum reuertuntur , emittente spiritum suum recreantur: Psal.104.29.*

Vbi per occultationem faciei suæ intelligitur radiorum suorum viuificorum auersio vel contractio magis minusue in se, per receptionem & absolutam contractionem , vnde fit completa vitæ priuatio, motusque vitalis ablatio, & corporis fixatio, & in puluerem redactio. At vero, per emissionem spiritus ipsius mortua resurgunt, ægrota ad pristinam reducuntur sanitatem , & reficiuntur bono, atque in statu vnitatis atque entitatis specificæ permanere animaduertuntur.

At hinc dicit psalmista regius, *Vita adest beneuolentia Iehouæ. Psalm.30.6.* Et alibi, *vitæ fons penes te est, Psal.36.9.*

Et

Et alibi, *vitæ prorogatio benignitas* DEI, *Psal.* 90.14. Et Iob dixit, *Visitatio sua conseruauit spiritum meum, Iob.* 10.12. Et Moyses, *Ipse Iehoua Deus tuus vita tua est, & longitudo dierum*; Sed de his apertius alias.

Ex his igitur luce meridiana (ni fallor) clarius apparet, quod contractione seu reflexione radiorum diuinorum in se frigus oriatur, hoc est caliditatis absentia: & à frigore congelatio facta est, & quies, & motus ablatio, atque consequenter mors seu vitæ priuatio. Hinc ergo est, quod terra, vltimus seu extremus in rerum natura ordo maxime quiescit, immobilis est, atque fixa, vtpote frigiditate incrassante & contrahente perfusa. Est ergo primaria congelationis & constrictionis origo à DEO centraliter latente, radiosque suæ bonitatis in se ipsum contrahente & reflectente (vti Mercurius Trismegistus habet,) vel vt propheta Dauid vult; *abscondente faciem suam, vel recipiente in se spiritum suum Psal.* 104. vt vice versa primarium resolutionis & dilatationis initium est à Deo patente, radiosque seu spiritus suæ bonitatis vndique huc atque illuc pro placito suo emittente, iuxta illud prophetæ regii, *creaturæ Deo emittente spiritum suum recreantur*, vel vt Mercurius Trismegistus vult, Cum Pimander se reuelare voluit, omnia in lumen conuersa sunt iucundissimum, &c. Sed de hoc principio reuelato seu luce primaria in lucem redacta in consequentibus latius agemus.

Cap. II.

De primaria subtiliationis atque dilatationis occasione atque origine.

Condensationis atque inspissationis causam primordialem Dei latentis effectus, frigora scilicet, fuisse indicauimus, nunc autem subtiliationis & dilatationis causam à Dei patentis actionis efficacia originaliter profluxisse demonstrandum esse necessarium putamus. Vt igitur secundum exilem hominum capacitatem Aleph tenebrosum seu Deus latens quiescere hoc est otiosus minimeq; actiuus atque consequenter in sola potentia existens à Cabalistis existimatur, hoc est respectum habens ad nihil, vnde & à Cabalistis NIHIL dicitur, sic etiam è regione per Aleph lucidũ Deũ patentẽ, h. e. Deũ agentẽ, seipsum reuelantẽ, omniaq; emanatione sua verboq; lucido illuminantẽ atq; creantẽ, intellexerunt, similiter vt frigoris natura est, condensare, incrassare, quiescere, & minime agere, nisi sit reagendo, h. e. propulsando calidi actiui insultus: ita quidẽ videmus ꝙ vice cõtraria caliditatis natura sit subtiliare, nunquam quiescere, sed in actione semper versari, eius contrarium ergo est frigiditas. Ex quibus considerare fas erit, quod caliditas sit Dei patentis actuum partus & primogenitura, vt frigiditas est Dei latentis soboles immediate procedens, locumq; & seriem suam tenens inter progressum illum, qui fit à Deo latente ad Deum patentem, hoc est, inter Deum respectum habentem ad nihil, & ipsum ad mundi vel creaturarum eiusdem informationem intentum; vnde fit, vt fons frigoris sit sola potentia, vtpote quod cum sit qualitas, est tamen per se potentialis, & non introducitur in actum, nisi respectu ad caliditatem habito, vnde ipsius denominatio est respectu caliditatis, nec quidem agere solet nisi quatenus repatitur, & quasi reuerberat actiones à caliditate ortas. Cum tenebris ergo quiescit frigus instinctu naturali, cum luce; regnat & agit calidum; atque hinc est, quod vt caliditas ad rerum generationem vt plurimum conducens obseruatur, sic etiam frigiditas est semper priuationis comes, & tamen ambas has qualitates contrariæ ab vnico Deo in essentia emanare certum est, proprietate vero differente, vnde dicit Sapiens. *Eccles.* 7.14. *Bonum & malum, vita & Mors, paupertas & diuitiæ à Deo sunt.* Nam ea ipsa natura quæ est generationis, est etiam corruptionis author & occasio. Abscondente ergo Deo faciem suam, hoc est ad naturam suam occultam inclinante, regnat frigus & languescit calor, emittente vero spiritum suum, hoc est seipsum manifestante seu reuelante, augetur caliditatis effectus. Per Deum ergo in simplici sua essentia consideratum, sine vllo ad creationem respectu, Deum latentem intelligimus, at per verbum significauerunt scripturæ sanctæ secundam personam, primam emanationem in mundum, lucem in mundo increatam, mediante qua omnia sunt facta & sine ea nihil, vti apud Iohannem habetur, verbum ergo in sua virtute agit, atque eius actionis effectus producit calorem, & calor ad diuini sui parentis imitationem semper mouere gestit, & ab actione nunquam quiescit, sed dilatando atq; attenuando laborat, atq; ea destruere nititur, quæ frigiditas construxit. Hinc mors atq; vita, generatio & corruptio, hinc crassum & subtile, hinc cœlum & terra, hinc lucidum & tenebrosum, hinc motus & quies. Sed diuersam harum qualitatum dispositionem, cum cuiuslibet ipsarum principio primordiali luculenter nos docuit Propheta regius in his verbis. *Qui deiicit gelu suum tanquam frusta, coram frigore eius quis consistat: Emittens verbum suum liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum effluunt aquæ, Psal.* 147.17. Quo sermone colligere licet, quod Deus in frigida sua proprietate incrassat tenuem aerem in gelu & niues, & pruinam (vt ante versu præcedenti luculenter explicatum est) At vero per verbum suum, hoc est, per sui ipsius reuelationem, ea sic à frigore incrassata & condensata iterum subtiliatione resoluuntur, & à terrestri spissitudine in aquam, & ab ea in aerem educuntur.

Correlatiuum ex Demonstratione.

HÆc omnia, quæ jam de frigore & calore sunt narrata, ab effectu (mediante machina nostra experimentali) optime indicantur. Nam quod ad frigiditatis naturam inprimis attinet, obseruamus, quod prædominante ea in aere aperto vel in corpore matracei, aqua magis magisque eleuatur sursum, cuius rei rationem in promptu habemus, videlicet, quoniam aer inclusus olim à calore externo dilatatus, nunc adueniente & insultante frigore, magis magisque pro frigoris intensione & dominio contrahitur, quæ contractio fit à necessitate & instinctu naturali, at vero, quoniam vacuum in rerum natura non admittitur, ideo necesse est, quod aqua huic aeri incluso contigua, impleat illum locum, quem antea aer ob suam dilatationem occuparat, atq; ita sursum visibiliter eleuatur, propter intensæ frigiditatis præsentiam, & quo magis dominabitur illa frigiditas, eo etiam magis gradatim in altum attolletur aqua. Viceuero versa prædominante calore in aere externo, vel vasis superficie, aer internus seu in vase inclusus dilatabitur, propter rationes à nobis superius allegatas, & in dilatatione sua locum requirit ampliorem, quo contineatur. Vnde etiam & aqua à frigore olim prædominante attracta jam vt aeri dilatanti locum cedat, descendit, & se per totgradus humiliare videtur, per quot calor frigori præualere obseruatur. Atq; hoc ad generalem huiusce machinæ cum re naturali considerationem accipite. Nunc vero ad magis particularia transcendemus.

PARS III.

De stricta Meteororum inquisitione ex istius machinæ proprietatis obseruatione.

CAP. I.

De ventorum Origine.

ALibi à nobis vbertim est declaratum hocque iuxta sanctæ paginæ doctrinam, Deum esse actum actuum Creaturarum creatorem, lumen luminum, & vitæ motusque fontem. Hic omnium rerum fons, hic spirituum spiritus primarius, vnitatum vnitas, seu circuli vniuersi centrum, Verbum suum emisit, hoc est lucem suam olim contractam, & in se, hoc est, centraliter occultatam manifestauit, per quam lucis suæ diuinæ seu verbi emanationem (quæ est Tetrogrammati virtus, seu ipsum verbum diuinum, seu lux in mundo quam mundus non comprehendit) omnia in sola potentia existentia in lucem & Esse mirabiliter produxit, iuxta illud Psalmistæ regii. *Verbo DEI firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*, *Psalm.*33. Vel vt Diuus Petrus vult, 1. *Petr.*3. *Cælum prius & terra ex aqua & per aquam mediante verbo DEI.* Hæc ergo lux omnia creans & omnia centraliter mouens, completo tertio creationis die, posuit tabernaculum suum in sole, hoc est, centrali habitatione solis, tanquam omnium creaturarum pulcherrima, & munditie ac puritate dignissima. A solis ergo fonte est vitæ scaturigo, lucis tam cælestis quam elementaris emanatio, & spiritus vniuersalis anima & actus, cui ergo & omnes aliæ stellæ velut imperatori solium & sceptrum tenenti obtemperant, Sed & ipsius virtutem in spiritum mundanum agnoscere videtur Sapiens, idque his verbis expressissimis. *Postquam occiderit sol iterum ad locum suum aspirat, vnde oriatur, properat ad meridiem & circumit Aquilonem, & conuersione sua circumiens properat aer*, (vel vt Hieronymus interpretatur) *spiritus*, at Pagninus hic habet, *Subinde circumeundo Ventus, & ad circuitus suos reuertitur ventus. Ecclesiastis cap.*1. Et reuera, cum anima & actus mundi sit à sole inuisibili seu interno, in sole visibili tabernaculum suum statuente, non est dubium, quin omnis spiritus mundani vis atque motus originem suam duxerit ab eo fonte, & consequenter omnem aeris vniuersi motum seu exagitationem esse à solis centrali, quasi intimo rerum omnium principio agente. At ventus ab ipsis philosophis Ethnicis (quorum doctrinam nostræ ætatis Christiani quasi diuinorum antistitum præcipue sequuntur) nihil aliud esse dicitur, quam aer motus seu exagitatus, quare sequitur, quod omnes eminentis aeris motus à quacunque terra oriantur, à principio huiusmodi interno centrali, quamuis differentibus mediis excitetur: Sed hoc non solummodo à sacris scripturis confirmatum habemus, verum etiam ab ipso Peripateticorum principe, Aristotele nempe, etiam sibi ipsi in hoc contradicente, à quo venti (in hoc haud inconsulte) dicuntur filii Titanis Astreæ & Auroræ, vtpote qui à calore solari procreantur, quoniam solis est aerem reddere subtilem & rarum, hocque præcipue in Aurora: at vero dicuntur mandatis Iunonis obedire, quatenus non flant nisi in medio aereo, quod

quod Iuno nuncupatur. Vnde sat liquido demonstratur, quod in hoc Aristoteles & Salomon conueniant: videlicet aerem siue ventum à radiis & motu solari gubernari. At vero ventorum motus varietatem à variis solis & cæterarum erraticarum aspectibus seu reflexionibus accidere certum est, atque Astronomorum peritorum experientia comprobatum. Cum vero omnes stellæ vitam & Esse luminosum à sole accipiant, inde sequitur, quod omnes Planetarum actiones ab ipsorum propter diuersos ad inuicem aspectus influentiis profluentes originaliter à Solis anima seu vnitate centrali proueniant, nec mirũ, cum ab eodem igne diuersos oriri videamus effectus. Verbi gratia, calefacit clementer, torrefacit & vrit sine misericordia, humectat per accidens, quod fit subtiliando, & tamen de sicca humiditatis ablatione à terra calcinata viuificat & destruit, reflexione corpora magis cruciat, in angulum contractus viuaciter penetrat, expansus euanescit. Pariter sol agit diuersimode, secundum media diuersa per quæ transit, verbi gratia, in aere calefacit suauiter, in aqua magis temperatur eius ardor, terram quandoque fouet, graminaque & herbas & arbores, vegetare facit, & quandoque terram & eius fructus comburit & findit excessiuo suo calore: at vero, nihilominus sol est in temperatura sua essentiali semper idem, nec variare cernitur, nisi ob mediorum & corporum diuersitatem: nam in aere aperto clementer fouet, at mediante speculo ardente crudeliter vrit, & tamen semper in se est idem & eiusdem virtutis solummodo pro more passiui recipientis varie agere obseruatur, verbi gratia, in cœlo radios suos communicat corporibus planetariis, qui iterum reflexione secundaria vel tertiana, hoc est ab vno Planeta ad alium, secundum diuersitatem distantiæ locorum, & differentiam corporum, & varietatem aspectuum, varios in elementis proferunt effectus: hinc ergo est, quod cum Deus vult hunc vel illum effectum, pro placito suo, secundũ naturæ ordinem, in terra vel aere procreare, tunc hũc vel illum Planetam respicit, cuius aspectu & cæteri planetæ se inuicem respiciunt, atque hinc inde venti varij oriuntur, quorum animæ nihil aliud sunt, vti ante est copiose declaratum, quam spiritus seu dæmones, à variis cœli mundis seu orbibus planetariis influxionibus occultis deorsum demissi; hinc diximus in præcedentibus, quod Angelus soli præsidens sit Metattron, quem nihil aliud esse explicauimus secundum Cabalistarum doctrinam, quam emanationem illam primariam, seu sapientiam illam lucidam ante omnia creatam, à qua omnia tum postea sunt creata, cui etiam omnes angeli boni obedire atque obtemperare solent, non aliter quam cæteræ stellæ soli virtute, luce, & dignitate postponendæ sunt, & consequenter omnes illi præsides angelici seu intelligentiæ, quibus orbium illorum lucidorum imperium attribuitur: qui aspiciente sapientia à suo palatio centrali, in solis visibilis meditullio existente, solis inuisibilis mandata & voluntatem, tanquam domini diuini & vniuersalis perficiunt.

Correlatio ad machinæ illius nostræ proprietatem.

DEVS, Lucis, & consequenter caloris (qui est lucis effectus fons & origo supernaturalis) posuit tabernaculum suum in sole, à quo fonte naturali vim igneam dat cœlo & elementis, deinde elementatis tam cœlestibus, cuiusmodi sunt stellæ erraticæ & fixæ, quam sublunaribus, inter quæ fulminaris ignis & ille terrestris primum sibi vendicant locum: Si ergo aereus spiritus alteretur à calore immediate igneo, seu ab agitatione seu motione violenta, vti in duorum corporum collisione & rotæ circumuolutione liquet, hoc respectu principii naturalis oritur primordialiter à Sole, qui vim suam centralem, tam mouentem & agitantem, quam calefacientem à Deo, mediante suo angelo Metattron accepit, videmus ergo, quod mediante Calore, cuius pater est sol, aer seu spiritus vniuersalis, & consequenter particularis regatur, & dilatatione moueatur atque circumducatur, non aliter quam halitus humanus introducitur & extra spiratur, mediante anima humana. Particularis ergo spiritus in vitro seu matraceo inclusus, caloris præsentia dilatatur, & in dilatatione sua ampliorem requirit locum, ita vt eius spissitudo quam congregauit frigus, jam dissipetur & pellatur in partem contrariam sedis caloris.

Sic etiam in ventorum Hyemalium generatione certum est, ipsum solem primum obtinere locum. Ratio in promptu est, quoniam scilicet sole in partibus vltra æquinoctialibus prædominante, & mirum in modum propter radiorum suorum perpendicularitatem ibi locorum calefaciente, necesse est, vt aer tempore æstatis nostræ, sole videlicet Taurum Geminos Cancrum & Leonem habitante, frigore condensatus, jam (tempore dico apud nos brumali) iterum præsentia solis propinqua dissoluatur, subtilietur & ob subtilitatem suam locum ampliorem requirat, in quo contineatur, quare crassior aeris pars in partem seu polum mundi oppositum ab Austro Septentrionem versus vt plurimum tendit, idque minori vel maiori violentia, secundum maiorem vel minorem solis actionem in aere, in plagæ illius aperto. Hinc ergo fit, quod Venti Australes sint tam frequentes in tempore apud nos hyemali, videlicet propter attenuationem aeris in Antarctica æquatoris parte, quæ fit præsentia solis, vnde etiam euenit, quod aer illius quartæ seu plagæ ita rarefactus,

lineæ æquinoctialis limites transit, atque partes boreales violẽto modo petit, atq; hinc generantur venti illi Australes, quorum flatum pluuiæ ideo concomitari solent, quoniam aer ille, à regione Antarctica Arcticam versus recedens, animam in se solarem habet, mediante qua ita vehitur, vnde fit, vt calidi sint isti venti: hic autem aer subtiliatus se cum denso aeris borealis miscens, illum protinus sua præsentia multiplicat in quantitate, vnde resistentia venti occulto modo flantis à Septentrione, inspissat, & sua anima inspissatum in aquæ guttulas dissoluit; sed de his infra latius. Nonne videmus hoc omne per machinæ nostræ contemplationem expressum? vbi aer inclusus frigore condensatur, calore vero rarior est factus, & in rarefactione sua comprimit aquas, & locum magis spatiosum requirit. Ad ventum vero Borealem quod attinet, eadem est illius cum altero sibi opposito ratio; nam aere tempore nocturno in meridionalibus partibus valde præsentia solis claro & potenti, & ob reflexionis virtutem, seu applicationibus cuiusdam planetæ cum eo multiplicatam calefacto, quærit Borealem partem, inprimis Zonam tepidam, deinde temperatam, at denique frigidam illam vbi nostri sunt antipodes, hocq; in forma venti meridionalis, semper aerem densum ante se in sua dilatatione pellens versus punctum Arcticum, non aliter quam in machina nostra videmus, aerem in concauitate matracei inclusum dilatatione pellere ante se aquas densas. Inde aer ille in forma Austri persequens, radiis solaribus ita animatus, partim ab extrema poli frigiditate, partim à compressione loci, & partim à caliditate, sua inclinatione violenter à parte Boreali versus æquinoctialem pellitur, & si radiis atq; spiritibus simul atque cum illis planetæ applicantis, præcipue si sit Mars, fortiter muniatur, cum fulgure ac tonitru accidit iste flatus, quales sæpissime prouenire videmus in æstate, at si debiles sint spiritus inclusi animantes, tunc cum niue & extremo frigore veniunt, quales cernimus in hyeme. Sed hic inprimis notum facimus, quod si ventus ille apud Antipodes Australis accidat æstiuali tempore, & præcipue sole existente in cancro vel prope tropicum illum, tunc experientia docti sumus, aerem illum subtiliatione ab Austro pulsum, & per Arcturum transeuntem, ob solis ad illam plagam propinquitatem, ab Aquilone non niues neque grandines, sed vt plurimum pluuias ob loci naturam frigidas facere, quod fit, quoniam radii solares, in partibus Borealibus iam potentiores ob reflexionis directionem facti, & seipsos cum aere dilatato permiscẽtes, vtpote illum animantes & Septentrionem versus pellentes, fortiter agunt contra frigidam poli naturam, illamq; laxant. Nonne apertis oculis hoc idem per machinæ præcedentis proprietatem percipimus? Licet etiam illud quod à sapienre superius allegatum est, istud satis superque confirmare videatur. *Ortus* (inquit ille) *sol, postquam occiderit iterum ad suum locum aspirat vbi oriatur, properet ad meridiem vt circumeat ad Aquilonem, conuersione sua circumiens properat aer* (vel vt alii volunt) *ventus, & secundum circuitus suos reuertitur.* Quibus innuere videtur, quod venti animentur à spiritu solari, cuius spiritus internus est ipsa lux increata, quæ posuit tabernaculum suum in sole, qui vt est spiritus spirat centraliter in se, circumferenter in aere, seu spiritu creato, seu vento externo, hoc est, extra se ad patris suis voluntatem perficiendam. Hinc dixit Propheta, *Ventus facit mandatum DEI, Baruch.* 5.6. Et Euangelista, *spiritus vbi vult spirat, Ioann.* 3.8. Et Psalmista regius, *Qui educit ventum è thesauris suis, hoc est ex occulto aeris seu cœli sinu, Psal.* 135. Sic etiam dictum est, *Iehouam adduxisse ventum orientalem in terram tota die illa & nocte: Et conuertit Iehoua ventum occidentalem valde fortem &c. Exod.* 10.13. Et alibi, *Impellit Eurum in cœlos, & inducit robore suo Austrum, cum impluisset super eos carnem, Psal.* 78.26. Et alibi, *Deus aptat pondus vento seu aeri & appendit aquas in mensura, Iob.* 28.25. vnde manifestum est Deum, seu Verbum, seu Sapientiam, ex palatio suo sese nempe intuentem, vel pro placito suo exilientem, dare animam ventis, imo vero & in ventis præsentialiter adesse quod confirmatur *Psal.* 18.8. *Iehoua insidens Cherubinis volat super alas venti,* & alibi, *qui facit angelos ventos & ministros flammas ardentes,* Et alibi, *Flante Deo concrescit gelu &c.*

Hic autem intelligendum est quod ventus meridionalis seu Auster, apud Antipodes violentus, est causa venti apud nos Borealis, & viceuersa, ob rationes à nobis superius allegatas.

Cap. II.

De Nubium & consequenter pluuiarum origine.

EAdem plane ratione facta est nubium & pluuiarum procreatio. Nam aer subtiliatione, à radiis solaribus procedente, dissipatur in partibus æquinoctialibus, iuxta vel vltra quam lineam radii solares perpendiculariter feriunt, & partes dissipatæ ad Zonam temperatam, iam propter longinquam solis absentiam frigefactam, & consequenter condensatam coguntur, vnde fit vt aer iste subtiliatus, & Austri subtiliatione compulsus, & spiritu solari attenuante animatus, seipsum cum aere Zonæ temperatæ & frigidæ permiscens, cõpressione partium mutet aerem illum in vaporem densum, qui etiam in nebulæ, nubeculæ, vel nubis substantiam migrat, quę iterũ ob centralem aeris subtiliati calorem ei à sole inspiratum prompta est in aquæ guttulas liquefieri, & in naturam pluuiæ conuerti. At si aere hoc subtiliato partem borealem petente, ventus fortior (vnde & denominationem suam sibi vindicat) à plaga Aquilonari spiret, tum frigoris sicci superabundantia in niues conuertuntur

uertuntur

vertuntur isti spiritus, ab Austro Septentrionem versus volantes, simul atque cum aere loci frigore condensato, quoniam caloris in vento Australi actus, à fortiori frigore boreali obtunduntur & cohercentur.

At vero, nonnunquam accidit, vt nubes ab Euri regione congregentur, quod accidere solet propter oppositorum vel transuersorum ventorum flatum, cuius anima est calor solaris, vel stellaris, à sole excitatus, aerem illius quartæ rarefaciens, & ille aer ita rarefactus, comprimit & congregat aerem loci frigidioris, vtcunque etiam in gradu remissiori flante plaga opposita fit, quod secundum intentionem & remissionem venti oppositi nubes densiores vel remissiores in media aeris regione congregari solent. Tota ergo nubium in aere & ex aere procreatio, si principia primordialia & supernaturalia petamus, à sapientia diuina in sole habitante, omnia in cælis & in terris secundũ voluntatẽ suam perficiente fieri assolet: Hinc dicit Propheta Moyses, *aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimũ cælos, dando pluuiam terræ tuæ tempore suo: Deut.* 28. 12. Et psalmista regius. *Nubibus densis obtegit cælos Deus quæ comparent terræ pluuiam. Ps.* 147. Et sapiens ait: *Sapientia eius abyssi ruperunt, & cæli stillant rorem, Prou.* 3. Et alibi. *Ex ore altissimi prodii, & tanquam nebula cooperui terram. Eccl.* 3. Et alibi. *Fuit statim, vt nubibus cæli obscurarentur, & vento, vnde fuit pluuia magna* : 1. *Reg.* 18. Et alibi, *Deus facit pondus aeri & appendit aquas in mensura, facit pluuiæ statutum, Iob.* 28. Et alibi. *Quis sapphireas nubes effecit sapientia? & vtres cæli quis prosternit?* At dictum est, Deum posuisse tabernaculum suum in sole, hoc est spiritu lucido increato, primordialiter ab ipso procedente, soli quasi tabernaculo influxisse à quo radios vitæ vndiq; emittit per mundum, quibus mundus viuit & sustentatur, principia vero secundaria, sunt solis radii, aerem vndiq; pro voluntate sui principii interni ducentes, circumrotantes, & iugiter regentes atque conseruantes in mundo, quam ipsam animam lucidam in re qualibet composi.a, esse sui spiritus (qui est proximum eius vehiculum seu tabernaculum) ducem atque gubernatricem obseruamus, hoc est illud, quod sapiens per verba antea prolata intendit, quæ Hieronymo interprete sunt huiusmodi. *Postquam occiderit sol iterum ad locum suum aspirat, vnde oriatur, properat ad meridiem, & circumit Aquilonem & lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus*, vel, vt Tremellius vult, *Conuersione sua circumiens properat aer*, vel, vt Pagninus vult, *subinde circumeundo pergit ventus, & ad circuitus suos reuertitur ventus.* Ex quibus colligitur, quanta sit aeris vel spiritus, vel venti ad solis impressiones recipiendas, obedientia & aptitudo. Denique tertiana nubium principia sunt venti, qui vario suo flatu congregant atque accumulant aereos mõtes, hocque per viam compressionis & condensationis. Et tamen hæc omnia principia relationem habent synceram ad vnicum illud principiorum principium increatum, quod posuit tabernaculum suũ in sole, quippe sine quo omnia sunt nihil, & cum quo omne quod est tale existit quale reuera est, iuxta illud Euangelistæ. *Christus est omne & in omni*, Et alibi. *Per illud verbum omnia sunt facta, & sine eo nihil est factum quod est factum. Ioan.* 1. Nam quid obsecro est nubes sine vento ? quid ventus nulla ad solem consideratione habita? quid deniq; sol lucida eiusdẽ anima extincta? quis deniq; primus huius animæ motor? quæ intima eius vita absente eo qui posuit tabernaculum suum in solis spiritu? à quo vitam & esse vndique creaturis suis dispergit, diuinus iste & centralis Apollo, amabilis & gratiosus vniuersi mundi cupido. Lux ista mundi increata, inuisibilis Dei filius, in visibili Dei filio (vt Platonis est) sedem suam obtinens, cui sit laus honor & gloria. Amen.

Correlatio.

Videmus in instrumento nostro experimentali, ipsum aerem in matraceo inclusum caloris contactu seipsum dilatare, & in dilatatione sua locum ampliorem & magis spatiosum requirere, vnde contra caloris ipsum dilatantis quartam, motu tam forti, imò vero cõtra corporis sui leuitatis naturam deorsum tendit, vt densum etiam aquæ massã ante se compellat, atq; vrgeat, quibus docemur, quod aer solari calore dilatatus, vt plurimum vel dextrorsum vel sinistrorsum in mundo mouetur, atq; leuibus alis à caloris sede, videlicet loco solari, recedit, hocq; multis gradib. velocius quam in vitro, tum propter ingentem solis in aere aperto motum tum quia aer dilatatus, ab aere inspissato non tantum oppugnatur aut repellitur, quantum à grossa aqua & densa. Sequitur ergo, quod si aer aeri applicatus seu iunctus, densiorem aerem procreare soleat, necesse sit, vt istiusmodi aeris incrassatio compositionem faciat mediam, inter aquam & terram mediocris substantiæ. Nam necesse est, vt sit medium inter duo extrema, videlicet aquam & aerem. At vero aeris in aquam condensationem, & iterum aquæ in aerem rarefactionẽ, ingenue agnouerunt in philosophia naturali peritiores, mediũ ergo inter huiusmodi terminum, à quo ad quem est vapor, & vapor dẽsior vel laxior talem procreare solet nubẽ, qualis ipse est, quæ nubes tandem in aquarum guttas resoluitur. Aer ergo attenuatus, aeri spisso permixtus, in vaporem transit nubeculosam, qui tandem in pluuiam distillare cernitur. Sed & hoc, etiamsi nõnulli ignari essent ipsi oppositi, oculari experientia cõprobare possumus, transeundo à minori ad maius hoc modo: Si aeris subtilitatis pars in aqueam substantiam transmutari solet, multo magis ille aer aeri grossiori iunctus, at aeris subtiliati pars in aqueam migrare solet substantiam, maior euidens est, minor vero huiusmodi experimento sequenti explicatur.

Excipe vitrum satis rotundum, solo aere repletum, & hermetice obturatum, id cineribus fere totum,

totum, excepto eius vertice, cooperiatur, & gradatim sub eo accendatur ignis suauis, siue sit carbonum siue lampadis, non refert, & percipietis oculis, quod calefacta inferiori vasis parte, ob calorem loci illius aer in vitro contentus attenuabitur, at quoniã locus amplior seu vastior pro corpore aeris attenuati propter compactam vitri compositionẽ haberi non potest, ideo necesse est vt in frigidiori vasis parte, vertice scilicet, seipsum in forma densiori & magis visibili quam fuit antea prodat, vnde primum in fumum album, & deinde in guttas pedetentim se mutabit, quod quidem à me sæpius est probatũ. Simili plane ratione in dissolutione aquæ in aerẽ, quę fit per fortẽ illius ebullitionem, primum ventum excitari animaduertemus, ventumq; vaporem cõcomitari, qui tum postea in aerem euanescit, ita etiam (cum contrariorum seu oppositorum eadem sit ratio) aer à solis calore calefactus, in frigore cum aere denso facile condensatur in nubem, multo magis propter materię condensandæ copiam, cum prædictum experimentum monstret, hoc idem simplici aeris condensatione præstari solere: vnde liquet, quam absurda sit illa Peripateticorum opinio affirmantium, quod causa nubium sit, vaporum à terra & aqua in media aeris regione propter loci qualitatem congelatio, similiter experientia docti sumus, quod nubes & pluuiæ tam raræ sint æstiuo tempore, propter forte dominium, quod radii solares habent in aere nostro, quoniam quo magis est aer subtilis & rarefactus, eo ab inspissatione in nubem est remotior: at si forte contrariis flatibus aer attenuatus congregetur, & in nubis existentiam migret, tunc tantis spiritibus igneis vt plurimum permiscetur, vt inde tonitru & coruscationes exurgant.

Cap. III.

De fontium & consequenter fluuiorum origine.


Ex præcedentibus tam speculatione rationibus philosophicis nitente, quam praxi experimentali à nobis satis superque demonstratum existimamus, aerem omnia in hoc mundo implentem virtute caloris (cuius fontem communem diximus esse ipsum solem,) dilatari in suis regionibus, & dilatatione locum ad dilatatam suam substantiam recipiendam ampliorem, tam sursum & deorsum, quam dextrorsum & sinistrorsum, atq; ante & post requirere. At vero viceversa hunc illum aerem vniuersaliter dispansum, frigoris præsentia magis aut minus, secũdum maiorem aut minorem prædictæ qualitatis prædominationẽ condensari, atq; in vnum conglomerari atq; contrahi explicauimus, atq; etiam annotauimus, quod vt aer dilatatus ampliorem sibi locum requirat, ita quidem contractis suis membris loco angustiori sit contentus. Quod quidem cum ita sit, sequitur, quod æstiuali tẽpore fontium & fluminum deminuendi atq; exiccandi ratio non sit, ob suæ aquæ euaporationem, iuxta Peripateticorũ sententiam in aerem, nam si hoc esset, exinde sequeretur, quod calor solaris non esset causa subtiliationis aeris sed potius incrassationis ipsius, nã si substantia aquatica fontium & fluminũ esset in aerẽ euaporata, tunc necesse foret, quod aer esset spissior æstiuo tẽpore, & consequẽter, quod sol sua propinquitate & radiorũ directione non rarefaceret, sed potius spissum faceret aerẽ, quia docemur caloris proprietatem esse rarefacere & non incrassare, quod ẽt ex prædicti nostri experimenti proprietate elicimus, quoniam præsentia caloris dilatatur aer in matraceo cõtentus, vt ẽ cõtrariõ frigoris insultu iterũ incrassatur. Sed vt vlteriorem in hac re inquisitionẽ faciamus, videamus obsecro, quod si substantia fluminum & fontiũ in aerem conuertatur, tempore æstiuali, quid tandem factũ est de illo aere superfluo, cum extrema solis caliditas semper ad aeris subtiliationem intendat? Certe nõ in nubes cõuertitur, quia æstiuo tempore, & præcipue extremo modo calescente sole, nubes nõ sunt adeo frequentes, nec pluuiæ in tanta abundantia, imo vero vt in sacra pagina habetur, quod cæli sint ænei & sicci, nubesq; si quę adfuerint steriles, vnde sequitur, quod contra philosophorum antiquorũ doctrinam, alia sit huius fluminum, fontium, & stagnorum dimanationis causa, alia eorum via, licet inuisibilis & admodum abstrusa, videlicet aer hemisphærii admodum subtiliatus latiorem & vastiorem pro sua existentia locum requirens, deorsum obtrudit fontium aquas in suos gurgites & in terræ penetralia madorem descendere facit. Nõne hoc idem oculari machinæ nostræ demonstratione indicatur, in qua videmus, quod præsentia caloris aer in matraceo contentus, dilatatione ampliorem sibi locum requirat, vbi & calor in sua dilatatione non conuertit naturam vasis aquæ inferioris per collum sublimate in aerem densum, cum talis eius sublimatio sit omnimodo cõtra naturę caliditatis leges, sed visibiliter illam deorsum ad sua penetralia latebras profundas (à quib. sursum frigoris conatu primitus eleuata erat,) detrudit. At fortassis aliquis de loco quęstionem faciet, quo illa aqua ita depressa apud nos tempore æstiuali moueatur, dum vndæ eius à nobis absconduntur, quoniam sine dubio necesse sit, quod aquæ fontium semper sint in motu: cui respondemus cum sacro Biblio, quod ad mare reuertantur à quo prius decesserunt, nec tamen crescere videtur mare, quoniam illam, quã recusauit æstiualior mundi quarta, aquæ portionem distribuit mare, ad quartam mundi hiemalem, nam citra vllam controuersiam, quantis gradibus Borealibus mundi hemisphærium excellit in caliditate & siccitate, tantis etiam præpollet illud Australe in frigiditate & humilitate.

Atque


Atque hæc eſt ratio, quod mare ſemper ſibi eandem in quantitate portionem vindicare videatur, iuxta illud ſapientis. *Omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur, quocunque loci flumina properant, eodem reuertuntur propere, Eccleſiaſt. 1. verſ. 7.* Quam ſtolida igitur ſit illa Ethnicorum philoſophantium opinio facile ex his videre poteſtis, quorum eſt ſentẽtia, quod materia fontium & fluminum ſit vapor in aquam reſolutus & liquefactus, à calore & frigore ſimul, intra terram, ſicut nubes, nix, pluuia. Aut ergo ſacræ ſcripturæ ſunt falſæ, aut hæc Peripateticorum opinio eſt plane imaginaria. Et tamen nihilominus Chriſtiani ipſorum aſſeclæ ſeu diſcipuli, adeo magicis iſto modo philoſophantium Ethnicorum poculis ſunt intoxicati, vt falſas ipſorum opiniones veris & infallibilibus ſpiritus totius veritatis præponere geſtiant, & vnicum viuaciter in lucem producam. Velcurius Philoſophiæ apud Chriſtianos Doctor, & in Europæ Academiis in æſtimatione haud minima habitus, in eo loco vbi de fontium & fluminum natura tractat, ita loquitur, *Non conſentiunt plane ſacræ literæ cum Philoſophis, de ortu fontium & fluminum, quæ ex mari per varios alueos, meatusq́ꝫ fluere, ac ad ſuos fontes refluere, Eccleſ. 1. capite ait: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant. Cæterum phyſici* (inquit ille) *materiam iſtorum dicunt eſſe vaporem reſolutum in aquam, & liquefactum à frigore & calore ſimul intra terram.* Hæc ille, & tamen recedit ille ab hoc fonte veritatis in ſua doctrina, & philoſophiam ſuam ſeu inſtructionem, neglecto Salomone, à philoſopho Ethnico Ariſtotele capit, vnde fit, vt in ſcientiis omnibus à philoſophia naturali dependentibus, imo vero & in ipſa Theologia vulgariter pertractata, tot inueniamus contradictiones, adeo vt ipſa veritas nubibus quaſi præſtigioſis & tenebris nobis Chriſtianis incarcerari videatur. Sed ad rem redeamus. Certiſſimũ eſt, contra Peripateticorum doctrinã, etiam aſſeuerante pagina ſacra, quod fontium nutritio ſit à mari, & non à vapore ſeu aere in terra incluſo, in vaporem ibi loci à frigore condenſato vt ipſi volũt. Nam quid opus eſt multis operationibus, cum res per pauciores à natura ſoleat perfici, cum & hoc ſit axioma inuincibile ab ipſis mundo publicatũ, videlicet, *quod fruſtra fiat per plura quod fieri poteſt per pauciora*; nam ſine aeris in vaporem, & vaporis in aquam conuerſione, aqua ſimplici ſua natura, per terræ penetralia & occultas viſcerum ſuorum venas, è profundo maris gurgite ſola ſtiptica & aeris congregatiua in frigore natura, ſurſum per poros & venas terræ vehitur, quod tam rationibus philoſophicis quam practico hoc noſtro experimento ad amuſſim indicatur; nam niſi tam arcta eſſet inter elementũ aquæ & aeris contiguitas, vt vnum ab alio ſeparari non poſſit, monſtrum illud in rerum natura, Vacuũ ſcil. admitteretur, Vnde neceſſario ſequitur, quod vbi aer per vaſa vndiq; concluſa recedit, ibi etiam aqua, propter naturalem vnius cum alio amplexum, ſequatur. Hoc autem à nobis exacte eſt demonſtratum per concluſionẽ *Regulæ 7. Tract. 2. Part. 7. Lib. 3. De Technica Macrocoſmi hiſtoria*, Vbi agitur de motu elementari, Regula eſt huiuſmodi, *Subſtantia elementi aquæ contigua eſt aeri, commiſtione tenaci ita vt non ſit inter ea diſtantia. Ex hoc ergo contingit, quod aqua cum aere eleuetur ſurſum*, Et in fine iſtius regulæ demonſtratio experimentalis ſequitur, quam hoc in loco expreſſimus.



Porro etiam per regulam octauam eiuſdem explicatur quantus ſit inter aquam & aerem nexus, vbi olla in fundo multis foraminibus perforata & in vertice vnico foramine imbuta exprimitur, quę ſi ad medium ſuæ capacitatis vſque aqua impleatur, ita aeri alteram ipſius medietatem implenti adhæret, vt obturato foramine in vertice facto ne gutta quidem aquæ per foramina ipſius fundi ſeu baſis effluere poſſit. Experimentum ſequitur.



Sed & hoc luculentius adhuc per machinæ noſtræ obſeruationem perſpicitur, vt in corollario ſequẽti latius explicabitur. Dicimus ergo, quod fontis repletionis & diminutionis cauſa primaria & immediata ſit frigus & calor, de quib. antea ſatis ſuperq; locuti ſumus; nã frigoris natura eſt ſpiritus cõdenſare, atq; proinde eos in locũ vaſtiorẽ dilatatos, in ſedem arctiorẽ per viam cõgelationis congregare. Hinc inde accidit, quod extrema frigiditas hyemis contrahit aerẽ in gelu, & niues, & grãdines, & nubes, & contractione aeris in eius cẽtro, aer etiã in ſua cõtractione eleuat è ſuis cauernis, per venas, quarum orificia in fontium viſcera penetrare ſolent, maximam aquæ quantitatem, ne vacuum admitteretur, atq; ita radicaliter nutriuntur flumina: Et quidem hoc aliter ſe habere non poteſt, quoniam tanta eſt inter aerum & aquam propinquitas & concatenatio, vt contracto aere prius dilatato, neceſſe ſit, vt ipſa aqua inviſibili & tota ſua natura, ſurſum petendo, immediate ſequatur, ne vacuum admittatur in rerum natura; quemadmodum ex multis Heronis experimentis ſpiritalibus lucide explicatur, atq; demonſtratur: Et præcipue in obſeruatione experimenti noſtri in fine capitis 6. lib. 1. Tract. 1. De Macrocoſmi principiis, vbi globus A. aere repletus eſt: At hic aer ſolis radiis ſubtiliatus per tubam B. E. F. emittit portionem ſui in vas C. G. at abſentia ſolis aer in globo ſe iterum condenſans attrahit ad ſe tantum aquæ vaſis. G. per tubam F. E. B. quantum egreſſus eſt aeris ſubtiliatione facta quod ni perficeretur, in natura illud monſtrum horrendum, Vacuum ſcilicet ſequeretur. Experimenti deſcriptio eſt huiuſmodi.



At vero vice contraria caliditatis est subtiliare atq; dilatare aerē, vt ista præcedente demonstratione indicatur, qui in sua subtiliatione locum latiorem quærens, nō aquas è terræ meditullio sursum attrahere, sed è regione illas magis deorsum premere videtur, quo pro sua existentia scopum latiorem acquirant. At vero fontem harum aquarum vniuersalem mare esse diximus, quod etiam à sancto Biblio intimari videtur hisce verbis, *Congregentur aquæ quæ sunt infra cœlum in locum vnum vt conspiciatur arida & fuit ita, Gen.* 1.9. Aridam autem vocauit Deus terram, congregationem vero aquarum vocauit maria. Sed obiter contra hæc, quæ à nobis scribuntur, quidam obiicere possunt: quod si hoc esset verum, tunc venti copiosius & vberius flare solerent eo tempore, quo frigus in Zona nostra est intensius; at vero tempore gelu pruinæque frigidissimus reperitur aer, ergo hisce temporibus magis centraliter contrahetur aer, & consequenter vberiora erunt flumina, & affluentiores atq; repletiores fontes. Quibus respondemus, quod causa profluuii & fluxus copiosioris fontium non sit solummodo à frigore regionis in qua fluunt, aerem loci contrahente, atque consequenter aquas in terra occultatas propter aquæ cum aere vicinitatem & connexionem sursum attrahente, verum etiam caliditas loci oppositi aerem subtilians admodum est idonea, verbi gratia, in brumali apud nos tempestate, quādo sol spatia vltra æquinoctialem plagam, polum scilicet Antarcticum versus occupat, videl. vel scorpionem, sagittariū, & præcipue capricornum perambulans; aer loci seu spatii illius terrę obdirectionem radiorū solariū subtiliatur, atq; locum spatiosiorē vndiq; i.e. circulariter, petit, pro sua existentia dilatata: vnde fit, vt fontes illius loci detrudantur versus terræ viscera seu centrum, ob hanc rationem facillime præbet ista actio calida materiā calidam, ad fontium Septentrionalium multiplicationē, quæ materia ita oblata, tū postea absentia sua, seu languore caloris solaris in partib. Septentrionalibus, h.e. propter obliquitatem & debilitatem radiorum in iis ferientiū, videl. frigoris dominio aerē contrahentis, sursum vehitur, & fontes copiose implet. At vero certū est, ꝙ non magis aqua à frigore boreali possit eleuari, quam secundū eam proportionem, quam caliditas australis in terram depressit, ꝙ quidem si aliter accideret tunc relinqueretur vacuum in rerū natura absurdissimum, ipsi naturæ abominabile; atq; hinc est, quod tametsi flumina (iuxta illud sapientis) in mare cōfluant, tamen mare non redundat, aut est vno quam alio tempore plenius: est n. in natura circularis motus, sed nullam admittit ipsa auctionem vel diminutionem. Et quamuis videmus quod inundationes fiant & fluminum egressiones è suis alueis in partib. suis borealibus, hoc tamen à pluuiis copiosius accidere solere docemur, quæ ob ex extremam aeris locorum australium subtiliationem fiunt, in qua portio grandis illius aeris ita subtiliati, mediante flatu australi, in partes conducitur boreales, vbi à loci frigore in nubes reducitur, ac tandem à proprio suo calore, quem à solaribus radiis accipit via inspissationis statim dissoluitur in pluuias, nam calor inclusus apertum naturaliter

appetit aerem, densosq; frigoris amplexus summopere euitare conatur. Quomodo autē hoc quod supra est dictum, fiat, & qua ratione aquæ salsæ deueniant dulces in præcedenti oratione, vbi de formali fontium ratione facta est mentio, abunde loquuti sumus.

Corollarium.

QVid pluribus Verbis opus? Nonne in machinæ præsentis nostræ obseruatione videmus, quod caloris ad matraceum accessu aer dilatetur, & quod in dilatatione locum ampliorē pro sua existentia requirat? quod ex eo probatur, quoniam aquam, frigoris præsentia per multos gradus in matricis collo eleuatā, sensim aeris dilatatione deorsum repercussam oculis apertis animaduertimus, quæ quidem experientia chymicis nonnullis vulgaribus admodum chara & laboriosa, imo vero etiam admodum periculosa fuit, nam in aquæ fortis ex sale nitri & vitriolo confectione, spiritus è paruula massa in retorta contenta exilientes, ob aeris nitrosi dilatationē, non sunt vastissimo cōtinente seu recipiente vitreo contenti, sed (sciens loquor) vas illud in infinitis particulis, sonitu ceu sclopeti horrendo comitante, misere dilacerarunt, vt vastiorem in aere campum pro sua existentia acquirerent. Hinc ergo fontium diminutionis ratio in æstiuo tempore, quoniam scilicet caloris solaris præsentia aer in nostra Zona attenuatur, vt per diligentem proprietatis machinæ nostræ intuitum videre licet, quare non sibi sursum attrahit aer dilatatus, sed contra deorsum detrudit aquas terrestres. Sic videmus in paralyticis, quod nerui attenuatione relaxati, non tendunt & ad motum attrahunt membra, ad functiones suas perficiendas, sed viceuersa deorsum terram versus cadere, hoc est, deorsum terram versus premi notamus. Nonne hoc idem in instrumenti huius nostri actione obseruamus, cuius aqua frigore eleuata, caloris præsentia, & aeris rarefactione gradatim deorsum pellitur? Pari scilicet ratione hyemali tempore aerem frigore contractum, & in contractione sua fontes aqua exuberantes, & flumina aquis turgentia videmus, quod factum esse diximus ob aeris constrictionem, qui ad motū suum mouet etiam & ipsam aquam, quæ est quasi serua & pedissequa eius mouet inquam aut à centro versus circumferentiam fugando, hocq; in calida & dilatata sua conditione, vel à circumferentia ad centrum contrahendo, hocque in frigida seu cōtractiua & congregatiua sua natura. Ecce in machina nostra signum, vbi frigoris cōtactu ita condensatur aer in matraceo contentus, vt aquam per tot gradus extollat in altum in matracei collum, per quod intenditur in sua natura frigus; vnde liquet, quod hæc sit ratio, cur aquæ à centralibus terræ penetralibus in altum eleuentur, videlicet frigoris hyemalis præsentia.

Cap. IV.

De Meteororum Lucidorum origine, & quomodo in aere rarefacto procreentur.

CVm igitur ocularis nos doceat experientia, quod quo magis calescat aer, eo etiam & rarior sit & subtilior; sequitur exinde viceuersa, quod quo rarior & purior est aer, eo è ad elementi ignis seu spiritus lucidi & ignei naturam propius accedit, quemadmodum è regione liquet, quod, quo magis aer frigescit, eo etiam magis densus redditur, quare primus aeris condensandi gradus est in vaporis consistentiam, secundus in consistentiam nebulæ, tertius nubis, quartus pluuiæ, quintus niuis, atq; vltimus grandinis & glaciei, Talis etiam est graduum respectus, in aeris à statu suo mediocri ad extremam eius vsq; ad sphæram ignis attenuationem, videl. ventus, ignis fatuus, stella cadens, fulgur, coruscatio, columna ignis atq; cætera cometarum genera: quæ omnia meteora ignea pro sua existētia habent aerē calore igneo rarefactum. Hic autem diligenter nobis obseruandum existimamus, quod occultum, h. e. maxima spiritualis pars aeris est lux, ipsum aerē non aliter quā anima animal viuificans, atq; vndiq; pro suo velle agitans: est igitur occultū seu internū aeris, quod in eius cētro inhabitat, purus ignis, vt & eius manifestum seu externū est substantia quædam humida, lucem illam occultam non aliter tegens & includens, quam corpus animam: nubes densa fulgura, est n. ignea seu centralis aeris substantia purus ignis, quē Deus in prima creatione, cum dixit *Fiat lux*, in vniuersum spiritum mundanum inspirauit, exuendo ergo vestem suam humidam seu occultum manifestando, & manifestum occultando, aer humidus inuisibilis in ignem inuisibilem mutatur: at vero quēadmodum videmus ipsum aerem externum & manifestum, sed inuisibilem, contractione speciē vaporis visibilis primū, & deinde densæ nubis induere, ita etiam percipiemus aerem occultum seu igneum inuisibilē primū in coruscationis & fulguris substantiam, & deinde in arctiori contractione in meteoron visibiliter igneum cometam scil. stellam cadentem, ignem fatuū, & huiusmodi alia mutari. Terminus ergo à quo tendit aer à mediocri sua natura subtiliatione est ignea existentia; at vero ille ad quem à mediocri sua natura migrare solet, est natura densæ nubis, vnde liquet, quod in aere mediocri sit aptitudo, vel ad tenebrosam naturam virtute inspissationis, vel ad lucidam existentiam, via scilicet rarefactionis, atque hoc modo tam tenebrosa meteora quam lucida in mundum producuntur, ex quibus tum postea tam internum quam externum, hoc est, tam anima quam corpus cuiuslibet rei tam simplicis quam compositæ deriuatur.

EPILOGVS.

Cum Philosophorū Christianorū quā plurimi, ēt in doctrina atq; scientia physica, more Peripatetico

tetico tradita, peritissimi (Lectores beneuoli, & iustitiæ alis cœlũ versus elati; momos n. & inuidia refertos ab hisce nostris cõuiuiis in exilium perpetuũ relegamus; nã sacra profanis sordib. aut quæ Dei lucidi sunt, spurco & tenebroso Diaboli cæno cõspurcare foret impiũ) syncera fronte & bona cõscientia ducti, ingenue calamoq; publico sint fassi Peripateticorũ in re physica doctrinã, vtcũq; magna astutia subtilitateq; obuelatam, & superficiali ꝓbabilitatis facie indutam atq; ornatam, in multis q̃ exertissime & ĩmaniter ab inuiolabili sacrarũ literarũ sensu discrepare, dissentire atq; aberrare: operę haud exigui momẽti pretiũ futurũ existimaui, Philosophiæ Aristotelicæ figmentum seu velũ erroneũ deponere, atq; in perpetuũ totius veritatis trophæũ in proscenio mundi publico erigere, vt etiã cæci huius seculi Christiani, atq; obscæna ethnicorũ spurcitie intoxicati, apertis intueãtur oculis, ad vltimũ vsq; Pereat fruiturũ Deũ fortẽ trophæo ꝙ mediante verbo suo *Fiat* in machinæ vniuersæ primordio fixit ipse. Quis n. hominũ creatoris tã immensæ dignitatis, virtutis, atq; potentiæ, Dei tantæ clemẽtiæ, bonitatis atq; benignitatis laudes sufficienter ebuccinare, aut honores cultusq; ei debitos celebrare, verbisue calamoue exprimere põt? qui infinita pietate cõpassioneq; mera incitatus, nõ modo ipsũ mundũ (eum lucido vndequaq; suo spiritu exornãdo) mirabiliter creauit, creaturisq; omnis generis impleuit, verũ ẽt hæc omnia ad vsum hominis, creaturæ nobilissimæ, vtpote ad suã similitudinẽ conditæ atq; formatæ, ex incõprehensibili sua erga eũ misericordia ordinauit, adaptauit, eiusq; vsui more paterno & charitate pleno subiecit, si Michaelis, Angeli Dei magni & lucidissimi, erga Draconẽ, tenebrarũ Principẽ, victoria pro re maxime grata & à creatore suo benemerente habebatur, certe nobis Christianis, bonis Dei sanctis, licet dignitate & libertate Michaeli longe postponendis, neq; criminis aut vitii loco obiiciendũ, aut pro re in cõspectu creatoris ingrata habendũ speramus, malignos huius mundi dæmones, carne humana circũductos, (qui veritatis lumẽ tenebrosis suis figmẽtis, & ꝓstigioso erroris peplo, vtcunq; falsis coloribus & externa facie sophisticato, extinguere aut certe obscurare conantur) viriliter atque hostiliter sub lato & securo *Ieuouæ* velo aggredientes, debellare, ipsorũ dolos detegere, figmentũ atq; fucum diabolicum aqua veritatis viua abluere, atq; caliginẽ seu tenebrosum ipsorũ tegmen detrahere; vt ita lux & veritas illa diuina, istiusmodi diabolorũ Ethnicorũ astutiis diu depressa, aut Christianorũ oculos multis iã seculis lat[illegible]s (quo tanta & tã immanis Idololatria, videl. creaturis opacis, quæ Dei sunt, falso attribuendo, in mundũ irrepsit) iterũ in sua gloria vltimis huius mũdi ætatib. exurgat, quo corda humana vanitate seducta, & serpentis antiqui delusionibus in tenebris diu aberrantia, longã post noctẽ, ipsius veritatis crepusculũ jã tandẽ ab oriente paulatim ascendens è longe ꝓspiciant. Hanc ẽt & ego viã capessens, mentisq; meæ acum seu aciẽ stellã veritatis lucidæ polarem versus dirigere gestiens, pro honore inprimis Dei nostri, quẽ vtpote solũ & vnicũ mundi & nostrũ creatorẽ, ante omnia, idq; syncere reuereri, eiq; intima cordis nostri sacrificia atq; libamina prębere cõuenit, & tũ postea ad beneficiũ hominũ Christianorũ, vt ipsi cæno Ethnicorũ hæsitantes atq; inhærẽtes, piceis atq; obscuris dæmonum humanorũ laqueis diu captos se ipsos paulatim idq; quam queant minimo redimere possint. Sacrã igitur hoc in volumine philosophiã, profanã illã Ethnicorũ vnica quasi offa deglutientem, à nobis publicatã habetis, alterũ quasi *Michaelem* seu veritatis Angelũ, errorũ Ethnicorũ dr[illegible]conẽ tristem & sęuum à veritatis quasi cælo in rudẽ ignorantiæ & deformitatis abyssũ propulsantẽ. Non meũ (inquã) opus, sed diuinas, verbi in naturæ humidæ gremio seu viscerib. habitantis, h. est. vbiq; in mundo regnantis, operationes, actus, atque opera mirabilia designata & ad viuũ depicta habetis; verã (dico) naturã humidã seu Psychen pulcherrimã creaturã, luce vel emanatione diuina in mirũ & vltr[illegible] quã explicari põt, modũ vndequaq; animatã atq; adornatã, h. e. cupidine potentissimo, Iouis sobole seu Sapientia potius lucida & amore igneo repletissima *Iehouæ* filio impręgnatã, præsentia cuius omnia olim inania & vacua jã tandẽ plena & fertilia diuinisq; dotib. exuberãtissima reperiuntur: Non meũ inquã opus, sed illud à me pauperrimo creatoris philosopho & ministro, calamo artificiali, cartaq; tali expressũ, quod in vniuerso naturæ libro digito omnipotentis erat descriptum atq; delineatum: Nec certe quicquã hac in philosophia mihimet aut appropriatũ aut à me fictũ inuentumq; producere sum ausus, sed quale quale est illud, totũ aut sacrarũ literarũ testimonio (ꝙ inprimis apud me charũ meoq; cordi proximũ semp fuit) aut Theologia patrũ, & ꝑcipue Doctorũ Hebræorũ, atq; in cabala peritissimorũ consensu, aut oculari cuiusdã machinæ probatæ demõstratione stipatũ, confirmatũ & colũnis quasi firmissimis statuminatũ habeo. Deniq; Philosophiæ huiusce nostræ cõmodũ vsumue duplicẽ esse asseueramus, quippe q̃ in primo loco homines Christianos philosophiæ veræ cupidissimos doceat, vel Aristotelis opera caute legere (si modo in ipsius doctrina pertinaciter adhuc perseuerare minime desistãt) eiusq; dictis nõ vlteriorẽ adhibere fidẽ, quã aut vera rationis philosophiæ harmonia suadeat, aut fides Christiana (cuius anchora est Biblium sacrũ) & consequenter dicti Biblii authoritas verbis expressis indicat, aut ocularis cõfirmat experiẽtia. At si quis triplicib. hisce testimoniis neglectis seu repudiatis, more insano & u[illegible]is furore nescio quo in Philosophia Aristotelica citra vlteriorem dubitationẽ diutius & profundius adhuc se immergere ꝑget, ipsum nõ modo Deo & naturæ suæ rebellẽ, verũ ẽt sine ratione, idq; more bestiali delirare audacter & cõfidenter pronuntiare possumus. Quare neminem de hac philosophia nostra sacra iudicare velim, priusquã ab ipso perlegatur serio, & quodlibet ipsius mẽbrum recto, æquali, atq; syncero iudicio & quasi iustitiæ trutinis ponderetur: quo peracto, cõparatione inter hanc nostrã Philosophiã atq; illã Aristotelis facta, ad sinistram vadere, vel saltẽ dextrã versus philosophiæ suæ metã perquirere liceat vtrum horum


mauult accipiat, eius n. hac in re voluntas mihi arridebit. At si hanc nostram, seu potius non nostrã, sed ipsius Moysis simul atq; paginæ sanctæ philosophiam eligere, amplecti, atq; sequi lubenter se accingat quispiam duplex ipsum hac ratione incõmodũ euitaturũ atq; consequenter duplicem ipsum vtilitatem inde consecuturum pronuntiamus, videlic. inutilem temporis Septennii in Philosophia Peripatetiorum vana consumptionem effugiet, simulq; radicalem falsæ ipsorum doctrinæ in mente impressionem non recipiet: quibus nocumentis tam in medicina quam hoc theologia seculo versantes (vtpote falsis principiis seu fundamentis seducti) infecti, sæpicule etiã in suis studiis aberrare coguntur: Hinc ergo est, quod medici huius scholæ seu sectę causas morborum efficientes, calidum, frigidum, humidum, siccum, choleram, sanguinem, flegma & melancholiam fecerunt, de actu vero diuino & virtute angelica, quibus Deus in proprietate sua seueritatis in hominũ humores maligniter operari solet, ne cogitauerunt quidem, quare effectus potius & organa naturalia in quibus Deus & ministri eius angelici agunt pro causis efficientib. Aristotelis doctrina male instructi, acceperũt; Similiter Theologi Christiani nonnulli scholæ Peripateticæ sectatores, differentiam inter Theologiam & Physicam sacram facere, & diuinitatis radios à natura creata distinguentes, ipsum Deũ minime in natura esse asseuerare non erubescunt; atque ita actores in natura plures præter solum Deum vnicum in mundo actorem, sine quo nihil finxerunt, sic cum suo Aristotele ignem, solem & stellas, atque ipsorum influentias esse rerum omnium inferiorum actores & authores volunt, cum sacræ literæ agnoscant solum & vnicum Deum omnia facere, in & ex his omnibus; Ipsi Theologi cum suo magistro ventos procedere ab exhalationib. è terra, vi solari & astrorũ surgentib. referunt, & tamẽ pagina sacra venti authorẽ Deum facit, atq; ita in infinitis aliis, quos omnes errores tanto labore atque tædio, tantaq; temporis continuatione ex Aristotelis Physica didicerũt Christiani nostri, vt tametsi in sacris scriptis cõtrariũ inueniãt, illos nihilominus è mentis atq; memoriæ suæ arca thesauraria tam firmiter impressos eradicare atq; eiicere nequeant, corrigendi ipsos modũ nesciunt, doceri spernunt, & tamen tam inter Philosophos Christianos quam in theosophia peritos sunt nonnulli qui doctrinæ Aristotelicæ obliquitatem & imbecillitatem ingenue agnoscant, illam aũt recte corrigere ignorant: Nã Fregius vir in Philosophia Aristotelica admodum versatus, postquam de causis meteororũ ventosorum efficientibus mentionem fecisset, statim ab Aristotelis opinione recedens in hæc verba prorumpit. *Quanquam tota disputatio de ventis, sicut de aliis meteoris, plena sit admirabilium operum Dei, quorum nullæ firmæ & sufficientes in natura causæ proferri possunt, tamen prodest videre, quousq; humana ratio progredi poßit, sacræ quidem literæ dicunt Deum ventos producere de thesauris suis, vnde ipsorum flatus audimus, sed vnde veniant aut quo vadant nescimus*: Hæc Freg. lib. 25. in causa ventorum: Et Margarita philosophica in capite de fulmine & tonitru sic scribit: *Quidam philosophorũ considerantes mirabilem fulminis operationem, ipsum non opus naturæ, sed summi Dei effectum immediatum arbitrati sunt*: Hæc illa: Et Ioannes Velcurio vir admodum in philosophia Peripatetica profundus lib. 3. c. 6. com. Phys. dicit hæc: *Non consentiunt plane sacræ literæ cum Physicis de ortu fontiũ & fluminum quæ ex mari per varios alueos meatusq; fluere ac ad suos fontes refluere Ecclesiastes c. 1. testatur, dicens, omnia flumina intrant in mare, & mare nõ redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant: cœterum Aristoteles & physici Peripatetici dicunt, materiam istorum esse pariter vaporem resolutum in aquam & liquefactum à frigore & calore simul intra terram, &c.* Hæc ille: Atq; ita in multis aliis quos hic recensere nimis foret longum atq; tædiosum. Quibus arguere videntur bona conscientia adhoc perciti, quod omnia meteora immediate à Deo proueniant, & quod Aristotelica doctrina sit omnimodo illi fonti totius veritatis oppositissima: Sed vt quilibet suo hac in re vtatur iudicio suadeo. Secunda vtilitas, quã diligens istiusmodi philosophiæ respectus lectori afferre videbitur, est, ꝙ sit impossibile, quin & philosophiæ huius studio in vera theologiæ mysteria sensim atq; gradatim irrepat, ita vt non modo in Philosophiæ verũ etiã in theographiæ fundamentis optime & radicaliter versatũ se sentiat: nam istam inueniet lector Philosophiam tam Christiano connaturalẽ, atq; instinctu spirituali vnitam, ac intellectus lumine connexã, ad veramq; Dei cognitionem pronã, quã illam Aristotelis, Ethnico atq; eius fidei conuenientem, vanæ eius phantasiæ & minime menti adligatam, & consequenter ad Idololatriam in mundo producendã pronã. Nam illa à nobis proposita omniũ creatori, ꝙ suum est vnice attribuere docet monetq; ; at hæc Aristotelica ius diuinũ arrogãter furando, suæ naturæ ascribere tentat, atq; ita quæ creatoris solius sunt, creaturis, falso à Deo ius & actum suũ derogando, arrogare gestit; Eius (inquã) Philosophia meteora omnia nõ ab immediata Dei potentia, sed more in natura sua aduentitio prouenire scribit: videlicet ventos ab exhalatione calida & sicca, vi caloris eleuata, & frigoris actu deorsum pulsa, nubes à vaporibus ab aqua & terra eodem actu exhalatas, & frigore mediæ aeris regionis condensatas: tonitru à conflicto facto inter aquam nubis & ignem ab exhalatione in nube inclusa, per antiperistasin ortum, tempestates turbinosas, tam in mari quam aere, ab exhalationib. siccis, sed minime inflãmmatis (qualẽ etiam & terræ motus materiã fingit) presteres horrendos ab exhalationib. igneis facile inflammabiles atq; etiã cometarũ materiã talẽ esse affirmat, horumq; omniũ actores aut stellarũ radios, aut aduentitios cõtrariarũ in elementis qualitatũ concursus facit, in quib. omnib. de vero horũ omniũ mirabiliũ authore nullã quidẽ facit mentionem, atq; ita Christianos ipsius sectatores non modo à diuino cultu distrahere videtur, sed ẽt ipsos in angustiis & periculis tẽpestatũ illius obliuisci efficit sua falsa doctrina, qui reuera est istiusmodi aeris ob hominũ peccata ordinator, causaque immediate per angelos efficiens,

vnde

vnde fit vt ob huius mundi ignorantiam, multi nescientes verum horũ malorum authorem, ipsum pro misericordia & auxilio suo inclamare & precibus solicitare debitis inscienter desistant, atque ita à *Iehouæ* destructore seu Angelis eius iracundis aerem maria & terram stupendo more perturbantibus destruuntur atque variis modis exterminantur: Philosophiæ autem à nobis prolatæ est, Deo hæc omnia iuste, & prout est, attribuere, quem mediantibus Angelis, hoc est in angelis & per angelos tanquam organa & suæ voluntatis vehicula agere agnoscimus sacræ paginæ authoritate ducti; dicimusque sine hæsitatione, eius testimonio st pati, quod aer per verbum Dei moueatur, ducatur, gubernetur, quatenus in verbo Dei omnia comprehendente natat, & per constitutos ad hoc Angelos Dei (quorum est, teste Dauide, efficere verbum Dei) ducitur quando, quo, & quomodo Deus vult. Et quamuis hoc ipsum Aristotelis discipulis nonnullis absurdum & leue videri possit, attamen Christiani, trutinis veritatis hæc omnia ponderantes, & diuinitatis mysteria oculis acutioribus penetrantes, percipient rem istam esse arduam & maximi momenti, vtpote quæ concernit etiam honorem diuinum, vt Christiani vere & ex fundamentis sciant & intelligant, tempestates atque alias eo spectantes operationes, non motu proprio & naturæ Aristotelicæ, seu casu fortuito, aut tali modo inepto, qualem illis affinxerunt Peripatetici, sed ex prouidentia diuina, & thesaurorum diuinorum arcis in aere reconditis, induci & prouenire, ac desuper in hunc mundum inferiorem demitti, quo, si quando tempestates periculosæ suboriantur, inuocare Deum possint, vt ipse (tanquam solus tempestatum effector) velit istud tempestatis periculum clementer auertere, & loco eius pluuiam benignam largiri, atque insimul fructus terræ vna cum hominibus & pecoribus ab omni malo defendere, tueri, & conseruare, ac vt præterea etiam considerent alia quæcunque, quæ cedere possunt in honorem Dei.

Hoc etiam idem de meteoris Microcosmicis & eorum effectibus censendum. De quibus quidem, vtpote circa sanitatem & morbum in Microcosmo versantibus, in volumine sequenti (supremo propitiante numine) fusius agemus, cui quidem volumini causæ meteororum finalis seu Medicinæ Sacræ titulum recte insignire nobis proposuimus: in parte cuius prima sanitatis Arx siue munimentum describitur: in secunda sanitatis munimenti ab hoste morboso obsidio, oppugnatio, inuasio exprimitur: Tertia vero hostis morbosi, violenter in sanitatis munimentum ingressi expulsio, & propugnaculi eiusdem violati seu labefactati instauratio pertractatur. Interea vero temporis nobis parumper respirare liceat, dum vobis & nobis fauste adsit mundi creator, cuius laudes ebuccinare tam corde quam calamo desistam nunquam. *Sub tuis ergo ô IEHOVA DEVS fortis alis me à viperinis Momorum atq; inuidorum linguis incolumem custodias obtestor, vt Maiestati tuæ diuinæ, dum inter viuos sim superstes, mente sanus animoque recto inseruiam, vtpote cuius est virtus, laus, & potentia in æternum.*

FINIS.


B64